Voir la notice bibliographique que j'ai donné de cet ouvrage, dans le <u>Journal général de médecine de Sédillot, tome 57, page 419 et suivantes</u>.

<u>Gurisch</u> est l'anagramme de <u>Schurig</u>.

# CONSIDERATIO
## PHYSICO-MEDICO-FORENSIS,
DE

# SALIVA HUMANA

QUA

EJUS NATURA ET USUS

INSIMULQUE

MORSUS BRUTORUM ET HOMINIS,

RABIES ET HYDROPHOBIA, DEMORSORUM

DELICTA ET DEFENSIO,

Item:

SIGNA VITALITATIS

EX SPUMA ORIS IN FOETU MORTUO DESUMENDA

ET ALIA HUC SPECTANTIA

QUÆSTIONIBUS MEDICO-FORENSIBUS

PERPENDUNTUR.

*OBSERVATIONIBUS RARIS ET SELECTIS*

*TRADITA*

A U T O R E

D. MARTINO GURISCH.

*L I P S I Æ,*

SUMPTIBUS WEIDMANNIANIS. M DCCXXIX.

# PRÆFATIO.

Consideravimus humorem primordialem, unde ortus noster dependet & cujus ope multiplicatio, verbo divino creatis impressa, absolvitur. Progredimur jam ad illum actum, qui nativitatem nostram excipit, nempe Nutritionem, mediante quâ corpora augescunt & continuum sui interitum, quem intestinus motus ipsis minatur, restauratione deperditarum partium avertunt. In hoc negotio perficiendo primò occurrit Saliva, quæ medium est, quod novas & adventitias corporis nostri partes assumit, bonitatem illarum probat, incongrua hinc renuit & amovet, grata vero sibique similia avidè appetit, & ad sui transmutationem & conformationem disponit. Illa ipsa est, quæ spolia macrocosmi microcosmi usui apta dijudicat. Unde principium illud, quod conservationem corporis intendit,

& Archeus nonnullis audit, in hac tanquam ſpicula reſidet, & aſſumenda vel reſpuit, vel appetit, eoque opus, quod ipſi incumbit, orditur. Quod ſacra Scriptura linguæ attribuit, in cujus poteſtate ſit vita & mors (Proverb. cap. 18. v. 21.) honor & dedecus (Sir. cap. 5. v. 15. Jacob. cap. 3. v. 9. 10.) illud optimo jure Salivæ, ſine qua Lingua torpet, adſcribendum eſt. Et noxium & proficuum diſcernit. Et odium & amorem conciliat, illud quidem, dum plenis buccis intenſoque ſpiritu in objectum minus gratum eructatur: hunc vero, dum inter oſcula blando motu & titillatione lingvæ evibrata & mentem & animum miſcet & æquat. Stupet mens, ſi mirandos effectus morſu communicatos perpendamus, quos ſoli eidem Salivæ debemus. Exempla plurima L. B. in hoc Tractatu collecta inveniet, in quo Salivæ naturam & uſum evolvere allaboravi, qui ut Tibi ſapiat, & Salivam moveat, me pronubo, optat.

SIA-



# SIALOLOGIÆ

## CAPUT I.

## DE

## SALIVÆ ESSENTIA.

§. 1.

SOlet Salivæ vocabulum derivari vel a Sale, qvia Saliva nonnunqvam ad ſalis ſaporem proximè accedit, aut qvandoqve magnâ ſalis copiâ abundat, ſuumqve Sal Chylo & Sangvini communicat, qvô mediante fermentationes vitales promovet & excitat, vitamqve ipſam conſervat ac fovet, juxta Georg. Bagliv. *de Fibr. motric. p. m. 203.* vel, qvia per chymicas reſolutiones varii generis ſalia exinde elici poſſunt v. Theod. Zwinger. *Faſcicul. Diſſertat. medic. Diſſ. 8. p. m. 361.* Vel dicitur Saliva, qvaſi ſalis via, ſalis ſcilicet eſſentialis, balſamici & ſpirituoſi; hinc etiam fortaſſe alii, & qvidem ſecundum Frid. Hoffmann. *Diſput. de Saliva & ejus morb. Reſp. Hoyer. cap. 1. p. 5.* non malè, ex Manuſcriptô qvodam anatomicô, ante ſexcentos annos conſcriptô & in Bibliothecâ Romanâ in hunc usque diem conſervatô, locô τῦ Saliva ſcribunt Salivia. Johanni Tackio *Script. Phaſ. ſophic.* *Salivæ Etymologia.*

 *Part.*

*Part. 2. Chrysogon. p. m. 16.* Saliva vel à ſale nomen mutuâſſe videtur, vel â Græcô σαλεύω, qvod eſt fluctuo, uti in ſpumoſo mari fieri videmus. Aliis item Saliva derivatur â ſalvandô, quaſi Salvia, qvod multos morbos ſanet ac ſalvet, vid. Joſephi Lanzon. *de Saliv. cap. I. pag. 1.* vel â ſaliendo, quod è pluribus tubulis ſalivalibus in oris cavitatem effluat, aut inſtar fonticuli intra fauces exſiliat, qvandoqve etiam ſub oſcitatione, validâqve oris diductione & elevatâ lingvâ è ductibus ſalivalibus, ſub formâ minimarum guttularum, ad magnam ſæpe diſtantiam, extra os proſiliat.

*Græce,* §. 2. Græce Saliva dicitur σίαλον item σιαλίς, quod nonnulli a σεύω, poeticè etiam σίω, concutio, moveo, moto, derivant; alii ἀπὸ τοῦ ἁλὸς, â ſale, vel ἀπὸ τῆς ἁλὸς, a mari, quod ſalſum eſt, deducunt. Ab hoc græcô vocabulô σίαλος, vel σίαλον, qvidam Autores per literarum transpoſitionem latinum Vocabulum, Saliva, fieri ſtatuunt; cur autem latinum vocabulum, Saliva, non potiùs â latinô itidem ſalis nominé derivari debeat, non video. Qvandoqve etiam tam latinum vocabulum ſaliva, qvàm græcum σίαλον, indiſcriminatim etiam ſumitur pro ſputô ſeu ſputamine, quod aliàs græcè vocatur πτύαλον, item πτύσμα, â πτύω, ſpuo. vid. Joh. Gorræi *Definit. ſuo locô.* Chriſtian. Beckmann. *de Origin. lat. lingv. p. m. 953.* Joh. Pancrat. Brunon. *Caſtell. renov. ſeu Lexic. medic. pag. m. 1022. & 1077.* Hier. Mercurial. *de Excrement. Lib. 3. cap. 3. p. m 193.* Ab his vocabulis græcis deſcendunt termini Medicis uſitati, ſcilicet Sialologia & Sialographia, item Ptyaliſmus.

*An Excrementum?* §. 3 Salivam Veteres tam Philoſophi, qvam Medici, inter Excrementa Corporis humani referebant, qvæ tamen ſententia a recentioribus, factâ inter ſalivam & ſputum differentiâ, non immeritò rejicitur; ſiqvidem Friderico Hoffmanno *l. a.* Saliva non eſt excrementum, ſed menſtruum verum microcoſmicum univerſale atqve uſûs inſignisſimi, ſine cujus præſentiâ ac temperie vitæ noſtræ incolumitas conſervari





vari nullatenus poteſt; Item Johannes Bohnius *Circul. anat. Phyſialog. Promgyn. 10. p. m. 148.* Salivam minimè excrementitiam eſſe, demonſtrat, pravamque multorum conſvetudinem tacitè reprehendit, qvâ ſcilicet multum ſalivæ, ſputi nomine, rejiciunt, cùm plus ejusdem alimentis commixtum, vel ſine his, neqvidem nobis de hoc cogitantibus, tam de die, qvàm ſomni tempore, ad Ventriculum demittatur, imò in brutis nihil planè aut parum ſalivæ (niſi in bobus ruminantibus) ſputando excernentibus, omnis per gulam deglutiatur, qvod tamen Ventriculo, tanquam primæ digeſtionis organo, oneri non eſt; cùm econtra ab humore excrementitio multa incommoda Stomacho expectanda forent. vid. etiam ejusdem Bohnii *Diſputat. de Menſtr. univerſal. animal. §. 6. ſeqq.* Et Georgius Philippus Nenterus *Phyſiol. cap. 4. p. 154.* inqvit: Saliva qvamvis à veteribus pro liqvore ſimpliciter excrementitio habita fuerit, non infimum tamen inter Corporis liquores utiles meretur locum, quippe quæ ciborum ſolutioni, deglutitioni & lingvæ volubilitati conſervandæ maximè inſervit. Secundum Joh. Jacob. Waldſchmid. *Inſtitut. medic. ration. Lib. 1. cap. 3. p. m. 15.* tantum abeſt, ſalivam humorem eſſe excrementitium, ut potiùs primum naturæ menſtruum in humanô Laboratoriô audiat & autor primæ iſtius ſolutionis, qvæ non niſi gradu ab illâ, quæ in Ventriculô inſtituitur, differat. Sic Chriſtianus Warlizius *Valetudinar. Senum Salomon. pag. m. 72.* Salivam minimè inutile excrementum, ſed laticem ſpiritibus laudabilibus, aliisve particulis turgidum, menſtruiqve vices gerentem appellat; Juxta Gerard. Blaſii *Medicin. Curator. Part. 1. cap. 2. p. m. 7.* Saliva commodè in ore continetur, nec excretione opus habet. Supponit etiam Johannes Fridericus Ortlob *Hiſtor. Part. Differt. IV. §. 10. p. m. 29.* humorem talem ſeroſum continuò ad os derivari ſolitum, ſalivam, non eſſe excrementitium, quatenus de ejus proventu natura adeò ſollicita ſit, atque eum ex tot fontibus, partim in ore, partim extra os conſtitutis, aut

immediatè per Canales eò excurrentes, deducat, ut proin custodiri potiùs & deglutiri, quàm exspui debeat. Et Caspa-rus Theophilus Bierlingius Salivam naturaliter constitutam non purum putum excrementum, sed maximi usûs esse, cum aliis autoribus firmiter se persvasum esse, dicit *Thesaur. theor. pract. Cas. 65. Schol.* §. *1. pag. m. 851.* Et quamvis Hieronymus Mercurialis *l. a. p. 195.* scribat, eos, qui inculpatâ valetudine fruuntur, debere interdum ab ore ducere salivam, quæ, nisi per os educatur, ad ventriculum vergeret, & sanè magis conferre, eam educere per os, quàm dimittere, ut in Ventriculum præcipitetur; Rectiùs tamen Johannes Viridetus, *de prim. Coction. Part. I. cap. 8. p. m. 54.* illos, qui salivam quid excrementitium volunt, maximè hallucinari statuit, cum illius evacuatio insons non sit; hinc homines bene habiti, sanitateque integrâ fruentes, parum exspuant; siquidem secundum Theod. Zwinger. *l. a. p. 365.* Saliva, utut â nonnullis sputatoribus, sive propter nimiam copiam, sive per malam consvetudinem, frequentiûs exspuatur, eapropter tamen pro inutili excrementô non est habenda, sed materiam præcipuam stomachici fermenti aut menstrui exhibet, adque ciborum digestionem maximè facit. Cui, locô omnium, addendus Georgius Baglivius, qui in Tractatu de Fibrâ motrice hinc inde salivæ dignitatem defendit, *p. m. 152.* inquiens: Sapo Corporis humani Saliva est, liquor omnium in humanô Corpore utilissimus, viriumque & activitatis incredibilis; & *pag. 197.* Salivam ob insignes suas ac penè innumerabiles virtutes, quas in nobis fundendô, solvendô, abstergendô ac celeriter penetrando producit, quæque paucis notæ, & â paucis, quantum debet, explicatæ sunt, primarium Chylificationis menstruum pronunciat; item: *p. 204.* pergit idem Autor: summoperè decipiuntur, qui salivam pro inutili excrementô habentes ferè continuò spuunt, & ita magnô cum vitæ discrimine ventriculum hôc naturali & maximè necessatiô sapone pri-



privant; & denique *p. 205.* Salivam existimat liquorem solventem, cui par in natura rerum non inveniatur. Item Hermannus Boerhavius *Institut. med.* §. *44. p. m. 16.* Salivam spuitione voluntariâ nimis excretam ἀνορεξίαν, δυσπεψίαν & ἀτροφίαν creare, atque §. *546. p. 159.* Excretionem nimiam Salivæ concoctionem primam, hinc reliquas turbare, siccitatem, tabem, bilem atram, sitim proferre, & parciorem vel sublatam ciborum masticationem, saporem, deglutitionem, digestionem impedire, dicit. Cumque humores â massâ sangvineâ secerni consveti â nonnullis in excretitios sive utiles, & excrementitios sive inutiles dividi soleant, Theodorus Zwingerus *l. a. p. 362. & 367.* salivam, ob varias, quas Corpori præstat, utilitates, in excretitiorum seu utilium censu refert.

§. 4. Est autem Saliva, propriè sic dicta, Liquor seu humor tenuis vel serosus, limpidus, parùm viscidus & in sanô homine utplurimùm insipidus aut subsalsus, ex sangvine arteriosô in peculiaribus oris & maxillarum glandulis secretus per certos ductûs, salivales dictos, in ore collectus, ad varios usûs utilis & necessarius. *Definitio.*

§. 5. Differt scilicet Saliva non solùm â sputô seu humore tenaci, in ore redundante, sed etiam â mucô excrementitio, ex ductibus narium quandoque ad os procidente; & quidem tam ratione ortûs, quàm consistentiæ & usûs; quòd Saliva ex certis glandulis & ductibus limpida magis & fluida spontè & citra singularem commotionem & tussim fauciumque constrictionem; etiam per somnum in ore & sub lingvâ secernatur; sputum verò cum mucô magis crassum & viscidum sit, atque vel ex asperæ arteriæ parte glandulosâ, vel ex membranâ palati pituitariâ, vel ex tonsillis secretum screatu vel tussi eliciatur, & mediante Pulmonum, Lingvæ, Musculorum & Oris motu ejiciatur. Consentientem hac in re habemus Georgium Wolffgangum Wedelium, qui *Physiolog. Sect. 3. cap. 23. p. m. 174.* sputum ex ore, faucibus, pulmone; *Differentia.*

 salivam

Salivam verò é ductibus salivalibus excerni scribit. Juxta Isbrand. de Diemerbroc. *Anatom. Lib. 3. cap. 24. fol. m. 436.* per sputum intelligunt Medici tenacem humorem in ore cum molestiâ redundantem, qualis vel ex Catarrhi defluxu in eô colligi, vel ex salivæ aliquâ corruptione generari, vel cum Tussi ex pulmonibus rejici solet. Per Salivam verò intelligunt liquorem naturalem, in bene sanis non superfluum, nec excernendum, ad oris humectationem & alimentorum commistionem, eorumque ad coctiones præparationem ac fermentationem necessarium. Distinctio etiam aliqva constituenda videtur inter salivam & mucum istum, qui è cerebrô per os cribriforme delabitur, & partim per nares evacuatur, partim per palati posteriora ad fauces descendit: non quòd hi humores ratione originis multum differant (illa enim separatur in variis faucium orisque glandulis, hic vero in glandulis plexui choroidi interjectis & in glandulâ pituitariâ, atque in ipso cerebro, ex ejusque ventriculis per processus papillares quoque defluit ad nares, palatum, fauces & os) sed quod mucus ratione longioris moræ in viâ, sæpe alienam qualitatem adeptus sit, antequam ad os perveniat, atque hinc crassior, tenacior, subflavus, aliôque modô malè coloratus ac pravi saporis evaserit &c. Hæc Diemerbroc. Inquit etiam Melchior Sebizius *Manual. seu Specul. Medicin. Practic. Tom. I. Part. 2. Sect. 4. cap. 27. p. m. 515. seq.* quamvis vocabula σίαλον & πτύαλον ab Autoribus sæpe inter se confundantur, adeò ut ipse quoq; Galenus *lib. 10. simpl.* dicat, nil interesse, sive σίαλον sive πτύελον, appelles, reverà tamen unum idemque non sunt. Nam σίαλον vel σίελον propriè pituita est, quæ â glandulis ad lingvæ radicem sitis profecta os totum humectat, reperiturque tam in sanis, quàm in ægris, & ἀυτομάτως ejicitur. πτύσμα vero, sputum sive sputamen, excrementum est tussiendo προαιρετικῶς vacuatum. Nam quando superfluus aliqvis humor thoraci, pulmonibus aut asperæ arteriæ molestus est, Natura



Natura illum tussi expellere nititur, sputumque miscet. Præter σίαλον & πτύσμα est & aliud quoddam excrementi genus, quod exspui solet, βλέννα sive μύξα, Mucus â Galeno appellatum, quod non â tonsillis, ut saliva, nec â thorace aut pulmone, ejusque cannâ, sed â Cerebrô prodit. Hoc enim utplurimùm excrementa sua serosa & phlegmatica ad nares & os deponit. Unde partim per nares emunguntur, partim per os ejiciuntur, vid. etiam Daniel. Sennert. *Pract. Medicin. Lib. II. Part. 1. cap. 9. p. m. 19.* Jacob. Primeros. *Enchirid. Medic. pag. m. 152. seq. 154. seq.* Hieron. Mercurial. *de Excrement. cap. 3. p. m. 193.* Secundum sententiam Stephani Blancardi *Oper. Med. Tom. I. p. m. 212. Institut. medicin. cap. 7.* saliva & sputum una eademque res est, verùm narium mucus & quæ screando excernuntur, diversæ naturæ sunt. Mucus ille humor est, qui ex Cerebri ventriculis excernitur, & si fuerit aliquando tenuis satis per infundibulum ad subjectas partes transit; verùm si abundet, vel spissior nimis sit, & per infundibulum transeundo impotens, per olfactorios nervos anteriùs ad nares procedit, vel per posteriora ad fauces in os. Anteriùs procedens dicitur Mucus, & posterius Screatus, qui screando exspuuntur. Sed hæc sunt conjecturæ: pergit Blancardus, potius dicerem, Mucum â glandulosis acinis, quibus narium membrana, uti & laryngis, gaudet, secerni &c. Sic Benjaminus Broechusius *Ration. Philosophico-medic. cap. 19. pag. m. 231.* per salivam non designat viscidum & crassum illum humorem, qvi è tonsillis tussi & screatu exprimitur, & quem communi nomine sputum vocamus: sed tenuem illum aquosum, salsum & acidum rorem intelligit, dum sub formâ vaporum, nonnunquam cum aliis sangvinis particulis, vel separatim per partium tubulos propellitur, vel unitim aliquando ex vasis illis minoribus, in quæ collectus erat, in Vasa majora detruditur per motum circularem, qvem omnes â motu pulsuum arteriarum insequi necessum habent. Gualtherus Charleton

leton *Exercit. de Oeconom. animal. Exercit.* 7. §. *6. p. m. 127.* de hac differentia hæc habet: Mucus, qui vacuus acore, è Capite delabitur, eſt excrementum pituitoſum, a ſangvine in Cerebri membranas, per Carotides ac cervicales arterias, delatô ſegregatum, & partim per nares, partim per palatum denuò excretum. Ad cujus familiam ſpectat forſan & ſputum, quod circa palatum, è glandulis pituitariis, circa baſin Cerebri exiſtentibus deſtillat: item Liquor ſalivalis, qui ab humoribus in Tonſillas & glandulas ſublingvales, unà cum ſangvine â corde propulſis, ibidemque ſeparatis gignitur. Sic Thomas Warthonus *Adenograph. cap. 21. p. m. 122.* per ſalivam non intelligit craſſum illum viſcidumque humorem, qui è tonſillis ſcreatu aut tuſſi (ſputum dicimus) exprimitur; ſed illum tenuem & aquoſum, quem Græci σίαλον & σίελον vocant. &c. Vid. etiam *Cap. II.* §. *8.* de Glandulis Salivæ.

*Ortus an ex Cerebro?* §. *6.* Ex hactenus allegatis patet, non ſolùm Veteres, ſed nonnullos etiam recentiorum Autorum, Mucum narium è Cerebro per os cribriforme delabi, demumque per nares & poſteriora foramina in fauces deſcendere, opinari; cui ſententiæ quoque favere videtur Joſephus Lanzonns *Diſſert. de Saliv. human. cap. 1. p. m. 5.* ubi non modò allegata Diemerbroccii verba, ſed etiam ſequentia ex eodem, ſine Autoris mentione, omiſſis & mutatis quibusdam recenſet: *Plagium* ſcilicet Liquor iſte, homine ſanô exiſtente, in Cerebri Ventriculis ſatis fluidus & tenuis exiſtit, non tantùm verò inſtar ſalivæ oris, ſed ferè inſtar lymphæ, aliis lymphaticis Vaſculis contentæ, & propter hanc tenuitatem, per minima oſſis cribroſi foramina in ſpongioſa narium oſſa elabitur, in quibus per diuturniorem moram ab äeris frigidi inſpirati & exſpirati tranſitu craſſitiem, colorem, aliasque â ſalivâ alienas qvalitates ſæpe acquirit, &c. *Negatur,* Cum verò nec omnes dictæ glandulæ Cerebri pituitariæ, nec allegati ductûs per Anatomiam appareant, potiùs mihi talis mucus, ceu humor nimis



mis viſcoſus, ex glandulis, qvibus pituitaria ſeu narium ſinûs circumveſtiens membrana referta eſt, filtrari videtur; qvando ſcilicet humores corporis noſtri nimis ſpiſſi & craſſi evadunt; vel poteſt etiam materia ſalivalis, per ſe aliàs ſatis limpida, ex diuturnâ intra fauces ſtagnatione, aut ipſius maſſæ ſangvineæ vitio, lentorem contrahere, ut mediante exſpuitione nimis tenax & viſcida rejiciatur. *è Glandulis pituitariis* Eſt autem dicta membrana pituitaria, juxta Raymund. Vieusſens *Nevrograph. univerſ. Lib. I. cap. 16. p. m. 187.* fungoſa, ſpongioſa & glanduloſa pars, quamplurimis diverſi generis inſtructa vaſis, propriè ac primariò adſcendentis ad Caput ſangvinis, aqvoſis lentisque ſuccis excrementitiis excipiendis & excernendis apta. *Membrana pituitaria.* Dicitur autem pituitaria, quoniam aqvoſæ, craſſæ ac viſcidæ aſcendentis ad Cerebrum ſangvinis partes, qvæ pituitæ nomine donari ſolent, ad eam membranam amandantur, & in eâ â ſangvine ſecernuntur, ac deinceps vel ſcreatu, vel narium emunctione extruduntur. Hæc, præterqvam qvòd pluribus in locis ſuperficiem habet exiguis pluribus foraminibus diſtinctam, ſi acu pungatur vel digitis comprimatur, mucum ſtatim emittit, & ſi è propriâ ſede exempta in aqvam immittatur, ſpongiæ ad inſtar partibus illius imbuitur. Eam præterea glandulis quamplurimis, vaſis, quibus irrigatur, intertextis conſtare, oculari inſpectione patet, propterea que ipſam fungoſam, ſpongioſam & glanduloſam allegatus Autor cum aliis vocavit. Talem membranam è capite exemptam & aqvæ immiſſam ſpongiæ ad inſtar illius partes abſorbere, oculari inſpectione etiam obſervavit Franciſcus Juſtinus, Medicus & Chirurgiæ Profeſſor, Ferrariæ in magnô D. Annæ Xenodochiô, & quidem in ſectione Capitis Militis ſævâ Peripnevmoniâ extincti, ſecundum Joſeph. Lanzon. *l. a. p. 7.* ubi plura ex Raymundo Vieusſens reperies. Huc pertinet etiam Palati ſuperioris tunica, qvæ tota innumeris percuſa foraminibus, a glandularum glomeraminibus orta

orta recipit vasa: qvæ qvò retrorsum magis perrexeris, eò magis conspicua. vid. Nicol. Steno *de Muscul. & Glandul. p. m. 44.* Item ejusdem *Obs. anat. de Narium Vasis p. m. 107.* De hac membrana summi Palati pituitariâ vid. Conr. Victor. Schneid. *de Catarrh. Lib. III. cap. 3. pag. m. 501. seqq.* & *Lib. V. Sect. 2. cap. 2. p. 143.* Hanc Palati tunicam delineat Godefridus *Bidloo Anatom. Tab. 14. fig. 4.* Joh. van Horn. *Microcosm. c. 16. p. m. 21.* De muci palatini verâ origine ita scribit Theodorus Zwingerus *l. a. p. m. 364.* Nos Muci istius palatini originem, pace magnorum Virorum, non è Cerebrô, sed aliunde magis deducimus, firmiter persvasi, humorem serosum cum sangvine circulante per ramulos arteriolarum, tàm externarum, quàm internarum, ad glandulosam Palati tunicam delatum, inibi secretum & postea ab äere per respirationem transeunte, volatilioresque particulas auferente, nonnihil inspissatum, substantiam illam mucosam efficere. Cui accedit & ductuum nasalium mucus, qvem illi subinde cum incommodô persentiunt, qvibus ista materia in allegatis modò ductibus cumulata, sicciorque reddita in Palatum propendet, ac ob lentorem difficulter exscreari potest. De muco Tonsillarum modò allegatus Autor *l. c.* hæc habet: Mucus Tonsillarum est humor Salivâ nonnihil viscosior, in binis illis Faucium glandulis cavernosis, à lateribus Uvulæ sitis, imò in ipsâ Uvulæ membranâ secretus atque in Palatum effusus, unde postmodum per exscreationem rejicitur. Viscosior redditur hic mucus propter ampliores Tonsillarum poros, per quos non tenuis solum humor, sed & crassiores particulæ transire possunt. Sic etiam Mucum talem potius ex glandulis membranæ narium, quàm ex ipsô Cerebrô ideò derivat Stephanus Blancardus, quia, si per siphonem per nervos odoratorios liquorem versus nares injicias, Experientiâ teste, nihil emanat. Sicuti autem veræ Salivæ exspuitionem dissvasimus, ita sputi crassioris ac muci narium exscreatu svademus.

§. 7.



*Salivæ Elementa.* §. 7. Circa Elementa seu principia Salivam constituentia Autores in diversas sententias abeunt, imprimis verò triplicis generis particulas, videlicet aqveas, viscidas seu gelatinosas atque salinas in eadem reperiri statuunt. De primis, nimirum aqveis, nemo facile dubitabit, & Franciscus Sylvius *Disput. med. 1. §. 24. Oper. fol. 2.* Salivam ex Aquâ multâ, paucoque sale ac Spiritu imprimis constare dicit. Imò Salivam esse lympham ex eô probat Christ. Kœperus *Disp. de Salivat. critic. cap. 1. p. 3. seq.* quod fluidissima sit, & evaporatione super ignem factâ nullam in Vase post se relinqvat gelatinam, prout serum sangvinis assolet. Deinde viscidas particulas salivæ inesse, concludere licet partim, quia in eâ spumositas observatur, plurimis bullulis permixta, atque in superficie per quatuor, quinque & subinde per sex dies in Salivâ, vitrô exceptâ, permanens juxta Observationem Antonii Nuckii *Sialograph. cap. 2. p. m. 41. seq.* Licet enim, à lingvæ musculorumque, maxillam inferiorem moventium, motu atque crebriore agitatione Salivæ spumositatem atque bullulas excitari, non negemus, minimè tamen exinde seu à solô motu, tenacem reddi salivam, Josepho Lanzono *l. a. p. 3.* concedere possumus, cum à tali lingvæ & maxillæ motu, vel ejus conqvassatione, in aqvâ simplici seu fontanâ non æque bullulæ per aliquot dies permanentes, uti in Salivâ, oriantur; unde in hac major visciditas præsupponenda erit; quam etiam probat destillatio; siqvidem Antonio Nuck è duabus Salivæ Unciis cum semisse residuum ad drachmas tres, materiam purulentam tenuiorem & nonnihil viscidam præ se ferens, in Retortâ superfuit. *v. l. a. p. 45.* scilicet Salivam hominis sani altiori examini subjecturus ex Retortâ vitreâ lentô igne destillationem instituit. Primô statim momentô (dum igni incalesceret Saliva) in plurimas abiit bullulas, qvibus sensim & sensim dissipatis, statim novæ, sed non adeò copiosæ, in superficie conspiciebantur, idque ad finem de-

 stilla-

ſtillationis perduravit. Deſtillando itaque è duabus unciis cum ſemiſſe Salivæ duas extraxit, quæ inſipidam claramque lympham repræſentabant: Reſiduum,quod in Retortâ,ſuperfuit, ad drachmas ſcilicet tres materiam purulentam & viſcidam præ ſe tulit, quæ guſtu explorata de acredine nonnihil participare indicavit. Porrò Saliva ob viſciditatem ſuam in combinandis diverſis rebus. inſtar glutinis, quamvis levioris, uſurpari poteſt; Ut jam de Mercurii ſeu Hydrargyri mortificatione ſeu per ſalivam factâ extinctione nil dicam, quippe quæ mortificatio non niſi Mercurii minimorum diſcontinuatio quædam atque inviſcatio eſt; ubi globuli ejus minores trituratione divulſi à glutinoſitate Salivæ detinentur, ut in maſſam magis contiguam non adeò promptè abeant, pariter ac aliàs per Terebinthinam fieri ſolet. vid. Joh. Bohn. *Diſput. de Menſtr. univerſal. animal.* §. 9. Salinas denique Salivæ particulas per peculiarem ejusdem activitatem evincunt Medici, quatenus ſaliva Ciborum texturam mox â maſticatione notabiliter reſolvit, atque alimentis ſubitaneam, ſimul tamen ſenſibilem, immutationem inducit; qvin & tumores ſic dictos frigidos, vel a ſerô viſcidô oriundos â jejunô illita diſcutit. Quibus pariter adhuc examen Chymicum addi poteſt, ubi ſcilicet avocatis per digeſtionem, evaporationem aut deſtillationem ad ſiccitatem usque factam, particulis aqueis, ultimò ſal ſupereſt, atque notabili acrimoniâ in reſiduô ſe exerit; uti Materia illa viſcida poſt deſtillationem remanens guſtu explorata de acredine nonnihil participare Antonio Nuck *l. a.* indicavit. Deniqve Johanni Bohnio *l. a.* Salis inexiſtentiæ teſtis videtur humoris hujus, Salivæ ſcilicet, fermentandi promptitudo, qvalem pasſim deprehendimus, de quâ infra plura. Paucisſimam tamen qvantitatem ſalis Salivæ ineſſe teſtatur experientia; & juxta Georg. Phil. Nenter. *Phyſiol. cap. 24. p. 156.* Salivæ uncia una vix grana ſalis tria in ſe continet; unde etiam, qvoniam ſal hocce

*Salinæ*



hocce, etſi admodum acre, â magnâ aquæ copia dilutum eſt, nullus manifeſtus in Salivâ deprehenditur ſapor.

§. 8. Tertium hoc Salivæ principium, nimirum ſal, aliis acidum, aliis alcalinum, aliisque utrumque creditur. Ad acidarum Salivæ particularum defenſionem inclinat Fridericus Hoffmannus *Fundament. Medicin. cap. 5. p. m. 26.* Salivam, inquiens, conſtare ex particulis ſeroſis, acetoſis, ſubtilibus & ſpiritibus animalibus; item Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. I. cap. 8. p. m. 57.* Salivam ex aquâ plurimâ, ſulphure crudô, mediocri quantitate, ſpiritu paucisſimô & ſale acidô componi ait, & *p. 69. ſeq. it. 94. ſeq.* variis rationibus & experimentis ſententiam ſuam confirmare annititur. Rationes autem eorum, qui in Salivâ ſolummodo acidum occultum concedunt, plerumque ſunt ſeqventes: 1) quia Saliva Mercurium figit, 2) addita farinæ fermentat, 3) Vaſa cuprea corrodit, præſertim ſi ſit Saliva Scorbutô & Lue venereâ affectorum. 4) candenti ferro admota maculam ſeu corpus album relinquit, quod â ſimplici aquâ non videmus. 5) Impetiginem ſanat illita; 6) quia viſcoſa eſt atque 7) ſolutioni Tornæ ſolis commixta rubedinem illi conciliat, item â ſolutione Heliotropii tactæ oris glandulæ juxta Joh. Virid. & *de prim. Coction. Part. I. c. II. p. 95.* ſtatim Colorem rubrum contrahunt, quæ ſolutio verum eſt ſalis acidi Criterium 8) è veſtibus maculas tollit, 9) ad lapides projecta, eos maculis albis tingit, acſi aquâ forti fuiſſent tacti, 10) Lacti ebullienti immiſſa ſeceſſionem cauſatur. Scilicet, ſi ancillæ, dum lac vaccinum excoqvunt, inter coqvendum illud guſtant, & deinde Cochlear Salivâ adhuc madidum iterum lacti ebullienti immittunt, tunc obſervatur hoc lac, non aliter, ac ſi liquor planè acidus admixtus fuiſſet, ſecedere, certô indiciô, ab acidô in ſalivâ contentô hoc proveniſſe. vid. Anton. Nuck *Sialograph. cap. 2. p. m. 47. ſeq.* Porrò Nicolaus Heinſius *de Curâ Lact. p. m. 38.* Acidum Salivæ ex ulceribus putridis oris probat,

*Sal an acidum? affirmatur.*

bat,& *p. 40.* hanc aciditatem ex eô fundamentô defendit, qvia in mixturâ Cretæ, lapidum cancrorum, vel aliorum acidum corrigentium, cum Salivâ effervefcentia oritur, eodem modô, ac fi vinum, acetum, fuccus Citri, aut alia acida ejusmodi Alcalicis affunduntur. Sic juxta Rofin. Lentilium, *de Hydrophob. cauf. p. m. 27.* Saliva conftat particulis multis falinis, plus minùs pro fubjectorum diverfitate volatilibus, quin per fe magis, ob acidum occultum, ad fixitatem inclinantibus; quod experimentô Overcampi planum evadit, qvi falivam humanam cum Oculis Cancrorum, Cretâ, Bolô &c. effervefcere vidit. Quæ effervefcentia multò notabilior in Salivâ fcorbuticorum, qvinimò omnium optimè fentitur in ore Vomiturientium, fale ob copiofam falivæ collectionem magis evolutô; Experimentum autem Heydentr. Overcampii extat in ipfius *Oeconomiâ animali cap. 2. p. m. 30.* ubi adhuc aliud, pro acidô Salivæ, argumentum addit, fcilicet quòd Saliva in pariete, colore cœruleô tinctô, femper maculam relinqvat, quæ ab aqvâ fimplici non expectanda. De acidô autem Salivæ, imprimis Scorbuticorum, ita fcribit Stephanus Blankaart *van de Scheur-buik cap. 6. § 6. p. m. 78. feq.* Nu zal ymond vragen, hoe ik weet, dat d' oorzaak een zuur fpeekfel is? foo laat ik alleen een experiment doen, uit welke fonder tegenfpreken blykt, dat' er veel en overvloedia zuur in het fcheurbuikige fpeckfel is. Vergadert alleen een gedeelte quyls, en giet het op fyn gevreven Kreeft-Oogen, die uit een Alcali beftaan, foo zaal mon daar een beweginge van deeltjes uit fien ortftaan, dat geenfins gebeuren foude, indien daar geen zuur in was geweeft: ten anderen blykt het uyt de Genefinge, dat' er veel zuur in het fpeckfel is; want na veel gebruik van Alcali en vlugge dingen fal men fien, dat het fpeckfel fyn fuirigheit verlieft, en defe mondqvaal geneeft. In Salivâ multum aquæ, parum fpiritus volatilis & minimum falis lixiviofi, cum Olei fpiritusque acidi tantillô mifti temperatique effe, ftatuit Francifcus Sylvius *Difput. 5. Th. 36. fol. m. 11.* quam Salivæ aciditatem modò allegatus Nicolaus Heinfius *Tr. de Lue venerea feu* **Schmachtende** *Venus cap. 2. p. m. 62. feq.* non ex fangvine, fed ex fermentatione in glandulis oris ortum fumere contra Sylvium defendit. vid. etiam Petri Dionif. *Anatom. demonftr. 4. p. 154.*



§. 9. Has autem & alias pro Salivæ acidô adductas rationes alii Autores refellunt, & quidem inde, cum liquidum hoc naturaliter conftitutum nullum præ fe ferat faporem acidiufculum, & nullus per Analyfin chymicam fpiritus acidus exinde elici & acquiri, ac deniqve nullum in fangvine, naturaliter conftitutô, parum acidum, atteftantibus fapore, deftillatione ac aliis Experimentis, ftatui poffit ac debeat. *negatur.* Ad fuperiores autem rationes ita refpondent alii Autores: 1) Mercurium etiam ab aliis, quæ non funt acida, figi, v. g. à Therebinthina; Id quod potiùs Saliva ope vifciditatis præftat: 2) plane opus non effe, ut acidum fit, quod farinam feu paftam fermentare facit, fed fufficere, fi aut fpirituofum fit, aut obftruat poros, per quod materia fubtilis curfum feu motum antea obtinebat liberum. 3) libentisfimè conceditur, in Scorbutô, Lue venereâ & aliis ejusmodi morbis ob totius maffæ vitium fimul etiam falivam fieri acidam & corrofivam; exinde autem non feqvitur, eam etiam in ftatu naturali & fano talem effe. 4) Nemo ferè Medicorum falivam pro merâ aquâ agnofcit, fed falibus eandem imprægnatam omnes credunt, quæ pariter in ferrô candente maculam albam relinquere poffunt. 5) Reperiuntur multa alcalia efficacia & fortia, v. g. Oleum Tartari par deliqvium, quæ Impetiginem curant; indeque malè concludendum, falivam ob hunc effectum effe acidam. 6) Terebinthina, licet etiam fit vifcofa, à nemine tamen pro acidâ habetur. 7) Uti folutioni Tornæ folis commixta faliva rubedinem eidem inducit; ità pariter Mercurii fublimati corrofivi folutioni addita

dita albedinem eidem conciliat; atque ficut illud fignum acidorum, ita hoc fignum alcalium volatilium præbet, ut adeò falivam non fimpliciter acidam effe concludere fas fit. Annotavit etiam du Verney, juniorum Salivâ Heliotropii fuccum non rubere. vid. Joh. Bapt. du Hamel *Reg. Scientiar. Acad. Hiftor. Lib. 3. Sect. 4. cap. 2. p. m. 265.* unde talis rubedo potiùs â ftatu Salivæ præternaturali dependet. Imò Chriftianus Johannes Langius propriâ falivâ periculum faciens in Heliotropii folutione nullum adeò manifeftum exinde natum animadvertere ruborem fe potuiffe refert *Phyfiolog. Thef. 9.* Et Joh. Gvilielmus Pauli *Annot. in Joh. Horn. Microc. p. 45.* Salivam ab hominibus fanis & jejunis collectam folutioni heliotropii potius majorem cœruleitatem conciliaffe, nec rubrum colorem a liquore gaftricô folutionem eandem contraxiffe, plures fecum deprehendiffe refert. *Oper. Medic. fol. m. 81.* 8) Multa falia lixiviofa maculas è Veftibus tollunt; præterea ipfa fimplex aqva frigida, quam nemo pro acidâ habet, maculas pingves ex fericis veftibus delet, fi ftatim applicatur. 9) Licet quorundam, imprimis Scorbuticorum, Saliva acida in lapidibus maculas albas relinquat, idem tamen â fanorum falivâ expectandum non erit. Quod pariter de coagulatione lactis, & ebullitione feu fermentatione Cretæ vel aliorum alcalium, cum falivâ mixtorum, concedendum eft. vid. Dan. Tauvry *Anatom. nov. Part. I. cap. 1. pag. m. 10. feq.* Jofeph. Lanzon. *de Saliv. hum. cap. I. pag. m. 14. feq.* Joh. Frid. Ortlob. *Hiftor. Part. Differt. 5.* §. *11. p. m. 39.* ubi plura argumenta pro & contra reperies.

*an alcali?* §. 10. Alcalium econtrà Claffi Salivam ejusque activitatem adfcribit Chriftianus Vaterus *Phyfialog. experiment. Sect. 7. cap. 25. p. m. 163.* &. quidem his verbis: Videtur Saliva præ cæteris lymphæ fpeciebus falis volatilis particeps, quoniam omnibus alimentis, etiam pingvibus & oleofis, & extra Corpus Mercurio vivo tam promptè mifceri poteft: Collecta



lecta & calori aliqvantifper expofita fœtorem contrahit: deftillata largitur non folum formale fal volatile, fed etiam materiam quandam fufcam relinqvit, in qvâ manifefta acredo, imò atomi fcintillantes, falis procul dubiô indices, percipiuntur. Qvibus accedit, quod faccharo, lacticiniis & fimilibus inter coqvendum permifta condenfationem vel infpiffationem impediat, lentigines & ulcera abftergat, &c. quæ omnia Alcalibus potiffimum deberi, notum eft è Chymicis &c. Paucula grana falis alcalici in propriâ Salivâ fe reperiffe fcribit Joannes Conradus Barchufen *Acroamat. Experiment. 8. p. 364. & 374.* fcilicet fumpfit Salivæ uncias tres, quas primitus è Cucurbitâ deftillavit ad ficcitatem. Quod prodivit æmulabatur meram aquam. Pauciffima grana operando perdidit. Reftans, factâ leni Salivæ deftillatione, librabat grana fex. Hæc parvæ Retortæ immifit, ac inde prolexit Olei grana duo. E refiduo elixiviavit falis alcali fixi grana duo, & tenuis fuperftitis grana duo. Meminit etiam Johannes Tackius *Chrifiogan. animal. pag. m. 21.* cujusdam viri genere nobilis, qui egregium ex Salivâ, putrefactione præmiffâ, falem volatilem elicuit. Ex Salivæ unciis viginti drachmas duas falis fixi præparatas adducit Carolus Drelincurtius *Differt. de Lienof. p. m. 178.*

§. 11. Alii tamen Autores nec folô acido, nec folô alcali in Salivâ contenti funt, fed utrumque in eadem reperiri credunt; fiqvidem præter ea, quæ ex Sylviô modò allegavimus, in Salivâ fcilicet præter multam aquam parum fpiritûs volatilis & minimum falis lixiviofi cum Olei fpiritûsque aciditantillô ineffe; Theod. Graan *de Homin. cap. 4. p. m. 10.* fcribit, Salivam ex particulis tam acidis, quàm falinis aquâ mixtis confiftere; Et *p. 12.* falivam igni impofitam & in vaporem actam in fundô Corpus album falfo-acidum relinqvere, addit. Idem Autor etiam *Oeconom. animal. Part. I. cap. 2. p. m. 2. & feq.* Salivæ particulas falfas & acidas â priori & pofteriori probat. *an utrumq. feu falfum?*

C probat.

probat. Sic juxta Joh. Jacob Waldſchmidii *Inſtitut. medic. rat. Lib. 1. cap. 3. pag. m. 15.* Saliva, quamvis inſipida videatur, plures tamen particulas volatiles, acidas & ſalinas in receſſu habet, quæ ab effectu facilè probari & oſtendi poſſunt; ipſa enim ſaliva vi ſuâ abſterſivâ & ſaponariâ ſanat Impetiginem & vulnera, vi acidâ necat araneas, figit Mercurium, veſtigia veneris lapidi lydio impreſſa delet, & farinam fermentare facit, &c. Et ſecundum Joachimi Tagiri *Medicin. compendiar. cap. 12. p. m. 123.* Saliva continet particulas tam acidas, quàm ſalſas, atque ex his fixas & volatiles, ſunt in eâ acria, ſunt oleoſa corpuſcula. Erneſtus Heinſius *de Purgant. in Febrib. p. m. 11.* Salivām nominat lympham particulis ſalinis volatilibus ſimul & acidis quibusdam imprægnatam. Inquit etiam Jean Baptiſte Verduc dans la *Svite de Pathologie de Chirurgie cap. 17. pag. m. 776.* la Salive eſt une liqveur compoſée de particules alkalines huileuſes & d' un peu de ſel acide; & Johannes Dolæus *Encyclopæd. Chirurg. Lib. 1. cap. 20. p. m. 491.* Salivam ſpiritu acidô & alcali turgere ſcribit. Item juxta verba de Louis Bellefontaine *dans la medecine dogmati Part. Phyſiol. Exerc. 7. p. m. 26.* La Salive a cachieés en ſoi pluſieurs particules volatiles acides & ſalines, qv' on peut facilement reconnoitre par leurs effets; car celle ſalive par ſavertu abſterſive & ſaponaire guerit le prurit & les plaies dela peau; par ſavertu acide elle tuè les araignées, fige le mercure & fart fermenter la farine. In Salivâ aliquid ſalſum ammoniacale eſſe, dicit Michael Ettmüllerus *Oper. med. Vol. I. fol. m. 88.* Et *fol. 788.* jejuni hominis ſalivam ſpiritu acidulo-ſalſô quaſi ammoniacali turgere, repetit. Salivam ſalſam pronunciare non dubitat Johannes Fridericus Ortlob *Hiſtor. Part. Corp. human. Diſſert. 5. Th. 14. p. m. 40.* & quidem 1) quia ferme omnia concreta aggreditur, uti tartarus tartariſatus 2) quia in animali leviter ſalſa guſtu deprehenditur, niſi fortè ab aſſumptis peregrinum ſaporem ſuſceperit. Præterea etiam naturaliter con-

ſtituta



ſtituta ſaliva poſt levem particularum inter ſe agitationem cum quamplurimis liqvoribus, tum acidis, tum alcalibus, variisque ſpiritibus ſeſe admiſceri patitur. Sive enim cum Urinâ, cum ſale Abſinthii liqvatô, liquore Tartari, aquâ forti, ſpiritu Salis, ſpiritu Nitri, ſpiritu Nitri vitriolato, oleô Sulphuris, oleô Vitrioli, ſpiritu Salis volatili, ſpiritu Urinæ, ſpiritu volatili Cornu Cervi, ſive horum aliquô admiſceatur Saliva, poſt leniorem luctam ſeſe omnibus & ſingulis aſſociat, & de colore parum tantùm mutatur, juxta Anton. Nuck *Sialograph. cap. 2. p. m. 42. ſeqq.* ubi plura. Qvæ ipſiſſima verba cum aliquot adhuc ſubſeqventibus paginis etiam in Steph. Blancardi *Oper. med. Tom. I. pag. m. 209. ſeq.* absque Nuckii mentione legimus. Refert etiam Antonius de Heide *Obſ. 88. p. m. 181. ſeq.* Salivæ unciam leni calore è Cucurbitâ vitreâ ad ſiccitatem deſtillatam reliqviſſe duo vel tria grana materiæ fuſcæ, lingvam acore & calore afficientis; quæ Aquæ forti admiſta effervescentiæ ſigna nulla dedit: deſtillatus liqvor initiò non videbatur differre ab eô, qui ultimò aſcendebat, nullam mutationem patiebatur ab admiſtis Aquâ forti, ſolutione Mercurii ſublimati, ſolutione Aluminis, neque à ſpiritu Salis ammoniaci. De his particulis quærit Joachimus Targinus *l. a.* quæ humidis particulis utiliores in diſſolutione Corporum? quæ faciliùs in aliorum Corporum poros penetrant, præſertim ſi ſubtiles illæ & tenaces ſunt? quid ſalſis, acidis atque acribus efficacius ad diſſolvendum nexum, quô ſæpiſſimè ſibi connectuntur Eſculentorum corpora? Denique de dictis & aliis Salivæ particulis ita ſcribit Theodorus Zwingerus *Faſcicul. Diſſert. med. 8. p. 368.* Aqvoſarum plurimarum particularum præſentia ad oculum patet. Salino-alcalinas autem Salivæ ineſſe vel illud arguit, quòd liquor hic inſtar menſtrui alcalini ſulphura diſſolvat. Acidarum dein ſalinarum præſentiam demonſtrare id poteſt, quòd Saliva Mercurium figere notetur, vel potiùs, quòd

*Plagium.*



ali-

aliquandiu ſtagnans manifeſtè acida reddatur. Oleoſas & ramoſas porrò Salivæ ineſſe, vel illud negare vetat, quoniam Saliva facilè inviſcat & involvit, inſtar aliorum ſulphurum, quoniam item ſub leni coctione in gelatinam verti ſolet; ſed paucas tamen oleoſas adeſſe Chymica reſolutio pandit. Tandem & terreſtres aliquas in ſalivæ humore contineri, deſtillatio ipſius oſtendit, ſub quâ, exhalantibus volatilioribus omnibus, in vaſe relinqvuntur fixiores illæ atque terreſtres. Plurimas autem particulas ſalivam componentes ſpirituoſo-volatiles exiſtere, vel inde liquet, quòd in igne facilè citoque altum petant & avolent. Et *pag. 372.* hæc habet: Concurſus ſive Craſis particularum talis eſt, ut earum plurimæ adſint aquoſæ, multæ ſalino-volatiles, alcalinæ & acidæ, paucæ oleoſæ, paucisſimæ terreſtres, omnes tamen, beneficiô intercurrentium ſpirituum animalium, ſive âerearum particularum elaſticarum, ita perflatæ, ut ad conſervandum inter ſe æquilibrium jugiter agitentur, quamdiu naturaliter Saliva habet. Juxta El. Camerar. *Medicin. conciliatric. cap. 4. p. m. 85.* Saliva eſt lympha â ſangvine ſeparata partibus heterogeneis ſcatens, qvas inter quoque non paucæ ſunt ſalinæ, in ſtatu quidem naturali magis enixum ſal â gelatinoſis partibus occultatum referens, in p. n. autem acidô creberrimè infectam, ejusdem cœtera cum menſtruô ventriculi & ſucco pancreaticô indolis.

*unde differentiæ Salivæ?*

§. 12. Tantus autem circa ſalinas ſalivæ particulas Autorum diſſenſus, dum alii easdem acidas, alii alcalinas, alii ſalſas, alii nitroſas judicant, absque dubio à Salivæ, in examen chymicum vocatæ, diverſitate petendus erit; ſiquidem rarisſimè in duobus individuis eadem ſalis quantitas, idemque acoris gradus, eademve qualitas deprehenditur, ſed in uno eodemque ſubjectô, ratione temporis, ſanitatis & aſſumptorum quandoque varia reſolet; Id quod etiam indicat Johannes Conradus Barchuſen



chuſen *Acroam. p. 374.* â me, inqviens, qvidem ſupra indicatum eſt, paucula grana ſalis alkalici meæ ſalivæ fuiſſe. Verum, nolim, credat qvispiam, me putare, ſingulorum Salivam talibus, ut mea, refertam eſſe principiis. Licet hæc mihi quandoque admodum acris habeatur, ita ut ſæpius mihi tuſſim ciere ſoleat; ſed perlibenter concedo, hanc in quovis, ut vocant, Individuo diverſæ indolis eſſe. Periclitatus ſum ſubinde in meâ Salivâ, eidem inſtillando nonnihil acidi, unde aliquam cernebam effterveſcentiam factam; quod mihi in aliis obſervare non licuit. Identidem, ſi lingvam meam tetigero vitriolô Martis, vel ſimili ex ferrô paratâ ſolutione, expertus tum illico illam nigruiſſe. Contrarium in aliis contuitus ſum: videlicet nullam coloris mutationem. Concluſionem tamen de antedictis inferre volui, plerorumque hominum ſalivam haud tantâ dotatam eſſe particularum ſalſarum portione, quantam plurimi Medicorum arbitrantur. Etenim, ſi mea ſaliva, tam paucô ſale referta, potis eſt, ut mihi, niſi id præveniam præſumendô ſuccum Glycirrhizæ vel Terram Japonicam, tuſſim procreet; Nonne penetraret ſaliva majora? ſi copioſioribus ſcateret ſalis particulis. Concludendum ideo eſt, ſanorum hominum ſalivam ſale qualicunque pauperem eſſe reſpectu totius humoris concreti.

*in Salivâ ſpiritus.*

§. 13. Non vero tantummodò particulis aqveis, viſcidis & ſalinis, ſed äereis quoque ſeu ſpiritibus animalibus præ reliquis corporis noſtri liquoribus dotatam & imprægnatam eſſe Salivam, teſtantur etiam, præter hactenus adductos, alii Medici. Inqvit enim Johannes Tackius *Triplic. Phaſ. ſoph. Chryſogon. animal. & mineral. p. m. 16.* Salivam præter ſalem multum etiam ſpiritûs volatilis continere. Spirituum in Salivâ præſentiam ex Impetiginum & ſcabiei curâ probat Heydentr. Overcamp. *Oeconom. animal. cap. 2. p. m. 31.* Et Chriſtianus Marggravius *Prodrom. Medicin. pract. Sect. 3. Tab. 14. p. m. 134.* ſcribit,

ſcribit, Salivam omnem ortum habere partim ex ſangvinis parte magis glutinoſâ, per arterias, partim ex ſpiritibus animalibus per nervos ad glandulas, conglomeratas dictas, deductis. Nec non Joh. Muraltus *Colleg. anat. p. m. 73.* Salivæ ſpumoſitatem â ſpirituum copiâ derivat; & Hermannus Borhovius *Inſtitut. medic. §. 44. p. m. 16.* Salivam aquâ, ſale, ſpiritu, exhalatione chymicâ cognoſcendis, conſtare dicit. Docemur etiam, inquit Conradus Johremius *Diſp. de Chriſto Medic. cap. 2. §. 10. p. 42.* ex Principiis Phyſiologicis atque experimentis chymicis, Salivam, ceu optimam atque ſpirituoſiſſimam lymphæ partem, particulis ſulphureo-aqveo-ſalinis, maximè alcalicis turgere, & hinc, dum ſummis pollet viribus diſcuſſivis, optimè in multis affectibus adhiberi. Spiritûs animales ad Salivæ energiam atque vim immutandi alimenta præcipuum conferre ſymbolum, â copiâ nervorum circa glandulas ſalivales probat Paulus Ammannus *Parænef. Lib. I. cap. 10. p. m. 72.* ubi dicit: Licet aliqvis pro motu & ſenſu hos â naturâ ordinatos eſſe cenſeat, non tamen videtur probabile, quia motus harum glandularum eſt nullus, ſenſus verò exiguus: Cui bono itaque tam copioſè circa illas conſpiciantur? hinc Neoterici ἐνδόξως concludunt, per nervos ad glandulas prædictas influere copioſè ſpiritus animales, ut cum ſeroſâ ſangvinis parte conjungantur, qui juncti liquores, uti in glandulis conglobatis per vaſa lymphatica ad venas & ſic ad maſſam ſangvineam immediatè tendunt: ita ex his conglomeratis per ductûs ſalivales ad Cavitates notabiles, Os ſcilicet & ad Ventriculum & Inteſtina pro nobilioribus adhuc celebrandis functionibus derivantur, &c. Rationes pro Salivæ ſpirituoſitate, ſeu Salivam præ cæteris liqvoribus maximè ſpirituoſam, præcipuè ſpiritu animali turgidam eſſe, Chriſtianus Vaterus *Phyſiolog. experim. Sect. 8. cap. 25. p. m. 613.* deſumit 1) â Salivæ officinâ; ſecernitur enim in ejusmodi glandulis, ubi copioſiſſima nervorum diſtributio obſervatur. 2) â motu; movetur enim promptiſſimè & largiſſimè ad fauces, eôqve magis, qvando Objectum appetitui gratum affertur; unde commercium inter ſpiritum cerebri & ſalivam immediatum manifeſtiſſimè conſtat. 3) ab Effectu; quia inſtar menſtrui chymici & ſpirituoſi cibis quibuscunque ſe intimè miſcet, eosdem digerit, ſolvit & chylificat. Inquit etiam Antonius Nuck *Sialograph. cap. 2. p. m. 41.* non niſi â copioſiore ſpirituum in glandulas influxu & lingvæ motione dependere, quod â recordatione vel ab adſpectu eſculentorum aut potulentorum gratorum os Salivâ madere incipiat. Talem Salivæ, ab appetitu ortum, largiorem affluxum pariter Joh. Nic. Pechlinus *Obſerv. med. Phyſic. Lib. 2. Obſ. 47. p. m. 323. ſeq.* non modò â copioſô ſpirituum in nervos glandulares influxu derivat, ſed emiſſitiis quoque radiis, etiam in longius & pedum aliquot intervallum, pluvii roris inſtar, talem humorem projectum obſervaſſe teſtatur. Porrò hanc ſalivæ ſpirituoſitatem multis rationibus atque experimentis confirmat Fridericus Hoffmannus *Diſſert. de Saliv. & ejus morbis p. 11.* Quæ, quia fortaſſe non in omnium manibus eſt, pace Domini Autoris exinde ſeqventia hoc locô inſerere liceat: 1) Nervi ceu ſpirituum animalium tubuli copioſè comitantes arterias in glandulas ſalivales cum iisdem terminantur; at Natura nihil facit fruſtra. 2) Ligaturâ in nervum ad glandulam tendentem injectâ, aut transverſim diſſectô nervô, licet ſecretio Salivæ non ſtatim ceſſet, tardior tamen & magis lenta procedit. 3) motu animali ceſſante & affectibus animi feriantibus tempore ſomni ceſſat etiam Salivæ fluxus, indiciô manifeſtô, ſpiritûs animales, tum ſopitos, huc maximè ſuum conferre ſymbolum. 4) â majori Salivæ fluxu & frequenti exſpuitione mirè ſolemus defatigari, quod ſpirituum animalium depauperationem digitô quaſi monſtrat. 5) Ad mentis nutum ſive motum major Salivæ copia profunditur, ut hinc Proverbium enatum ſit: hoc movet ſalivam

*Salivæ motus â Cibo.*

vam, quasi dicere velint, hoc mentem ad attentionem alliciendô salivam & spiritûs animales in singularem rapit motum. 6) Ex communicatione Salivæ duarum diversarum personarum Sympathia sive consensus oritur; iidem nempe affectus animi, qui spirituum animalium fœtûs sunt; 7) maximus usus, quem ad masticationem & digestionem ciborum præstat, nudâ sine spiritibus animalibus Lymphâ absolvi non posset. Dicit etiam Josephus Lanzonus *Exercit. de Saliv. hum. p. m. 15.* Salivam humanam esse menstruum, seu solvens quoddam microcosmicum pro omnibus esculentis, cujus energia præcipue habetur â sale, quod in Salivâ tenet imperium, & â particulis äereis, quibus specificô modô ipsam condiri asserit Aloysius â Fabna *de Nutrit. cap. 14.* quas particulas äereas ipsi Salivæ tribuit etiam Gvilelminus *Exercit. de sangvin. nat. p. 102.* his verbis: Saliva glutinosô liquore, multis salibus solutis, præcipuè tartareis, impregnatô, multôque äere componitur. vid. etiam Ant. Nuck. *l. a. p. m. 24. seq.* Denique cùm Saliva vasi vacuo imposita, omni äere externô absumtô, notabilem ebullitionem â spiritualis, subtilis aëreo-æthereæ substantiæ in eâ hospitantis, expansione curiosi spectatoris oculis exhibeat, æque ac aliàs in spiritu vini, aliisque liqvoribus spirituosis cernitur, quid mirum, qvòd alii ex physicô hoc experimentô talem Salivæ spirituositatem defendant? Præsentiam subtilissimi ac mobilissimi principii Salivæ inexistentis, secundum Frid. Hoffmann. *Differt. de necessar. Saliv. Inspect. §. 2. p. 5.* hæc quoque Experimenta comprobant: Primò enim salivalis latex non facilè, etiam intensissimô frigore, abit in glaciem, more aliorum liqvorum spirituosorum, qui abundant tenuissimis partibus in motu vehementi intestinô, nullam firmiorem qvietem admittente, constitutis. Præterea qvando Vasculum Salivâ repletum, vitro, cui aër mediante Antliâ pnevmaticâ subtractus fuit, imponitur, protinus conspicitur insignis agitatio atque ebullitio, nec



nec non spumascentia ipsius Salivae, sicuti contingit in aliis liqvoribus spirituosô elementô imbutis: Etenim demtô ambiente athmosphærici äeris pondere tenues & elasticæ Salivæ particulæ libertatem sese expandendi & egressum moliendi acqvirunt, inde postmodum dependet dicta ebullitio. Item, inquit dictus Autor: subtilissimum illud principium est salino-sulphureum, utpote spiritus ex Salivâ putrefactâ certâ enchirisi destillari potest, qui metalla adoritur, ipsum aurum nigredine afficit, & â secretioris Chymiæ amatoribus pro verô menstruô universali venditatur &c. Et Christianus Rœperus *Disput. de Salivat. Critic. in morb. acut. & Chronic. cap. 1. p. 8.* pro spirituositate Salivæ idem Hoffmanni Experimentum allegat: notabili, inqviens, penetrantia ac spirituositate esse stipatam Salivam, experimentum Hoffmanni physicum nos convincit, quô liquidum hoc vacuo impositum omni äere externô absumptô notabilem ebullitionem â spiritualis subtilis äereo-æthereæ substantiæ in eô hospitantis expansione curiosi spectatoris oculis exhibet, æqve ac cernitur in spiritu vini, aliisque liquoribus spirituosis &c. Plura argumenta pro Salivæ spirituositate ibidem adducuntur. Imò Salivam è nervosô genere profundi prolixè defendit Thomas Wharthonus *Adenograph. cap. 1. p. 123.* Cui tamen capite secundo contradicetur.

§. 14. Postqvam in antecedenti Paragraghô phænomeni illius, cur ab aspectu, vel odore, vel reminiscentiâ grati alicujus cibi utplurimum copiosa Salivæ quantitas in buccam affluere soleat, mentionem fecerimus, talemque causam plerique Autores spiritibus adscribant, hoc locô aliorum quoque sententiam & consensum inserere liceat. Etiamsi enim vulgus hunc humorem simul cum appetitu ex Ventriculô assurgere statuat, alii tamen Autores, uti dictum, talem Oris madefactionem potiùs â copiosiori spirituum in nervos glandulares influxu derivant: Hinc dicit Theodorus Craan *curâ visu grati cibi copiosa Saliva in os affluat?*

*Differt. de Homin. cap. 3. p. 10.* Non seqvitur, ex visu cibi grati aquosa materia in os copiosissimè defertur, ergo ex ventriculo hæc aqua assurgit: minime provenit hæc salivæ copia tunc temporis in ore ex vasis salivalibus intra os dispersis, quatenus hic conspectus cibi grati causat in nobis affectum animi, quo spiritùs animales copiosè nimis ex capite ad palatum & oris partes internas determinantur, qui suo influxu glandulas in ore sitas satis copiosè ita comprimunt, ut succum in iis contentum exprimant & excludant. Et Josephus Lanzolus *de Saliva cap. 1. pag. 16.* inquit: Quare magnus fiat Salivæ proventus in ore ex solo cibi grati aspectu, vel etiam ejus auditâ descriptione, qværunt nonnulli curiosiores Physici: fieriqve hoc putat Craanenius, qvatenus conspectus & imaginatio cibi grati causat in nobis affectum animi; Verùm suppositô, aliquos nervos ad salivales glandulas pervenire, ipsasque, ut docet Stenonius, motu posse gaudere, dicendum est tamen, phænomenon ad glandularum motum salivalium spectare; ex illa enim visione aut descriptione grati edulii fit motus in spiritibus animalibus, unde major pariter motus in glandulis salivalibus habetur, ex quô motu copiosus Salivæ proventus per proprios ductus in os exstillat, hinc movere Salivam ajunt. Sic Autor quidam Gallicus, Anonymus, ad quæstionem: pourquoy l' eau vient à la bouche à l' odeur d' un morceau delicat, ou à la veüe de quelque chose, qui a flatté le gout? respondet: que comme les Esprits, qui sont dans les nerfs du Nez & des Yeux, ne sçauroient étre considerablement ébranlez par l' odeur de quelque morceau delicat, qui les frappe, ou par les especes de quelque chose, qui a flatté nôtre gout, sans que cet ebranlement passe bientôt à la bouche, il arrive, que les conduit salivaires, qui sont alors pressez par la Contraction des Anneaux nerveux, qui les environnent, font couleur la salive, qui est rendüe plus liquide par les Esprits, qui s'y mêlent alors, & qui la font quelque fois petiller. vid. Journal des Sçauans *Tom. VIII. p. m. 94.* Haud negat etiam Johannes Bohnius, fercula apposita delicatiora aut horum recordationem hunc uberiorem Salivæ in os fluorem juvare, spiritus animales excitando & ad oris pariter ac reliquas primarum viarum glandulas determinans, hinc lymphæ secretionem accelerans. v. Joh. Bohn. *Circul. anat. physiol. Progym. VIII. p. 128.* Et Franciscus Zypæus *Fundament. Medicin. Part. II. cap. 3. Art. 12. p. m. 106. seq.* ita explicat: Ubi grati aliquid olfacimus, aut videmus, vel avidè aliquid appetimus, copiosius in os exilit Saliva, quia nervi paris vagi non tantum propagines ad ductus glandulasque salivales demittunt, verùm etiam aliquos ad nervos olfactorios opticosque, unde facto in hos influxu fortiore, augetur & ille in nervis paris vagi, quô ulterius fibrillarum contractione ductus salivales angustantur & Salivam ejiciunt. Quod autem hactenus allegati Autores mecum spiritibus adscribunt, illud â naturâ providâ petit Georgius Philippus Neuterus *Physiolog. cap. 4. p. 156.* quamvis, inquiens, Salivæ fluxus in oris cavitatem sit perpetuus, majori tamen copiâ tempore manducationis affluit; cujus quidem rei causam vulgo â motu maxillarum derivant, quôd scilicet ob earundem motum glandulæ compressæ majorem Salivæ copiam fundere cogantur: quæ ratio etsi non adeò sit contemnenda, potior tamen mihi videtur eorum sententia, qui id exinde fieri existimant, quod tempore masticationis ad diluendos & solvendos cibos major requiratur Salivæ quantitas; hinc etiam Naturam, Corporis præsidem, majorem Salivæ copiam ad oris cavitatem mittere: nec etiam motum maxillarum ad exprimendam Salivam è glandulis semper necessariam esse, sed Salivam sæpius, auditô saltem grati ferculi nomine, magnâ copiâ in os infundi, manifestô indiciô, Salivam propter certum finem â Principiô corporis vitali ad oris

oris cavitatem mitti. Et *pag. 214.* idem Autor mechanicam Salivæ, seu per masticationem factam, excretionem tribus rationibus refellit, 1) quod mentione solùm cibi grati factâ magna copia Salivæ in oris cavitatem effluat, unde etiam Germanorum nota est formula, **Man hat mir das Maul wässericht gemacht.** 2) quod Cibis ingratis ore assumptis, etiamsi diu masticentur, Salivæ affluxus sensim cesset, ita ut minùs commodè deglutiri queant, & nausea excitetur, unde Germani dicunt, **Man werffe den Bissen im Munde herumb, man könne ihn nicht hinunter bringen.** 3) quòd etiamsi maxillæ extra masticationis tempus pro lubitu satis diu moveantur, Saliva tamen tantâ copiâ, ac in masticatione ipsa, in oris cavitatem non effunditur. Quare potiùs concludendum est, naturam semper cum intentione & ob certum finem agentem, tempore masticationis ideò majorem Salivæ copiam mittere, ut cibi eò melius dilui & solvi queant.

*Saliva an insipida?*

§. 15. Cum etiam juxta hactenus recensita, Experimentorum, circa Salivæ saporem, tanta sit differentia, ut, sepositis præconceptis opinionibus, Autorum alii acidum, alii salinum, & quidem modò acidum, modò alcali, alii utrumque simul sive salsum, in eô observarint; præter hos vero alii Salivam è jejunô ore collectam planè insipidam, vel cum Albertô Kyperô *Anthropolog. Lib. 1. cap. 16. pag. m. 386.* modicè dulcem annotarint, nemo nobis vitio vertet, si sanorum atqvè jejunorum hominum, imprimis autem recens & quidem ex matre sanâ, natorum Infantum salivam nullô sapore imbutam, sed prorsus insipidam, nec adeò viscidam, nihilominus tamen ob spiritûs, secundum hactenus allegatos Autores, in magnâ quantitate, in eâdem latitantes, mirè penetrantem atque menstruum animale universale, pro variis alimentorum particulis, tàm acidis, quàm salinis, sulphureis & viscidis dissolvendis per se idoneum esse credamus. Quoad insipiditatem Salivæ consentientes reperimus quosdam tum



tum veterum, tum recentiorum Autorum; ex quibus scribit Hieron. Mercurialis *de Excrement. Lib. 3. cap. 3. pag. m. 194.* ante omnia scire oportet, Salivam, quæ naturalis est & in homine verè sanô reperitur, eas habere conditiones, ut nec quantitate excedat, neque ullum saporem habeat, & *p. 198.* inquit, hanc Salivæ insipiditatem ejus statum naturalem indicare, sapores verò secundum Galenum *de Loc. affect. cap. 7.* varios humores stomacho inesse declarare. Secundum Melchior. Sebiz *Specul. Medicin. practic. Tom. I. Part. 2. Sect. 4. cap. 27. p. m. 577.* Saliva est duplex, naturalis & præter naturam; naturalis in sanis est corporibus nullâ extraneâ qualitate infecta, sed perinde quasi aquosa gustui offertur; non naturalis varia est, saporis, coloris & consistentiæ ratione: nimirum acris, acida, salsa, amara, &c. Ex juxta Jacobi Primerosii *Enchirid. medic. pag. m. 152.* Saliva â sapore est insipida, dulcis, salsa, amara, acida, secundum varietatem humorum, qui salivæ commiscentur. Salivam insipidam esse & præter naturam nunc salsam, nunc acidam, nunc amaram observari statuit Franciscus Sylvius *de Method. medend. cap. 9. §. 7. fol. m. 49.* Item Hermannus Boerhavius *Institut. med. §. 44. p. m. 16.* sanis salivam insipidam tribuit. Autor Tractatus Gallici, *Essais d' Anatomie Disc. 8. pag. m. 91.* Salivam dulcem separari statuit, les ruisseaux, inqviens, se dechargent d' une eau douce & transparente. Isbrando de Diemerbrock *Anatom. Lib. 3. cap. 24. fol. m. 435.* Saliva in sanis per se nullum habet saporem & odorem. Daniel Tauvry *Anatom. nov. rat. Part. 1. cap. 1. p. m. 11.* non negat, in certis morbis, v. g. Lue venereâ & Scorbuto Salivam evadere posse acidam, imò corrosivam; in statu verò naturali illam insipidam esse asserit. Theodoro Zwingero *Fascicul. Dissertat. medic. Disp. 8. de Saliv. stat. Part. I. Sect. 2. p. m. 365.* Saliva tenuis, limpidus & insipidus humor dicitur; & Fridericus Hoffmannus *Dissert. de necessar. Saliv. inspect. §. 2. p. 4.* Salivam fluorem limpidum, insipidum, valdè activum nominat.



Et

Et §. *15. p. 26.* ſecundum naturam omnis manifeſti ſaporis expertem eſſe Salivam, idem dicit. Juxta Joſephum Lanzonum *de Saliv. cap. 1. p. m. 9.* Saliva eſt lympha craſſior & manifeſte inſipida. Inquit etiam alius Autor Gallicus, Aletheus, La ſalive doit êſtre naturellement inſipide, a finque le palais & la langue puiſſent juger ſanement de leur Objet, ſans aucune preoccupation. *v. Journal de Sçavans Tom. IV. An. 1676. pag. m. 196.* Et ſecundum Theodorum Zwingerum *l. a. p. 373.* Sapor in Salivâ deprehenditur inſipidus, quem â quantitate particularum flexibilium & aqvoſarum Salivæ ſubſtantiam componentium, non inepte derivant. Imò Saliva vitrô excepta per diem ſi reſervetur, inſipida & inodora percipitur. vid. Ant. Nuck *Sialograph. cap. 2. p. 41.* Lympha & Saliva vix ac ne vix quidem admittit differentiam, ſi utrasque lapide Chymiæ lydiô probaveris, inquit Joachimus Georgius Elsnerus *v. M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 57. p. m. 155.* Salivæ tamen examini chymico non eſſe fidendum, judicat Jacobus de Sandris *de Sangvin. ſtat. cap. 3. p. m. 69.* Salivæ, inquiens, conditio â tantis mutatur, quod, ſi ab aliquô animali excepta chymicæ analyſi ſubjiciatur, vix determinari posſit, qualis in ſingulis naturaliter eſſe debeat; & Chymiam ipſam infidum examen exqvirenti præbere, quia ignoratur, an componat, an reſolvat, manifeſtô patet; Id circò ab aſſertionibus allatis aliquid certi eruere, infida res eſt. Nihilominus tamen ita pergit idem Autor: Ut autem ab incertis certa diſtingvamus, & illa ab his veluti face accensâ illuſtrentur. Saliva, eſto, plerumque manifeſtetur inſipida, ſummæ activitatis eſt menſtruum, ſiquidem ſolidisſimos cibos, lapides, oſſa, ferri fragmenta &c. diſſolvere valet, quinimò Mercurium, metallorum Protheum, extingvit, cum quô tanta eſt hoſtilitas, ut extra noſtrum corpus, veluti catenis devinctum, per tumentes fauces violentisſimè arripiat. Talis profectò ingentisſima vis certis activioribus particulis ineſt, quæ licet intra aqveum liquorem abſcondentur & ſenſum effugiant, iſtius tamen vehiculo, dum intra ingeſtorum poros ſe inſinuant, ita invicem augent vires, quòd validisſimos ſolutionis effectus in ipſis producunt, eô modô, quô in pulvere fulminante, minimæ Salis Tartari, Nitri & ſulphuris particulæ invicem commixtæ maximâ vi pollent, & quælibet repagula, etiam validisſimi æris, permeant & diffringunt. Attamen Johannes Jacobus Waldſchmied *Inſtit. med. cap. 3. pag. 15.* Salivam equidem inſipidam videri concedit; plures tamen in receſſu habere particulas volatiles, acidas & ſalinas, quæ ab effectu facilè probari & oſtendi poſſent, defendit.



§. 16. Qvamvis autem Salivam per ſe & in ſtatu naturali pro inſipidâ habeamus, minimè tamen negamus, ſæpisſimè tum infantum recens natorum, tum adultorum ſalivam ſalibus acribus & corroſivis imprægnatam obſervari; ſiquidem illis a parentibus morboſis, aut nutricibus ſcorbuticis atque venereis, &c. â primâ conformatione & deinceps ab aſſumptô nutrimento talia communicari, his verò ab alimentorum particulis glutinoſis ſeu viſcidis, acidis, ſalinis, dulcibus, &c. pariter ut tota reliqua ſangvinis & ſeri maſſa, imprægnari atque corrumpi poſſunt. Unde etiam in diverſis ſubjectis, & pro diversô tempore, imò in eodem quandoque ſubjectô, tum ratione aſſumptorum, tum ratione ſtatûs ſani & morboſi, per Analyſin chymicam, aut per alia experimenta, Autores modo ſalinum, modò acidum, interdum etiam neutrum ſaporem in Salivâ obſervâſſe, talemque adhuc quotidie ab aliis obſervari, libenter concedimus. Siquidem Militis ſummè podagrici ſputa ad Tartari conſiſtentiam concreta in magnâ copiâ collecta Theodoro Kerckringio, ſecundum artis chymicæ dictamina eadem in elementa ſua reſolventi, primùm dederunt ſpiritum quendam inter ſpiritum Tartari & ſalis armoniaci quodammodo medium, acidiorem nimirum illô, hôc mitiorem. Oleum ab oleô Tartari

*in morbos â ſalia acria*

*Salivæ deſtillatio.*

Tartari vix potuit distingvi, tam exactè illud colore, fœtore & consistentiâ retulit ; nec sal ex capite mortuô extractum longè ab eôdem Sale Tartari abludit, nisi quòd sapore quodam extraneô infectus ingratam quandam stomacho peperit nauseam. vid. Theod. Kerkring. *Spicileg. anatom. Obs. 28. p. m. 66. seq.* Salivam salino-acidam & summè corrosivam in Infante Islebiensi, in cœteris optimè sanô, annotavit Ambros. Stegmannus; Applicatus scilicet hic puerulus, alterô post exclusionem die, mammillis maternis, adeò exulceravit illas, ut mater ob exqvisitissimum dolorem ad lactandum longè post inepta extiterit. Quod infortunium adhuc sex aliæ nutrices, una post alteram, expertæ sunt, quarum ad unam omnium mammillæ ita quoque fuerunt exulceratæ, ut nulla ultra tertium diem infantem lactare sufficiens fuerit. Et quod mirandum, in Infante nullum ullius exulcerationis vestigium apparuit. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 4. Obs. 106. p. 223. seq.* Vir quidam nondum triginta annorum Salivæ non solùm copiam inconsvetam in ore notavit, sed & tantam Salivæ acredinem persensit, ut æquè lingva, palatum & partes vicinæ, inde erosæ, ac lapides, in quos illam projecit, hinc inde excavati fuerint, juxta verba Viti Riedlini *Linear. medic. Ann. 1697. Mens. April. Obs. 7. p. 221. seq.*

*Saliva dulcis.* §. 17. Nonnunquam etiam, pro constitutione totius massæ humorum, Saliva alias qualitates præ se ferre observatur. Salivam enim adeò dulcem in Virgine annotavit Vitus Riedlinus, ut ipsa omnia Saccharô tincta & obducta firmiter crediderit, atque eidem ferendæ se parem ampliùs non esse dixerit. Vit. Riedlin. *l. a. An. 1695. Mens. August. Obs. 13. p. m. 242.* Aliud Salivæ saccharinæ exemplum observavit Olaus Borrichius in Ecclesiaste quodam, cœtera sanô & temperamenti sangvinei, qui Salivam suam jam diu ita dulcescere senserat, ut, licet ille acidis delectaretur, cum saccharô comparari potuerit vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 237. p. 426.* Post tumorem capitis & vultûs sputum dulce annotavit idem Borrichius in matronâ scorbuticâ. vid. Th. Bartholin. *Act. Hafniens. Vol. IV. Obs. 72. pag. m. 175.* & Theoph. Bonet. *Medicin. septentr. Lib. 2. Sect. 3. cap. 1. & 2. fol. m. 319. seq.* In Virô literatô, homine macilentô, hypochondriacô-scorbuticô, arthriticô, cogitabundô, post febrem tertianam, sputationem perpetuam & imprimis saporem cum nauseâ excessivè dulcem, ita ut, quæcunque assumeret potulenta vel esculenta, etiam acida, amara, intensè salsa, dulci tamen sapore ipsi imbuta viderentur, observavit Johannes Burgius. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obs. 172. p. 337.* Item post febrem tertianam, brevem quidem, in se ipsô saporem dulcem invenisse refert Salomon Reiselius. *ibid. An. 8. Obs. 58. p. m. 148.* ubi quoque in muliere post quartanam tertianariâ fastidiosam ejusmodi dulcedinem se notâsse ait. Ibidem etiam Monialis cujusdam Wormatiensis, quæ, post dulcium usum, per septimanas aliquot dulcedinem quandam ad nauseam usque in ore sensit, historiam recenset. Civis quidam Heilbrunnensis, cùm per scalas ruens occiput vehementer concussisset, curatus nihil aliud patiebatur insolitum, præterquam quod saporem nullum, nisi dulcem, quicquid etiam gustaret, perciperet, & imprimis in latere, ubi caput maxime læsum fuerat, juxta Johannis Matthæi Fabri observationem, *M. N. C. Dec. II. An. 9. Append. pag. 46.* Bina exempla Salivæ dulcis annotavit etiam Christianus Franciscus Paullini *Observat. med. phys. Cent. I. Obs. 81. pag. m. 96.* & quidem alterum de quodam amicô, qui circa plenilunium frequentiori & dulci prorsus sputo cum Catarrhis infestabatur; alterum de Mulieris Wismariensis extremè scorbuticæ gustu mellitô. Causam hujus dulcedinis Salivæ proximam juxta Theodorum Zwingerum *l. a. p. 442.* constituunt plura globulosa corpuscula, sed molliter aculeata, ex oleosis acidisque subtilibus, inter se peculiari ratione cum serô permistis, constantia, & liquori salivali immixta : hæc enim mol-

molliter fibrillas lingvæ nerveas titillando saporem præcisè dulcem animæ offerunt, &c.

*Saliva limpida.* §. 18. Color Salivæ, uti notum, est limpidus, oriundus â plurimis particulis aqveis aliisve ita inter se sitis, ut radii luminosi eô modô, quô in aquâ communi, nimirum cum refractione quadam resiliant, juxta eundem Autorem *l.c.p.373.* Bene tamen admonet Josephus Lanzonus *de Saliv. hum. cap. 1. p. 3.* limpidum hunc liqvorem colori & perspicuitati aquæ aliqvantulum cedere, cum lucis radii in Salivâ quam in aquâ paulò majorem subeant mutationem. Qvandoqve tamen aliis quoque coloribus tincta apparet. Sputum enim cœruleum spumosum & viscidum, ita ut quasi succò Cyani seu Indigô esset tinctum, in fœminâ observavit Salomon Reiselius *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obs. 87. Schol. p. 93.* Sputum coloris nigricantis & obscurè cœruleum in febre malignâ annotavit Johannes Francus *Herb. Alleluj. cap. 5. p. m. 322.* Ictericos Salivam seu sputum flavô colore tinctum rejicere, non tamen de amaritie conqueri, res nota est. vid. etiam Vit. Riedlin. *Linear. medic. An. 1697. Febr. Obs. 7. pag. m. 88.* ubi dicit, adeò haud rarò Icterum omne, quod in corpore humanô reperitur, serum, flavô colore tingere, ut non solùm tota cutis eôdem infecta conspiciatur, sed & talis è naribus mucus emungatur, ipsaque in ore Saliva tincta rejiciatur. In Sulpitio Tombesio morbô regiô laborante totus sangvis fuit luteus, excrementa lutea, lutea sputa, urinæ luteæ, annotante Brassavolo. v. Marcell. Donat. *Histor. med. mirac. Lib. I. c. 9. p. 74.* sputum flavescens in puero tredecim annorum vidit etiam Andreas Petermannus. v. ejusdem *Disput. de Icter. ex Calcul. Vesic. Fell. Lips.*

*rubicunda* *1696. habit. cap. 2. §. 6.* Incolæ Regionis Sinensis, Quantung dictæ, semper Salivam seu sputum rubicundum atque sangvineô colore tinctum ideò exspuunt, quia perpetuò folia Betel & Areka cum Calce parata in ore habent, eademque mandunt; unde Saliva hanc tincturam contrahit, uti refert Johannes Neuhof *Itinerar. Sinic. p. m. 47.* Tam ratione colo- *lactea* ris, quàm consistentiæ huc etiam referri potest exemplum Mulieris, post fœtûs ablactationem salivam lacteam habentis, vid. Joh. Dolæi *Epistol. 2. ad Waldschmied. p. m. 57.* vid. etiam Ant. Nuck. *Sialograph. cap. 2. p. m. 49. seq.*

§. 19. Ratione Consistentiæ Saliva in statu præternaturali *Salivæ consistentia calcea.* non modò nimis viscida, sed quandoque etiam calcea evadit, siquidem Salivæ, podagrici cujusdam militis, Calcis consistentiam acqvirentis exemplum paulò antè ex Theod. Kerkringii *Spicileg. anatom. Obs. 25. pag. m. 66.* adduximus; Et Rosinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 160. Schol. p. m. 311.* Medici cujusdam meminit, qui dum seriò & diutiùs locutus est, Salivæ guttas quasi per Siphonem eructavit, quæ continuò in albissimam calcem concreverant. Quandoque etiam Salivam viscidam in ipsis ductibus salivalibus vel circa eorum orificia in concretum lapidosum magis minusve durum abire, testantur Exempla Calculorum sub & in lingvâ repertorum, quorum non pauca apud Autores Medicos occurrunt. Tales scilicet Lapillos sublingvales bis observavit Gerardus *Calculi sublingvales.* Blasius, & quidem unicum in Chirurgô quodam, postquam tuberculô satis notabili eoque dolorificô per aliquot dies laboraverat, rupto eô se exhibentem; plurimos verò successivè se manifestantes, sic ut in locum ejus, quem extraxit Chirurgus, illicò alius succederet in Juvene quodam. vid. Gerard. Blasii *Observat. anat. in Homin. p. 119. & Obs. med. p. 81.* ubi dictus Autor de ipsorum ortu dubitans determinare non vult, an hi Calculi in ductu salivali, an verò in glandularum poris hæserint; qvamvis priori magis accedat, cum præprimis dicti lapides albicantes, inæquales, teretes, porosi fuerint. Calculum subter lingvam prosilientem cum pluribus minoribus subseqventibus annotavit Rosinus Lentilius *vid. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Append. p. 91.* Et *ibid. Obs. 242. pag. 573.* Vitus Riedlinus Calculum sublingvalem magnitudine fabam minorem

norem æquantem, cæteraque exactè cum illis, qui per vesicam excernuntur, convenientem a Chirurgô extractum communicat. Olivæ majoris magnitudine Calculum ex tumore sub lingvâ extractum in mercatore Genevensi observavit Emanuel König v. *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obs. 116. p. 210.* Chirurgus Gorticensis in fœmina, diù tumorem sub lingvâ summè dolentem cum loqvelæ difficultate conjunctum sustinente, binos lapillos forcipe prehensos extraxit porosos, albicantes, fabæque minoris magnitudinis, referente Ehrenfrido Hagendornio *Histor. med. physic. Hist. 71. p. 105. seq.* Sub lingvâ Tibicinis in tumore aperto calculus bina pisa magnus teresque cum are facta atque ex corticata Lauri baccâ similitudinem habens, repertus atque delineatus est à Johanne Kentmanno *de Calcul. Obs. 3. p. 3. sq.* Lapides duos, rugosos & quasi arenulis acutis constantes, quorum unus nucem juglandem æquavit, alter verò eandem superavit, Chirurgus Castrensis cuidam extraxit, v. Pet. Borell. *Obs. med. Cent. 2. Obs. 17. p. 122.* Calculum oblongum sub lingvâ post diuturnos cruciatûs prodire vidit Felix Platerus *Prax. Tom. II. cap. 7. p. 284* E glandulosa illa carne, quæ lingvæ subjecta est, exemptos lapides se vidisse refert Franciscus Tidicæus *Microcosm. Tract. 6. p. m. 417.* Plura ejusmodi exempla Calculorum sub & in lingvâ repertorum in nostra c. D. edenda Lithologiâ recensentur. Pro causâ autem Calculorum sublingvalium Lympham viscidam, à quâ Ranula ortum sumit, agnoscit Johannes Baptista Verduccius dans la Svite de la Pathologie de Chirurgie *cap. 14. p. m. 746.* his verbis: La Tumeur, que l'on appellelle Epenavilette, n'a point d'autre cause, qu'une limphe epaisse, qui s'est arretée en passant avec le sang, dans les petits Vaisseaux, qui sont sous la langue. Cette lymphe devient semblable à du blanc d'oeuf; la quelle matiere se petrifiant quelque fois, il se forme des petites prierres, que l'on trouve sous la langue, sur tout lorsque les particules les plus subtiles de cette limphe s'etant evaporées par l'insensible transpiration, il ne reste que des particules terrestres, qui ont des figures propres à s'embarrasser ensemble, pour faire un corps dur; & comme toutes ces particules demeurent fort long temps en repos, elles ont le temps de se petrifier. Annon autem etiam ejusmodi Calculi a Salivâ lentescente atque in ductibus salivalibus vel circa eorundem orificia stagnante, derivari possint, nullus dubio, cum præsertim juxta Theodor. Kerking. *Spicileg. anat. Obs. 28. p. 66. seq.* in quodam podagrico sputa materiæ podagricæ seu Calcis consistentiam acquisiverint, ut Kerkringius ingentem sputorum ad Tartari consistentiam concretorum copiam colligendam curaverit.

§. 20. Non autem solummodò particulas terrestres & calculosas, sed subinde etiam animalcula seu vermiculos in Salivâ annotârunt Medici; Salivam enim verminosam in adolescente quodam Bononiensi octodecim annorum Lue venereâ infectô observatam legimus in Christ. Franc. Paullini *Observ. med. physic. Cent. 2. Obs. 58. p. m. 222.* Et *Cent. 4. Obs. 10. p. 415.* aliud exemplum extat de Richburgi Comitissâ ab Oldenhusen, sorore religiosâ, in cujus sputô, ore rejectô, vermiculi albi, ut in caseo, manifestè visi sunt. vid. etiam *M. N. C. Dec. II. An. 4. App. p. 195.* it. *An. 5. App. pag. 26.* Salivam vermiculis scatentem Scorbuticus quidam exspuit, teste Johanne Dolæo *M. N. C. Dec. I. Ann. 9. & 10. Obs. 130. pag. 305.* & Theophil. Bonet. *Medicin. Septentr. Lib. 2. Sect. 3. cap. 3. fol. m. 320.* De Sputô verminosô in vetulâ decrepitâ tota scorbuticâ, vid. Chr. Franc. Paullin. *de mort. verminos. §. 38. p. m. 76.* *Verminosa.*

§. 21. Quantam denique Salivæ copiam in statu naturali constitutus homo unô die secernat, non adeò liqvet; & quamvis Josephus Lanzonus *Dissertat. de Saliv. human. cap. 2. pag. m. 38. seq.* scribat; ad quantitatem diurnam in humanô corpore seu in viro adultæ ætatis, salivalis humoris in statu naturali duodecim horarum spatiô uncias decem aut libram unam *Salivæ quantitas*

unam integram Salivæ secerni, cujus tamen salivalis humoris pars exspuatur, & alia pars deglutiendô Ventriculo tradatur atque cum cibis misceatur; vix tamen ab omnibus tanta Salivæ quantitas in statu sanô expectanda erit; interim in statu morbosô quandoq; majorem, quandoque minorem Salivæ copiam, interdum etiam nullam planè ipsius secretionem observari concedimus. In statu scilicet præternaturali, *magna,* interdum etiam naturali, immoderata Salivæ secretio nimisque frequens excretio seu Ptyalismus observatur; quali Ptyalismô singulari atque molestô laboravit vir quidam nobilissimus in Daniâ; quotiescunque enim cibum sumsit, aut quamprimùm cibi orditus est masticationem, adeò copiosè sputavit, ut sputi torrentem ante pedes stagnare crederes; finitô autem prandiô statim cessavit Ptyalismus. vid. Thom. Bartholin. *Histor. medic. Cent. 3. Hist. 77. p. m. 153.* Refert etiam Johannes Nicolaus Binningerus *Observ. medicin. Cent. 1. Obs. 10. pag. m. 12.* se sputatione ferè continuâ dierum aliquot sequelâ correptum fuisse, noctu ita invalescente, ut, dum decumberet, ex ore reclinatô stillârit aqua limpidissima, insipida, ac si è gutturniô indefinenter decideret. Id quod à pravâ concoctione, pedumque refrigeratione deducit. Ptyalismum etiam frequentem observavit Baldasser Timæus à Güldenklee *Lib. 3 cas. 4. p. m. 114.* De Studiosô, qui lingvam manè attollens lympham copiosam, rivuli instar, extra os profundebat, vid. Thom. Bartholin. *Epistol. medicin. Cent. IV. Epist. 27. p. m. 116.* Fœmina nobilis quadraginta quinque annorum, temperamenti phlegmatici, per octo menses Ptyalismô vexabatur, ita ut nonnunquam, ubi per horæ spatium sedebat, materia exscreata in terrâ vel pavimentô flueret, cui insignis capitis dolor cum hebdomadali ferè alvi Obstructione conjunctus fuit; â quô tamen malô unà cum molestis alvi obstructionibus postmodum, potu Cerevisiæ Naumburgensis, liberata immunis evasit. v. Theoph, Bierling. *Thesaur. theoret. pract. Cas. 65. p. m. 851.* Cujus-



modi exempla sæpissimè occurrunt, imprimis in Scorbuticis & Hypochondriacis, qui vulgò sputatores audiunt. Salivationem artificialem seu largiorem Salivæ profluxum in Cane observare licet, si venæ jugulares, subductô iis filô, arctè ligantur; hôc enim modô post aliquot horas partes omnes supra ligaturam mire intumescunt, atque per duos dies non solùm lacrymæ copiosiùs fluere, sed & plurima Saliva ex ore profluere solet, non aliter, quàm si Mercuriô assumptô fluxus ille concitaretur, juxta Observationem Richardi Loweri *Tr. de Cord. cap. 2. p. m. 124.* vid. etiam Mangett. & le Cleri *Biblioth. anatom. Tom. II. fol. m. 99.* vid. etiam *seq. Capit. §. 5.* & Anton. Nuck *Sialogr. cap. 2. p. 26.* Ptyalismum vehementissimum in seipsô annotavit Thomas Mermannus, hypochondriacus, *Consultat. & Respons. med. Lib. I. Consult. 10 fol. m. 33.* ad Amicum ita scribens: Ptyalismus seu Saliva mihi alioquin familiaris usque adeo aucta est, ut vix, donec sex vel octo verba proferantur, intermittat, mihique tantum non vitæ tædium afferat; noctu enim & somnum prohibet & obrupente illô ad tracheam defluit, subitæ strangulationis periculum ac metum adducens. Inde pectoris angustia, respiratio difficilis ac densa, quæ rascatione validâ ac longâ, paucæque pituitæ crudæ, vitreæ, tenuissimæ rejectione mitescit; perdurante interim Salivæ, seu aqvei humoris spuitione nunquam intermissâ, ac supra modum molestâ ac intolerabili. Plura de Salivatione critica vide infra *p. 38.*

§. 22. Defectûs Salivæ exemplum refert Petrus Borellus *Salivæ defectus.* *Cent. 2. Obs. 68. p. m. 167.* de Medico quodam Milhavensi, qui nunquam sputum neque mucum ejecit, licet temperamentô pituitosô & obesô esset, & tamen optimâ frueretur sanitate. Cujus Salivæ planè deficientis causa proxima à secretione ejusdem in suis glandulis penitus inhibitâ derivanda videtur. Interdum etiam tubulorum salivalium compressio Salivæ in os influxum impedit, quale exemplum annotavit Antonius Nuck

Nuck. *de duct. Salival. nov. cap. 3. p. m. 76.* Ductus, inquiens, salivales â tumore compressos nuperrimè in puellâ undecim circiter annorum observare licuit; huic â tumoribus, ductus salivalis sinistri lateris, tam superior, quàm inferior in tantum comprimebatur, ut transituræ Salivæ via præcluderetur, & ægra os in totum ferè aridum haberet, adeò ut Salivæ pauxillum tantùm Ventriculo per deglutitionem tradere posset. Franciscus II. Rex Galliarum, per nares mucore nunquam emissô, rarò per os screatu purgabatur, decumbente interim in auriculam excrementorum colluvie, uti ex Thuano refert Johannes Jonston. *Thaumatogr. Class. 10. cap. 5. Art. 2. pag. 465.*

## CAPUT II.

### DE

## SALIVÆ FONTIBUS.

§. 1.

*An Saliva è Ventriculô ascendat?*

SCaturiginem Salivæ Veteres equidem Autores ex Vaporibus è Ventriculô ad Caput adscendentibus, ibidemque resolutis derivabant; quibus ex recentioribus annumerari poterit Renatus Cartesius, qui *Tractat. de Homin. §. 11. pag. m. 15.* Vapores facilè per Oesophagum in os ascendere atque ibi Salivam componere posse scribit. Hunc tamen Cartesii errorem refutat Daniel Tauvry *Anat. renov. Part. 1. cap. 1. p. m. 8. seq.* ubi eum simul excusat, si Cartesio, inquiens, hæ scaturigines Salivæ innotuissent, nunquam sibi imaginatus fuisset, eam ex vaporibus è Ventriculô ascendentibus & in Palatô condensatis oriri, imprimis si consideràsset orificium Stomachi â Sphinctere perpetuò exactissimè clausum teneri. Nimis enim erectæ erat indolis, quàm ut in tantô errore perseverare potuisset, si naturam filtrationum seu secretionum agnovisset. Et Theodorus Craan *Tr. de Homin. cap. 3. p. m. 7.* Cartesio hunc errorem pariter facilè condonat, quia non exactus Anatomicus nec Medicus, sed tantum Philosophus fuerit; Idemque Autor *Oeconom. animal. Part. I. quæst. 4. p. m. 4.* sententiam Veterum, qui Salivam à vaporibus ventriculi in ore coagulatis derivârunt, seqventibus rationibus refutat; primò quia nulla adest causa, quæ istos vapores in ore sisteret, quod plerumque est apertum, atque si non per os; saltem per nares abirent. Secundò, quia sæpe rivuli quasi Salivæ ex quibusdam hominibus profluunt, Deberet enim iste Ventriculus in immensum vaporibus extendi, cùm, juxta Calculum Mathematicorum, unica gutta in vapores resoluta trecies millies majus occupet spatium, quàm ante; Ita autem expandi Ventriculum absurdum sit. Tertiò, quia Salivæ projectio est voluntaria, quotiescunque leniter comprimuntur maxillæ, tale autem imperium nobis in nostrum Ventriculum non est.



*An à nervis?*

§. 2. Alii Salivæ originem à Nervis eorumque succô derivant; e. g. Thomas Whartonus *Adenograph. cap. 21. p. m. 122. seq.* inquit; Inquirendum est, è quibusnam partibus & per quas vias hic humor in glandulas salivales derivetur. Credibile est, è nervosô genere profundi, siquidem Corpora tum humidiora, tum sicciora (modò hypochondriaca) Salivam copiosiùs exspuunt: Illa, quòd eorum nervi quoque superfluâ humiditate madescant, hæc per consensum nauseantis Ventriculi. Etenim nervus sexti paris, cujus magna pars in Ventriculum disseminatur, origine haud longè distat à nervis ad has glandulas delatis: unde nervi maxillares facilè per consensum cum inordinatô motu ejusdem sexti paris excitantur ad consimilem motum moliendum, & copiosas humiditates in maxillares glandulas exprimunt &c. Vult itaque Whartonus, ideò Salivam è nervis in istis glandulis prolici, quia nervi copiosissimè istis glandulis sint immixti, motui

motui autem non, & ſenſui parumper inſerviant; deinde quia arteriæ copioſo illi liquori ſint improportionatæ &c. Prolixè etiam Salivam à nervis derivat Johannes Muraltus *Clav. medic. Exercit. 2. §. 3. pag. 40. ſeq. & §. 9. pag. 56. ſeqq.* Salivam à nervis & arteriis apportari ſtatuit Johannes Cornelius Weber *de Liquor-ſtyptic. p. m. 45.* Nervos, inquiens, hôc in negotiô arteriis auxiliatrices manûs præbere, propria cujuslibet confirmat experientia; per delicatius enim appoſitum ferculum Saliva copioſius movetur, quem motum ſpiritus animales promovent.

*negatur.* §. 3. Adductis autem Thomæ Whartoni argumentis reſpondet Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. 1. cap. 3. p. m. 56. ſeq.* verum eſt, inqviens, quod nervuli ſint in his glandulis copioſi, ſed aliâ ratione, nempe ne ille humor tantopere neceſſarius deficeret, ideoque ipſius ſecretio ferè continuò fit, hac de re glandularum fibræ ferè ſemper tenſæ remanent: Circa ductum ſalivarem nervi ſunt numeroſi & craſſi, ipſumque comitantur, ſed alteri uſui dicati; (nam cum ipsô non aſſociantur) ſunt enim veluti Spirituum promptuaria, ad nervos loquelæ aut maſticationis deſtinata, atque ob continuum ferè motum plurimi nervi ſunt neceſſarii. Ad ſecundum argumentum dicit idem, arteriarum ramulos ſufficientes eſſe, ut liquor ille in hac copiâ effundatur, cùm ſangvinis motus ſit in arteriis maximè rapidus, præcipuè dum pars ſui effluit & ſecedit, ſicut in glandulis accidit. Iſtiusque quantitati minùs nervos, quamvis copioſos, proportionari, cum cavitates tam exiguas habeant, ut potiùs ſolida, quàm excavata, corpora judicentur. Ad tertium regerit, Hypochondriacos Salivam copioſiùs emittere, non quòd nervos habeant aliis humidiores, ſed quia in eorum ſangvine eſt fermentum acidum ſangvinem diſſolvens & liquans, ideo copioſiorem Salivam progeneret, &c. vid. etiam Benjam. Broeckhuyſ. *Ration. Philoſoph. med. cap. 19. pag. m. 231. ſeq.* Joh. Broen *de duplic. Bile Veter. cap. 10. §. 6. p. 138. ſeq.* Anton. Nuck *Sialograph. cap. 1. p. m. 4.* Sic Theodorus Zwingerus *l. a. p. 370.* ita ſcribit: Whartonus in ſuâ Adenographiâ pluribus argumentis probare conatus eſt, ſuccum nerveum Salivæ propiorem materiam præbere, indeque eſſe, quòd in largis ſalivationibns nervi admodum exſiccentur; quòd plures nervuli in glandulas ſalivales abeant, & quòd arteriæ tantam Salivæ copiam, quantam in os depluere cernimus, exhibere minimè valeant. Equidem largimur hoc, Nervos aliquid ad Salivæ liquorem, ac ejus imprimis juſtam ſecretionem contribuere, ſed tamen hucusque nondum ſufficienter demonſtratum credimus, ſolum illud per nervos decurrens fluidum Salivæ liquorem efficere, qùando non raro vidimus, Hemiplecticis (quibus nervi ex alterâ parte ſunt obſtructi & reſoluti, ut ſpiritus animales, vel, ſi mavis, nerveum ſuccum nullum præbere valeant) plus Salivæ è paralyticô latere, quàm ex ſanô emanaſſe. Quando item clarô nobis conſtat experimentô, jugulari venâ in collô ligatâ ſicque reditu ſangvinis ibidem prohibitô, Salivam eô latere in os copioſiorem depluere, ac inſimul lacrymas ex oculo ſpontè, citra aliam cauſam manifeſtam, profluere; certisſimô argumentô, ex humorali maſsâ, & è vaſis ſangvineis Salivam magis, quàm è nervis provenire. Juxta hæc ſucci illius nervoſi exiſtentiam, ab Anglis quibusdam Medicis nullâ urgente neceſſitate in Scholas introductam, prorſus in dubium vocamus, & non niſi ingenioſum figmentum eſſe credimus. Hæc Zwingerus. Porrò Regnerus de Graaf *de ſucc. Pancreat. cap. 2. Oper. pag. m. 526. ſeq.* rationibus & experimentis monſtrat, ſpiritibus equidem animalibus vehendis deſtinatos eſſe nervos, non autem ejusmodi humori, cum nullam in nervis cavitatem aut ullum liquorem potuerit cognoſcere, qualemcunque eum in finem diligentiam adhibuerit &c. Quamvis proinde, ſecundum ſupra allegatos Autores, ſpiritus in Saliva hujusque largiorem effluxum nervis expectemus, minimè tamen ipſos pro fontibus

bus seri seu partis aqueæ in Salivâ agnoscimus, cum hucusque succum nerveum non adeò clarè demonstrare licuerit. Interim tamen spirituum in Salivâ præsentiam minimè negamus, de quibus Capite primô.

*an à Vasis lymphaticis?* §. 4. Alii Salivam à Vasis lymphaticis expectant; ita scilicet, ut è dictis Vasis in glandulas & ex his in os effundatur. v. Casp. Theoph. Bierling. *Thesaur. theoret. pract. Cas.* 65. *Schol.* §.5.*p.m.*855. item Theod. Craan *de Homin. cap.*3. *pag.* 8. Cùm verò hæc Vasa lympham à partibus versus Cor, non autem à Corde ad partes vehant, uti ex ligaturis & valvulis demonstrari potest, hanc etiam opinionem rejicit Antonius Nuck *l. a.* Præterea etiam Vasa illa lymphatica in glandulas salivales se exonerantia nondum sunt demonstrata, ideoque lympham in glandulas non infundunt, sed in his confectam eliciunt & assumunt ad alias partes referendam, vid. Isbrand. de Diemerbr. *Anatom. Lib.*3.*cap.* 24.*fol.m.*435. & Frieder. Hoffmann. *Disp. alleg.p.* 6.*seq.* Neque etiam à Ductibus chyliferis, secundum nonnullos, deduci potest humor salivalis, quia juxta Joseph. Lanzon. *de Saliv. human. cap.* 2.*pag.m.* 23. Vascula chylifera eousqve non excurrunt, & quia chylus, si eò deferretur, ad majorem perfectionem excoqui, sicut fit in Mesenterii glandulis, non verò in alium minùs alimentarem & solummodò salivalem humorem ibi immutari deberet.

*an ex sangvine arterioso?* §. 5. Rectiùs plerique recentiorum non sine ratione Salivam ex sangvine & quidem arteriosô derivant; Quippe sicuti Arteriæ in totô corpore omnibus partibus, ita quoque glandulis nutritium sangvinem advehunt, in quibus serosior ejus pars pro differentiâ viscerum & glandularum differentes etiam particulas pro variis liquoribus deponit; ita etiam, ubi sanus sangvis arteriosus, variæ figuræ & quantitatis particulis constans, sive per subsequentis sangvinis propulsionem, sive per partium adjacentium pressuram ad glandularum salivalium angustissimos tubulos pervenit, tunc in iisdem secundum eorun-



eorundem figuram atque dispositionem certa ipsius serosior atque utplurimum subsalsa vel insipida pars, quæ salivalis humoris nomine venire solet, â reliquâ massâ separatur ac percolatur. De hac Salivæ secretione ita loquitur Stephanus Blancardus *Institut. medicin. cap.* 7. *Oper. Tom. I. p.* 207. Qvemadmodum in Cerebrô succus nervosus secernitur, ita â glandulis circa tempora, quæ in ore sunt, &c. alius sequestratur liquor, qui Saliva vocatur. Quando enim Arteriæ hisce glandulis approximantur, earum ramuli sensim sensimque tenuiores fiunt, ut ejusmodi particulas admittant, ex quibus Saliva constituitur, & quicquid ab illis tubulis non accipitur, per laterales venas ad cor regyrando recurrit, & quicquid Salivæ secretum per varios ductus in os fluit. Et Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. I. cap.* 8.*p.m.*55. inquit: Liquor ille segregatur, modô glandulis consvetô, nempe â ramulis arterialibus sangvis effusus, antequam â venulis absorbeatur, salivalis succus simul cum sangvine advectus poros in ipsâ glandulâ magnitudini figuræque suarum partium aptatos reperiens, per eos aut in canales decurrit, ut salivales, aut statim per foraminula erumpit, ut sublingvalia. Circa hanc Salivæ secretionem pariter ita sentit Josephus Lanzonus *l. a. cap.* 2.*p.*36. hanc scilicet salivares glandulas filtrare & â sangvine separare. Quemadmodum enim partes diversis â se invicem gaudent poris, ita quoque diversi generis liquores filtrant; hinc sangvis arteriosus ex variæ figuræ particulis constans in salivales glandulas delatus vel â partium ambientium pressione, vel a subseqventis sangvinis protrusione ulterius impellitur, donec perveniat ad angustissimos glandularum canales, ubi poruli adsunt diversæ figuræ, quorum aliqui unius generis particulas, alii alterius generis sunt apti suscipere, unde salivalis liquor porulos ductum salivalium ingreditur, lymphaticus autem ductûs lymphaticos subit; reliqua verò massa, cujus particulæ ejusmodi

di conditiones non tenent, per patentiores vias, venas ſcilicet, transmittitur. Non tamen, quod ſit putandum, Salivam & lympham omnem tunc â ſangvine ſeparari; nam mediante rapidô ſangvinis motu multum lymphatici & ſalivaris humoris cruori remanere permixtum, & cum reliquô ſangvine cor verſus per venas tendere, ut ſic iterùm circulandô nova Salivæ materia glandulis poſſit communicari, dicendum eſt; Qvod ut clarè pateat, exhibet nobis experimentum apertisſimum celebris Nuck; ait enim, hoc ex eô conſtare, quod venarum glandulis ſalivalibus contiguarum ligatura nobis copioſiorem affert Salivæ ſecretionem; ſangvis enim tunc circulô impeditô â ſangvine retrofluente, plures ac ferè omnes tali modô figuratas particulas deponit, in ſalivales ductûs mittendas. Reqviritur ergò legitima partium, pororum & particularum proportio, ut Salivæ ſeparatio procedat; Sangvis enim cum conſtet ex corpuſculis quantis & figuratis, quæ per proportionata tantùm foramina poſſunt transire, non autem per illa, quæ diversâ gaudent configuratione, hoc illudve fluidum in cruore contentum, vel excipietur, vel excludetur, juxta diverſam figuram recipientis poroſitatis & ingredientis particulæ; Quod etiam docuit Johannes Bapt. Scaramnecius. Idque manifeſtè jam conſtat ex Obſervatione ſudoris; per Cutis enim foramina ſeu poroſitates ſudores tantummodò, non reliquas ſangvinis partes emanare conſpicimus; ſic pariter in hepate ſeparatur bilis, in renibus ſerum, &c. Hæc Lanzonus.

*juxta Lanzonum* §. 9. Liceat autem ex Antonii Nuckii *Sialographiæ cap. 2.p.25.ſeqq.* non modò allegatum â Lanzonô experimentum, ſed etiam reliqua verba, quibus Salivæ ſecretionis modum explicat, repetere. Inquit nimirùm iisdem ferè verbis: Sangvis arterioſus variæ magnitudinis & figuræ particulis conſtans, in glandulas has delatus (ſive illud fiat à ſubſeqventis ſangvinis protruſione, ſive partium ambientium preſ-

ſione



ſione,) ulteriùs propellitur, donec pervenerit ad anguſtisſimos glandularum canaliculos, ubi tum poruli occurrunt, diverſæ ab invicem figuræ & diametri, quorum hi uniùs, alii alterius generis particulas ſuſcipere apti nati ſunt; Salivalis humor porulos ductuum ſalivalium, lymphaticus verò, particulis conſtans magis flexibilibus, ductûs lymphaticos ſubit; Reliqva autem maſſa, cujus particulæ ejusmodi conditiones non habent, per patentiores vias, Venas ſcilicet, transmittitur; non tamen quòd ſtatuendum ſit, omnem humorem ſalivalem & lymphaticum â venosô ſangvine tum temporis ſeparari, ſed neceſſum fuit, motu ſuô rapidô, multum ſalivalis & lymphatici humoris ſangvini remanere permixtum, & cum reliquô ſangvine, moram ibidem non nectente, Cor verſus tendere, ut ſubſeqventibus ſangvinis circuitibus nova iterum materia ſuppeditari poſſit. Rei hujus veritas vel ex eô conſtat, quod venarum harum ligatura copioſiorem nobis dat Salivæ ſecretionem; Sangvis quippe tunc circulatione impeditâ, ab arterioſô ſangvine, â tergô arietante, omnes tali modô figuratas particulas deponit, in ductûs ſalivales transmittendas. Pro cujus conformatione varia poſſent adduci experimenta; ſed unicum inſtar multorum erit: peritioribus Anatomicis cognitum, Venis jugularibus, ſubductô filô in Cane arctè ligatis, non ſolùm lachrymas copioſiùs prodire, ſed & Salivam tam copioſè profluere, ac ſi Mercuriô aſſumptô fluxus ille excitaretur; quod non aliunde, quàm ab impeditô ſangvinis ab arteriis in venas circuitu. Interim Separatio hæc, ut legitimè procedat, varia particularum & pororum reqviritur proportio; numquid manifeſtum ſatis, confuſam miſcellam Granorum Milii & Hordei commodè per cribrum ſeparari? Per Corii & Ligni poros Aqva tranſit & Oleum, minimè tamen Äer. Abdomen cujusvis animantis Bruti ope Siphonis per proceſſum peritonæi, aqvâ qvadam diureticâ

e. g.

e. g. Tinctura Theæ, si repleatur & distendatur totum, viginti quatuor intra horas per insensibilem transspirationem aqva omnis dissipatur; si verò abdominis cavum äere summè distendatur, per aliquot dies äerem tamen ibidem remanere experientiâ didici. Auri porositas Mercurium admittit, qvæ tamen Aqvam, Oleum & Äerem arcet. Aqva fortis Argenti porositates penetrabit, non verò Auri; eidem Aquæ forti, si sal ammoniacum admisceatur, figuras hujus aqvæ corrosivæ in tantum commutabit, ut econtra per Auri quidem ductûs, non verò ampliùs per Argenti canaliculos penetrare valeat. Sangvis itidem cùm non constet ex particulis indivisibilibus sed ex corpusculis qvantis & figuratis, qvæ per proportionata tantum foramina transire possunt, non verò per ea, quæ diversâ figurâ excavata sunt; hinc iste sangvis ob pororum & particularum diversitatem, hoc illudve fluidum, qvod in sangvine continetur, aut excipietur, aut excludetur; signô namqve evidentissimô patet, per cutis poros sudorem, non verò sangvinem, cui primò commistus erat, penetrare; in cerebrô spiritûs, in mammis lac, in hepate bilis, in renibus serum, in testibus semen separatur, & in venas sangvis transit. Dum liquata cera rubicunda mediante Siphone in vas aliquod aut arteriosum aut venosum injicitur, prout in hisce ductibus varii occurrunt pori, sæpius contingit, ut per has vias rubicunda, per illas alba, per alias iterum flavi coloris cera secernatur, cum tamen antè tota massa rubicunda fuerit. Hactenus Nuck. vid. etiam Dan. Tauvry *Anatom. Lib. I. cap. 1. p. m. 5.* & Christ. Vater. *Physiolog. experiment. Sect. 7. cap. 25. p. m. 614.*

*secundum Zwingerum* §. 7. Theodorus Zwingerus *Fascicul. Disput. medic. Disp. 8. §. 11. 12. p. m. 377.* materiam antecedentem Salivæ propiorem statuit esse non fibrosam vel grumosam, sed potiùs serosam arteriosi sangvinis portionem, quæ postquam per ramos



mos â Carotidibus numerose dispersos ad glandulas salivales, beneficiô circulatorii motûs delata est, ibidem à reliquâ massâ in tubulos salivatorios secernitur. Et ad demonstrandam veram humoris salivalis elaborationem, seqventia præsupponit: 1) Corpuscula Salivæ liqvorem componentia in sangvine arteriosô jam præparata existere, dum ad glandulas salivales appellunt, neqve ibidem ulteriore mutatione indigere. 2) In glandulis hisce talem existere minimarum arteriolarum structuram, ut in extremitatibus suis, vel, si mavis, appendicibus, quibus cum extremis venulis coëunt, plures laterales ac pervios obtineat poros sive foraminula. 3) Istis poris aut foraminibus lateralibus undiquaque appensos â naturâ esse canaliculos sive tubulos, excretorios dictos, qui tandem in unum communem ductum coëunt. 4) Foraminula illa certam amplitudinem atque conformationem obtinuisse, ut præcisè corpusculis salivalibus, & non aliis transitum concederent. Hisce sic præsuppositis statuit & asserit firmiter, Salivæ productionem non esse quid aliud, qvàm secretionem corpusculorum, Salivam constituentium, ex sangvine arteriolarum, ad Glandulas salivales dispersarum, hancque secretionem per modum simplicis transcolationis fieri. Transcolatio autem contingit, dum in motu sangvinis per arterias gutta guttam trudit, tandemque ubi ad minimos canaliculos pervenit, inibi è presso sic, tum â vasculorum angustiâ, tum â guttulis novis jugiter inseqventibus, latice sangvineô particulæ salivales per supra dicta foraminula patentia exprimuntur, reliqvâ interim portione sangvinis, haud interruptô motu, in venularum appendices profluente, sicque paulatim ad Cor revertente. Denique circa hanc Salivæ à sangvine secretionem nonnulli fermentum aliquod occurrere credunt, vid. G. Wolffg. Wedel. *Physiol. Sect. 3. cap. 23. p. m. 174.* alii tamen solam glandularum structuram Salivæ separandæ idoneam, nec fermento peculiari,

 dia-

diacrisin adjuvante, opus esse statuunt. Ubicunque enim transitus est momentaneus & humor moram nullam nectit, fermentatio concipi non potest. Ergo præter necessitatem entia multiplicat, quisquis in angustos talismodi meatûs fermenta collocat, juxta Frid. Hoffmann. *Disput. de Saliv. & ejus morbis cap. 2. §. 4. p. 7.*

*Salivæ fontes sunt glandulæ.*

§. 8. Fontes itaque Salivæ, ex quibus irrigatur os, sunt plurimæ glandulæ, quarum ingentem numerum sub nomine tonsillarium, maxillarium, Parotidum, jugularium, thyroidæarum, buccalium, palatinarum & œsophagæarum recenset Georgius Baglivus *de Fibr. motric. pag. m. 197.* Et juxta Joh. Gothofr. Bergeri *Physialog. cap. 16. p. m. 234.* in Canalis alimentorum introitu & ostiô lympha salit non unius generis, sed alia aliam tenuitate superans, eaque ex pluribus arteriarum Carotidum propaginibus per glandulas peculiares ore comprehensas, nimirum basilares, laterales, buccales, sublingvales, labiales, uvulares, palatinas ut & tonsillas, tanquam perennes fonticulos, in cavum illius effunditur. Harum scilicet Glandularum salivalium aliæ in ipsâ Oris cavitate reconduntur, aliæ verò remotiùs seu foràs adjacent, serumque in ipsis filtratum per certos canales seu ductûs ad oris cavum infundunt. Illius generis sunt pleræque hactenus recensitæ, quò pertinet etiam tunica illa, quâ tota oris & faucium regio tegitur, innumeris glandulis referta, ex quibus continuò mador salivalis transsudat; hujus verò generis sunt glandula Parotis, maxillares internæ & glandula intra orbitam oculi sita, qvarum omnium descriptionem reperies in Johann. Bohnii *Circul- anatomico-physiolog. Progymn. IX. pag. m. 135. seq.* qui etiam ad fontes salivales remotos refert 1) Auris Concham, ex quâ Canalis cartilagineus, seu Aquæ ductus Fallopii, aurium humiditatem serosam partim ad palatum, partim ad nares advehit. 2) Ductûs lacrymales, à duplici oculorum glandulâ inter palpebras hiantes, è quibus



bus stillans humor ordinariè per puncta lacrymalia & in illis continuum Canalem ad nares derivatur. 3) Glandulas sub narium tunicâ latentes, quarum serositas cum oculorum lymphâ demum per patentes satis meatûs ponè dentes incisores ad palatum deponitur. vid. etiam Stephan. Blancard. *Institut. med. cap. 7. Oper. med. Tom. I. pag. m. 207.* ubi ipsissima allegati Bohnii verba ad paginas ferè duas, sine Autoris mentione exscriptas reperies. De his Salivæ fontibus ita scribit Casparus Bartholinus, Thomæ filius, *Specim. Histor. anat. cap. 2. p. m. 33. seqq.* Fontes Salivæ sunt vel remoti, vel proximi. Remotos Salivæ fontes vocamus glandulas oculorum & narium, quia humor in illis secretus per vias ab oculis in nares & à naribus in os patentes, derivatur intra oris cavitatem. Proximi Salivæ fontes sunt vasa salivalia, quæ oris cavitati Salivam subministrant & Vasa excretoria in os emittunt, orta à glandulis circa oris cavitatem sitis, atque sunt duûm generum. Quædam enim Vasorum salivalium minora sunt, nec confluunt in majores ductus, sed à plurimis minutissimarum glandularum glomeraminibus oriuntur, & hæ glandulæ dispersæ sunt per totam buccarum tunicam interiorem, imò & ad latera lingvæ, ubi emittunt Vasa, sublingvalia dicta, & ejusmodi etiam vasorum foraminibus tota Palati tunica pertusa est, quæ pressa humorem eructant. Vasa verò majora, quæ à glandulis conglomeratis unicô prodeunt Canali, utrinque tria occurrunt, unum superius, quod à glandulâ parotide conglomeratâ ortum in mediam buccarum regionem desinit; duo autem inferiora, quæ utrinque sub lingvâ, prope frænulum peculiari quælibet ostiô aperiuntur, eorumqvè unum â glandulâ maxillari inferiori provenit, per Musculi digastrici tendinem, quasi per trochleam, transiens, alterum â glandulâ sublingvali, illâ scilicet, cui immeritò hactenus plura & angusta Vasa excretoria tribuerunt, quæ huic glandulæ adjacentibus

*Plagium*

centibus aliis, & ab ipsâ reverà diſtinctis, glandularum glomeraminibus jure debentur, & hæc ſibi invicem parallela à lingvà verſus gingivas recedunt, ubi ad digiti ferè à dentibus diſtantiam vix conſpicuis, niſi premantur, oſtiis, per tunicam hiant. Iis accedit aliud Vas ſalivale, quod à glandulà, intra orbitam oculi, prope ſecundum dentem molarem in os deſinit, quod tamen hactenus ſaltem in Canibus deprehenſum eſt. Hæc Bartholinus. Juxta Johann. Viridet. *de Coction. prim. Part. I. cap. 7. p. m. 54.* Saliva fluit è glandulis maxillaribus, tum internis, tum externis, quatuor ductibus, ab ipſis ad os decurrentibus, tum ab oſtiolis innumeris glandularum ſublingvalium, genarum, palati & gingivarum. Et ſecundum Petr. Dionis *Anatom. Demonſtrat. 8. pag. m. 403.* Qvatuor ſunt vaſa ſalivalia, duo ſcilicet ſuperiora, quæ ſuum habent initium in Glandulis Parotidibus; duo autem inferiora, quæ ex maxillaribus enaſcuntur, omnia tandem in os ſeſe terminatum veniunt. De hinc dictus Autor harum glandularum earumque ductuum ſtructuram & ſitum deſcribit. Vel ut Autoris cujusdam Gallici verba referam: Ces Conduits ſalivaires ſont particuliers en leurs eſpece; Entre pluſieurs on en remarque quatre principaux, deux ſuperieurs, qui prennent leur Origine par pluſieurs rameaux des glandes Parotides, & s'en vont ouvrir au côté dela bouche ſous la peau tres-viſiblement: deux inferieurs, qui pareillement par pluſieurs rameaux prennent leur Origine de glandes maxillaires, des quels l'un, avant que de s' unir au tronc commun paſſe ſous le Muſcle digaſtrique dela Machoire inferieure, puis aſſemblez tous en un tronc s' en vont finir ſous la pointe dela langue de deux côtez proche les dents inciſoires dela même Machoire, entre quelques petits corps papillaires, qui ſont là. v. Louis Bellefontaine *dela Medicine dogmatique mechanique Part. Phyſiolog. Exercit. pag. m. 25.* De his glandulis ita ſcribit Carolus Drelincurtius





*Prælud. Anatom. p. m. 50. ſeq.* Lingvam alluunt Veterum glandulæ σιαλόχοοι atque præterea numeroſisſimæ aliæ, eæque Sporades, quæ huc & illuc disjectæ atque diſperſæ, ceu totidem forent fonticuli perennes, humorem fundunt, quo ſingulas oris, faucium & laryngis plagas ubertim irrigant, & varium à variis ſalientis lymphæ ſcatebris nomen ſibi vindicant: Illarum ſiquidem aliæ baſilares, aliæ laterales, aliæ hypoglottides, aliæ proglottides, aliæ epiglottides, aliæ uvulares, aliæ palatinæ, aliæ naſales, aliæ tandem cùm ſuperiores, tum infernæ labiales nuncupandæ veniunt. Præ illis autem omnibus uberiorem lympham in os effundunt ſalivoſi ductûs ſex, quorum ſuperni duo, à glandulis lacrymalibus, in utriusque lacrymalis puncti compluvium depluentem lympham, ad extremum palati fornicem, colliciarum more, corrivantur. Laterales alii, à carnoſis trigonisque parotidum glandulis ſalivare ſuum phlegma trans buccones muſculos, in buccas internas juxta molares extremos comportant. Alii demum oriuntur ab inferioris maxillæ trigonalibus & laxè connexis albicantibus acinis, quorum congeries & colligatio laxa glandulas illas efficit, quas natura mirabiliter ſpongiis ſimiles ad lingvam apposuit, utrinqve unam, & â quarum partibus lateralibus & infernis canales enaſcuntur, qui eructant phlegmaticum humorem, atque ſic madefaciunt & irrigant tum lingvam ipſam, tum oris partes alias infernas & laterales, tum quæ in ambitu ſunt omnes. Ratio autem, cur ſuperiores glandulas dictus Autor Sporades nominet, hæc eſt, quia ſicut Inſulæ Sporades in mari Carpathio ſparſæ ſunt, ita prorſus illæ glandulæ huc & illuc in oris ambitum diſperguntur. Integrum etiam Tractatum ſeu Obſervationes anatomicas, quibus varia oris, oculorum & narium vaſa deſcribuntur, noviqve Salivæ, lacrymarum & muci fontes deteguntur, edidit Nicolaus Steno, in quô varia huc pertinentia & *pag. m. 20.* tam glandularum quam earundem Va-

ſorum figuram explicatam reperies. De Palati Tunica, pluribus jam ſupra *Capite I.* §. *6.* egimus. De Buccarum & palati glandulis & Salivæ ſecretione ita ſcribit Daniel Taury *Anat. cap. 1. p. 7.* Infinitus minimarum glandularum numerus per tunicam oris interiorem diſſeminatur, quæ omnes liqvorem ſuum eructant, qui in maſticatione imprimis exprimitur: Qvando enim maxilla deprimitur, digaſtricus inflatur & glandulas maxillares earumque ductum comprimit, & ad emisſionem contenti liqvoris cogit: E contrario verò, quando maxilla ſuperiora verſus trahitur, maſſeter, temporalis cum faciei muſculis ſemet inflantes glandulas Parotides conglomeratas comprimunt; eſtque utrinque prorſus mechanica. Tandem nemo in dubium vocabit, quin muſculus buccinator multum in maſticatione conferat, cum ſitus ejus ſatis manifeſtum faciat, illum non agere poſſe, quin glandulas tunicæ oris interioris comprimat, adeoque illas, ad humorem, qvem â ſangvine ſeparârunt, emittendum cogat: v. etiam Joh. Gvilielm. Pauli *Annot. in Joh. van Horn. Opuſcul. p. 21. 24. 28. 34. ſeq.* Verba Georgii Philippi Nenteri *Phyſiolog. Cap. 4. p. 155.* ſic ſonant: Fontes Salivæ diverſi ſunt, eorumqve qvidam in ipsâ oris cavitate, alii verò extra eam reperiuntur. In ore ſunt glandulæ buccarum, ſublingvales, palatinæ, tonſillæ. Quæ verò extra oris cavitatem ſitæ ſunt glandulæ, duplicis ſunt generis, aliæ enim ſolùm propter Salivam ſunt conditæ, uti ſunt maxillares internæ & parotides: aliæ verò aliis prius uſibus deſtinatæ ſunt, & deinde tandem per proprios canales, uti priores, Salivam, ſive lympham ſalivalem ad oris cavitatem effundunt, quales ſunt glandulæ oculorum & narium. Prouti autem glandulæ Salivam ſecernentes diverſæ ſunt, ita quoque ipſam Salivam pro glandularum diverſitate diverſam eſſe experientia demonſtrat. Quæ enim è glandulis ſublingvalibus, maxillaribus & parotidibus fluit, fluidior eſt: minori



nori fluiditate gaudet lympha glandularum buccarum, ſpiſſior verò eſt, quæ ex tonſillis emergit. Quæ verò ex glandulis oculorum, narium & aurium fluit Saliva excrementitia potiùs videtur, quàm ut verum ſalivalem habeat uſum. Commodè ergo hôc locô Salivæ & ſputi diviſio adhiberi poteſt: Ut Salivæ ſcilicet nomine lympha limpida & utilis, ſputi verò nomine excrementitia vel ex ore ejicienda, vel deglutita per anum excernenda veniat.

*Ductuum Inventores.*

§. 9. In ſpecie autem majores ductus ſalivales proximè præterito Seculô operâ celeberrimorum quorundam Anatomicorum nobis innotuerunt, quorum, tanquam Inventorum, nominibus ipſi ſuperbiunt. Primus inventor fuit Thomas Whartonus, Anglus & Collegii Londinenſis Socius, qui in Glandulâ maxillari internâ, immediatè inter maxillam inferiorem ſitâ, non ſolum Arterias, Venas & Nervos, ſed etiam Vas quoddam diverſi generis ſibi proprium & usque illud tempus Anatomicis incognitum invenit; (quamvis Ductum hunc Whartonianum longè antea â Julio Caſſerio, Placentino, deſcriptum fuiſſe alii referant v. Chr. Henric. Erndt *de Itinerar. ſuo Anglican. p. m. 109.*) Ortum ducit hoc Vas ſalivare è craſſiore & poſteriore hujus glandulæ parte, rectâque tendit mentum verſus. Antequam autem ad anteriorem ejus partem pervenit, ramulos ſubinde novos ab eodem excipit, adeoque protenditur ad medium menti ſpatium, ubi immediatè intra gingivas in papillam quandam utrinqve terminatur, quâ ſe facilè exoneret, nihil verò ab ore refluum admittat, &c. v. Thom. Wharton. *Adenograph. Cap. 21. p. m. 117. & p. 119. ſeq.* ubi prolixiùs explicat: De his ductibus Whartonianis ita ſcribit Johannes Gothofr. Bergerus *Phyſiolog. med. cap. 16. pag. m. 235.* Hi ductùs è glandularum maxillarium acinis pluribus ſurculis egrediuntur, qui prope dentes poſtremos deſinentes ſuam lympham in oris interiora deferunt. Notandum autem venit, dictam Glandu-

*Ductus Whartonianus.*

dulam ejusque ductum salivalem neque à Thomâ Whartonô, neque ullô Anatomicorum ante Antonium Nuckium ex subjectô humanô fuisse delineatum; quippe qvi demum ex variis Cadaveribùs hocce vas excretorium accuratiùs perlustravit, simulqve delineatum exhibuit *Sialograph. cap. I. pag. 8. & 159.* in Figurarum explicatione *Tab. I. Figur. 1. & 3. & Tab. 2.* ubi naturalem glandulæ & ductûs magnitudinem & situm ob oculos ponit, simulque magnam inter ductum salivalem, qui humani, qvàm qui bruti est animantis subjecti, intercedere differentiam addit; in brutis, inquiens, animantibus hic ductus longior, tenuior & arctior est, qvàm Ductus salivalis Stenonianus; in subjectô verò humanô hic Ductus brevior & amplior conspicitur Ductu Stenonianô. Præterea hic Ductus duabus majoribus ramificationibus ex Glandula inframaxillari prodit, qvæ coëuntes in unum, truncum constituunt, brevem qvidem, sed notabilem satis. Plura de Ductu Whartonianô vid. Johann. Muralt. *Vade mecum Exercit. 2. pag. 50. seq.* Thom. Bartholin. *Anatom. reform. Lib. 2. cap. II. pag. m. 445. & Lib. 3. cap. 12. pag. 542. seq.* Oscula ductuum salivalium inferiorùm ore apertô in homine vivô vix unqvam conspiciuntur, adeò ut difficile sit illa alicui ostendere. Anno 1665. fortuitò & planè aliud inqvirens oscula prædicta aliqvô modô hiscere reperit Fridericus Ruysch. Qvô visо causam ejus inqvisivit deprehenditqve, non solùm penes nos esse, ostiola ductuum salivalium facili artificio in ore aperire, ut in aspectum veniant, verùm etiam vasa illa, ut & Salivam ita disponere, ut Saliva striatim ore tantô exiliat impetu, qvantô sangvis ex basilicâ tusâ. vid. Frideric. Ruysch. *de Valvul. in Vas. lymphatic. Obs. 26. pag. m. 80.* Idem etiam in Capite caninô duos canales salivales, ab unâ glandulâ maxillari inferiori ortum sumentes reperisse dicit *l. a. Obs. 21. p. 26.* Plura de Ductu Whartoniano vid. Georg. Franc. de Franck *Satyr. med. p. 627.*

§. 10.

§. 10. Deinde seqvitur Ductus Stenonianus dictus, atque in Glandulâ sub aure exoriens. In foveâ scilicet ponè aures sita est Glandula, Parotis dicta, jugularium Carotidumque externis ramis irrigua, & magnis ac copiosis nervis prodita, è conglomeratarum numerô, quarum singularum rivuli in unum alveum confluentes, tandem communi ductu prope dentes molares in os hiant. Hoc peculiare vasculum, seu hunc Ductum salivalem Nicolaus Steno, Danus, Amstelodami in Capite ovillô & vitulinô reperit. vid. Nic. Stenon. *Observat. anat. de Glandul. oris §. 13. seq. pag. m. 12.* ubi plura, & *Tract. de Muscul. & Glandul. p. m. 40.* ubi non modò hoc Vas salivare prolixiùs describit atqve delineat, contraque Blasium defendit, sed etiam aliorum Vasculorum salivalium meminit. Plura de hôc Ductu Stenonianô vid. Thom. Bartholin. *Anatom. reform. Lib. 3. cap. 9. pag. 523.* Joseph. Lanzon. *de Saliv. human. cap. 2. pag. m. 29. seq.* Joh. Muralt. *Vade mecum s. Clav. Medicin. Exerc. II. pag. 49.* Eman. König *Regn. anim. Sect. I. cap. 18. p. 87.* Ant. Nuck *Sialograph. pag. m. 9. seq.* item circa finem de figurarum explicatione *Tab. I. Fig. 2. & Tab. II. & VI. Fig. 2.* ubi glandulam delineatam cum ductu reperies. Godf. Bidloo *Anatom. Tab. XII. Fig. 3. & 4.* Joh. Gothofr. Berger. *l. a. pag. 235.* Hunc ductum salivalem sibi attribuit eqvidem atque â se inventum fuisse scribit Gerardus Blasius *Appendic.* in Johannis Vesling. *Syntagm. Anatom. Part. 4. pag. m. 404.* pleriqve tamen Nicolao Stenoni eundem adscribunt. v. Frid. Nitzsch. *Ephemerid. Erudit. An. 1655. p. m. 114.*

*Stenonianus*

§. 11. Circa hanc Glandulam & Ductum salivalem Stenonianum notandum est, in Cadavere qvodam virili, Erfurti Anno 1686. publicè dissectô, Justum Vesti Professorem, ex Ductûs dicti Stenoniani mediô minorem adhuc ductum prodire vidisse, cujus orificium in os, nares versus, inserebatur. vid. Caspar. Cramer. *Colleg. Chym. annex. Observat. 1. p. m. 126.* Et Hermannus Boerhavius *Institut. medic. §. 43. pag. m. 16.* inqvit,

*Observatio Justi Vesti*

inqvit, juxta Glandulam Parotidem conglomeratam aliam esse Glandulam conglobatam, unde Saliva in os, ductu in genis patente, circa tertium molarem superiorem manet.

*Ductus Rivinianus seu Bartholinianus.*

§. 12. Tertius Ductus salivalis nonnullis Autoribus Rivinianus, aliis Bartholinianus, dicitur; siqvidem hi, & forsitan alii, de ejusdem inventione adhuc certant. Sciendum autem, Augustum Qvirinum Rivinum, Professorem Lipsiensem, atque oculatissimum tunc temporis Anatomicum, jamjam Anno 1679. Ductum hunc Studiosis aliquoties demonstrâsse, juxta Corollare Disputationi de Dyspepsiâ, die 3. Octobris ejusd. anni, Respondente Henricô Christophorô Künne, habitæ annexum, quod sic sonat: Ductûs salivales, quos in Capite vitulinô præteritâ hyeme aliquoties demonstravit Dominus Præses, merentur illis annumerari, quos Whartonus & Steno annotârunt. Oriuntur autem ex anterioribus Glandulis sublingvalibus, in qvarum substantiâ radices agunt perguntque supra Whartonianos immediatè, (ita ut his cautè seperatis conspiciantur illicô) donec unà cum illis egrediantur ex iisdem papillulis. Diversa tamen sunt ostiola, in qvorum anteriora si stylus aut flatus immittatur, ad glandulas majores sublingvales per Ductûs Whartoni penetrat; his verò â latere alii adstant pori, qvi & stylum & flatum in glandulas minores sublingvales deducunt, adeòqve nullô modô hi Ductûs cum illis communicant, sed omninò singulares sunt.

*Bartholinianus*

§. 13. Post tres autem decem annos, Annô scilicet 1682, Casparus Bartholinus, Danus, qvi Annô 1681. per totam æstatem Lipsiæ commoratus erat, & absque dubio de hoc inventô curiosô à Medicis relationem acceperat, vel disputationem ipsam legerat) ex Glandulâ sublingvali novum Ductum prope Ductum Thomæ Whartoni situm in peculiari Tractatu, de Ductu salivali hactenus non descripto, manifestavit, ibidemque hunc Ductum non modò prolixè describit, sed



sed etiam depingit, atque inter cætera tertium hoc Vas salivare majus, jam primùm, qvantum qvidem ipse sciret, a se describi, dicit. Nolo tamen hanc litem dirimere nulliqve dictorum Virorum inventi hujus Ductûs salivalis honorem denegare, siquidem fieri potuit, ut, licet Casparus Bartholinus nil quicquam de Rivini inventô audierit, nihilominus etiam casu hunc Ductum invenerit. Quod sibi sæpe contigisse dicit Antonius Nuck *Sialograph. cap. I. pag. m. 12.* Et Theodorus Zwingerus *Fascicul. Dissert. med. Dissert. 8. pag. m. 376.* scribit: de inventione horum ductuum certantes inter se audivimus Viros hujus ævi præcellentissimos, Casparum Bartholinum, Haffniensem, & Augustum Qvirinum Rivinum, Lipsiensem, Professores Medicinæ celeberrimos, quorum utrique, si honorem inventionis tribuerimus, in neutrum fortè injurii videbimur, haud impossibile credentes, eodem tempore, diversis in locis, plures eandem rem primum reperire & observare posse. Posse autem uno eodemque tempore, diversis in locis, ab iis, qui nullum studiorum mutuum habent commercium, observari atque notari talia, quæ deinde judicabuntur ex eadem prodiisse pharetra, inqvit Johannes van Horne *Epistol. ad Gvern. Rolfinc. de Genital. p. 266. seq.* ubi ita pergit: sed scio, magnam aperiri & pandi januam ad lites & sugillationes, ne dicam calumnias, quas idcirco declinare, judico cordati esse hominis, suoque otio abuti nolentis. Quantum autem ductum ipsum attinet, ad lingvæ latera utrinqve alia, præter Whartonii, oculos incurrit glandula, sublingvalis appellata, oblonga paululum, Ductuique Whartoniano lateraliter vicina, adeò ut per multum tempus una eademqve cum maxillaribus fuerit habita, cùm revera tamen membranâ investiente ab invicem distingvantur. Ex minoribus, qvibus constat, glandulis subtiles emissi surculi pedetentim in proprium terminantur truncum excretorium, qui rectô Ductu Whartonianum comitatur &

H 2 sub

ſub iisdem papillis intra gingivas, in extremitate maxillæ inferioris; ſuos emittit rivulos. vid. Bernhard. Albin. *Diſput. de Salivat. mercurial.* §. 2. p. 8. Refert tamen Antonius Nuck *loc. jam alleg.* in ſubjectô equidem vitulinô & paucis aliis animantibus hunc ductum reperiri; ſed in pleriſque aliis ductum illum aut ſaltem oſtium peculiare non occurrere; item in humano ſubjecto non, aut ſaltem rariſsimè, conſpici. Glandulam quidem ſublingvalem ubique ferè inveniri, ſed Vas excretorium ſingulare in omnibus ſubjectis non reperiri. Porrò Glandulas Rivinianas non ſemper propriô ſuô ductu gaudere, ſed in Whartonianum communem rivum lympham fermentativam plerumque effundere, ex Günthero Chriſtophoro Schellhammerô refert Andreas Ottom. Gœlicke *Hiſtor. anatom. nov. & antiqv. pag. m.* 165. Glandulam & Ductum Bartholinianum ſeu Rivinianum in homine delineavit Antonius Nuck *Sialograph. l. a. item Tabul. I. fig.* 3. & 4. *item Tabul.* 2. Et Glandulas ſalivales maxillæ inferioris cum ſublingvalibus, earumqve Ductûs ſalivales ex Gvilielmo Cowper depinxerunt Autores Actor. Eruditor. Lipſienſ. *An.* 1669. *Menſ. Februar. p. m.* 58. Et Laurentius Herſterus *Orat. de Increm. Anat. p.* 131. inqvit: Bartholinus in Specimine Hiſtoriæ anatomicæ varias exhibet obſervationes & figuras anatomicas: & inter has de Ductu ſalivali glandulæ ſublingvalis (cujus inventionem plerique quidem huic Bartholino, multi verò haud iniqvè Rivino Lipſienſi tribuunt,) quem ante eum nemo delineavit.

*Nuckianus.* §. 14. Deniqve quarti Ductus ſalivalis majoris Inventor eſt Antonius Nuck, Profeſſor in Academiâ Lugduno-Batavâ, quippe qui, juxta Andr. Ottomann. Gœlick. *l. a. p.* 176. intra octennium ultra ſexaginta & plura Cadavera humana, præter ingentem brutorum animantium numerum diſſecuit, & hac ſuâ induſtriâ intra oculorum orbitam, inter Muſculum oculum abducentem & oſsis jugalis partem ſupremam, ſitam invenit Glandulam, quæ ſurculos ſuos in unum cogit ductum, qui rectà prope os maxillare deorſim tendens, prope dentem molarem ſecundum, ſi â poſterioribus aut ſuperioribus numeraveris, in os ſe exonerat. De hôc Ductu dictus Autor Anno 1685. Tractatum edidit, cui Titulus de Ductu ſalivali novo &c. *vid. cap. I. pag. m.* 10. *ſeq.* & circa finem figuris aliquot ductum hunc explicavit. Qvem Tractatum poſtea idem Autor nomine Sialographiæ Anno 1690. auctiorem edidit; cujus *vid. Cap. I. p. m.* 15. *ſeqq.* & circa finem Figurarum explicationem *Tab.* 3. ubi hanc glandulam & ductum depingit. Qvamvis autem Chriſtianus Henricus Erndt *Itinerar. Anglic. & Batav. pag. m.* 110. hanc Antonii Nuckii novam glandulam ſub inferiore palpebrâ, uti & ductum novum pro advehendô humore aqveô in oculo, ſaltem in cerebrô natas & fictas chimeras eſſe dicat, alii etiam de hujus glandulæ in homine exiſtentiâ valdopere adhuc dubitent; cum tàmen dicta glandula cum Ductu ſalivali â plurimis hactenus in Canibus & Capris inventa fuerit, accuratior ejus indagatio potiùs ſvadenda quàm neganda videtur. vid. etiam Chriſt. Ludov. Welſch. *Tabul. anatom. Tab.* 30. Ductum hunc Nuckianum eqvidem in Cane invenit Johannes Jacobus Harderus, qui tamen in Capite vitulinô eundem reperire non potuit. v. ejusd. *Apiar. Obſ.* 43. *p. m.* 193. *ſeq.*

§ 15. Alios ductûs ſalivales ſeu chyloſos detexit etiam ſocius Collegii Medicorum Anglicani F. Billingerus in Diſſertatione de Nutritione fœtus in uterô, per vias hactenus incognitas; ex qua Diſſertatione Domini Collectores Actorum Eruditorum Lipſienſium *Anno* 1718. *Menſ. Januar. pag.* 7. hæc referunt: In Thymi glandulis globuloſis chyloſus ſuccus â ſangvine non tantùm ſecernitur ac per vaſcula minora in ductum, veluti receptaculum commune, infunditur, ſed per canales quoque duos, in duobus Proceſsibus *alii ductus*

 laten-

latentes, & juxta trachæam aſcendentes ad glandulas maxillares, ceu quibus duo ejusmodi Thymi proceſſus non tam contigui, quàm continui, Whartono jamdudum reputati fuerunt, defertur per diſtincta oſcula ductuum ſalivalium ſub lingvâ oris cavo tam inſtillandus, quàm per gulam ad Ventriculum pro hujus liqvore mucilaginoſo, chylificationem incipiente, ac inteſtinorum meconio, ſine deglutitionis motione, deſtillandus. Quam Thymi cum glandulis maxillaribus ſalivalibus communicationem locô allegatô ex fœtu vitulino delineatam reperies. Novum Ductum ſalivalem eumque præcipuum in Lingvâ excretorium Glandulæ inſignis ad latera lingvæ & ſub eadem ſitæ, itemque ſuper radicem Lingvæ, Epiglottidem; circa Glottidem, ſuper Arithænoideas usque intra œſophagum expanſæ atque injectione detectæ in Programmate invitatorio ad Exercitia anatomica exponit atque depingit Abrahamus Vaterus in Programmate quodam, in quo, ut titulus habet, novum ductum ſalivalem eumqve præcipuum in Lingvâ excretorium glandulæ inſignis ad latera lingvæ & ſub eadem ſitæ, itemque ſuper radicem lingvæ, epiglottidem, circa glottidem, ſuper arithænoideas, usque intra œſophagum expanſæ nunc demum injectione detectæ luci exponit & demonſtrat. De hoc Programmate ſcribit Laurentius Heiſterus *Orat. de Increment. Anatom. p. 96.* in hoc Schediasmate Autor evincere figuraque illuſtrare ſuscipit, foramen illud in parte ſuperiori & poſteriori lingvæ humanæ ſæpe occurrens atque a Collino, Anglo (Anglicè Collins) in Anatome ſuâ, â Morgagnô in Adverſariis ſuis primis anatomicis, atque a me in Compendii mei anatomici editione altera delineatum, verum eſſe ductum ſalivalem excretorium, glanduloſæ illius maſſæ, quæ circa radicem Lingvæ partesque ab ipsô indicatas, obſervatur: glandulasque illas ſimul, injectione diſtentas delineat, unde ſalivalem laticem in os per hoc foramen, quod ipſi & Collino ductus communis ſalivalis eſſe videtur, infundi putat. An verò revera res ita ſe habeat, ulteriori inqviſitione pluribusque experimentis opus eſſe exiſtimo. Idem Vir doctisſimus, in eodem Programmate, indicat, ſe ductum excretorium in glandula thyroidea reperiſſe, per qvem totam glandulam flatu diſtenderit, glandulamqve hanc ad ſalivales quoque pertinere docet. Anteqvam verò eum publice deſcribat, accuratius ipſum prius examinandum ſecum conſtituit.



§. 16. Inter Vaſa ſalivaria minora ſeu Glandulas ſerum immediatè in Cavum oris inſtillantes ſupra quoque Uvulam retulimus, hôc verò locô adhuc monendum reſtat, Gothofredum Heidenreich in Studioſô quodam, qui ſatis potenter os aperire ſolebat, non ſimplici vice liqvorem ſalivalem cum impetu exſilire obſervâſſe, atque hinc inde ex Uvulâ, tanquam ex papillâ limpidam & aquoſam materiam, veluti ſub lingvâ proſilire vidiſſe. vid. Caſp. Theophil. Bierling. *Theſaur. theoret. practic. Obſ. 65. Schol. 65. pag. m. 856.* *Saliva ex Uvula*

§. 17. Imò certus quidam Mercator triginta octo Vaſa ſalivalia, omnia limpidô curſu ſaliente manantia, quotidie in ſuâ buccâ potuit oſtendere, quoties os paulò diductiùs aperiret, idque à viginti & amplius annis teſtatus eſt. Sæpe enim animi gratia hoc ſpecimen fontis artificialis vel potiùs naturalis oſtendere conſveverat. Apertô enim evidentiùs ore in vicinam chartam aut orbiculum ſtanneum triginta octo diſtincti aquæ limpidæ rivuli de totidem glandularum in buccam patentium præſentiâ indubitatum reddebant teſtimonium. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *l. a. p. 860. ſeq.* *Multa Vaſa ſalivalia*

§. 18. Adſcripſimus eqvidem in antecedentibus, Ductuum ſalivalium inventionem recentioribus quibusdam Anatomicis, è contra tamen eorundem quosdam à multis retrò ſeculis jamjam veteribus non penitus incognitos fuiſſe, ex Galenô & Avicennâ patet, juxta quem ſub lingvâ ſunt duo *Ductus ſalivales an Veteribus noti?*

duo orificia, quæ ambo ingreditur ſtylus, & ſunt fontes Salivæ, quæ ad Carnem perveniunt glandulosam, quæ eſt in radice ejus, & nominantur generativa Salivæ. v. Ch. Th. Bierling. *l. a.* §. *5. p. 855.* et Franc. Piens *de Febrib. in Gener. cap. 5. p. m.* 27. ubi ex Galenô ſequentia allegat: Sunt duo orificia, ſeu ora, ſeu fontes, à quibus exit Saliva, & duo habitacula Salivæ vocantur: etiam ab Avicennâ dicuntur generativa Salivæ; & in illa orificia ingreditur ſtylus, teſte Avicennâ & teſte ſenſu; & talia orificia aperiuntur & conſtringuntur per ſuas pelliculas, ſicut clauditur & aperitur burſa. Et juxta Autorem non recentem Ludovicum Cælium Rhodigin. *Lection. antiqv. Lib. 3. cap. 32. fol. m. 109.* ſcribunt eruditiores, in lingvæ radice duo ineſſe orificia, quæ Salivæ dicuntur Fontes. Eorum munus eſt, humorem ſervare, veluti penu quodam intimô, quô ſubinde irroretur lingva & os humeſcat univerſum, &c. Galeno ductûs ſalivales non ignotos fuiſſe, demonſtrare quoque conatur Autor libelli inſcripti: Metamorphoſis Æſculapii & Apollinis pancratici, ficto nomine ſe Janum Leonicenum vocans, vid. Luc. Schroesk. *Schol. in Joh. Helvvig. Obſ. 64. p. m. 216.* vid. etiam Georg. Paſch. *de nov. Invent. cap. 6.* §. *4. p. m. 499.* & Thom. Barthol. de *Hepat. Defunct. Opuſcul. anatom. p. m. 575.* ubi addit: mirum eſſe, quod adeò manifeſte deſcripti illi ductus a Galenô *Lib. II. de Uſu part. cap. 10.* Halyabbale *Lib. 3. Theor. cap. 16.* Abenſina *Can. 3. Lib. fin. 6. tr. 1. c. 1.* Jſaaco *l. 3. Theor. cap. 17.* hactenus ad tempora usque Whartoni notitiæ Proſecutorum ſe ſubduxerint, qvum tamen ſupra laudati Medicinæ Heroes Vaſa illa tam perſpicuè & fusè deſcripſerint, ut & originem & ſubſtantiam & numerum & uſum annotarint, &c. Isbrandus de Diemerbroc. *Anatom. Lib. III. cap. 24. fol. m. 433.* inquit: Ductuum horum cognitio, etſi antiquos non latuerit, tamen multis ſeculis, tanquam altisſimis tenebris obruta jacuit, & tandem caſu, absque ullô duce, à Gliſſoniô & Whartonô ante aliquot annos rurſus eruta & in lucem



lucem producta, atque hinc ab hodiernis Anatomicis prima ejusdem inventio ipſis adſcripta eſt. Et ſæpe memoratus Nuckius non denegat rei ipſius notitiam Veteribus, ſed circa ſtructuram, aut uſum ſitumve, graviter eos erraſſe pronunciat. Quamvis etiam Joſephus Lanzonus *l. a. cap. 2. pag. 24. ſeq.* Autorum quorundam verba pro veterum notitiâ defendendâ alleget, nihilominus tamen *p. 26.* ita pergit: Quibus omnibus ritè & rectè examinatis, luce meridianâ clarius pateſcet, aut circa ſtructuram, aut ſitum Antiquos graviter erráſſe: nam licet dixerint, duo oſtia ſub linguâ conſpici, attamen nimis latè hoc ſumptum eſt; per hoc enim non oſtenditur præciſus oſtiorum locus: deinde Salivam excipientia non ſunt dicenda, quemadmodum facit Oribaſius, quandoquidem experimentis certis ſit manifeſtum, eadem oſtia magnam Salivæ vim eructare, ex quibus ſane conſtat, in uſu partium asſignandò maximè antiquos erraviſſe, nec Lector Salivæ fontes ex ipſis veterum poterit cognoſcere chartis.

§. 19. Qui plura de Glandulis & Ductibus ſalivalibus deſiderat, inter alios Autores evolvat Joh. Bohn. *Circul. anat. phyſiol. Progymn. IX. p. m. 135. ſeq.* Isbr. Diemerbr. *l. a.* Franc. Sylv. *Prax. med. Appendic. Tract. 6.* §. *91 ſeq. fol. m. 573.* Joh. Broen. *Oper. med. p. 11.* Theod. Craan *de Homin. cap. 3. pag. 8.* Anton Nuck *de Duct. ſalival. nov. cap. 1. & Sialograph. cap. 1. ſeq. p. 8. ſeqq.* Thomas Wharton. *Adenograph. cap. 16. pag. m. 96.* Caſp. Theoph. Bierling *Theſaur. theor. pract. l. a.* Steph. Blancard. *Anatom. Part. I. cap. 15. p. m. 304. ſeqq.* Thom. Bartholin. *Anatom. reform. Lib. 2. cap. 11. p. m. 445. Lib. 3. cap. 9. pag. 523. & cap. 12. p. 543. Ejusd. Epiſtol. medicinal. Cent. 3. Epiſt. 43. pag. m. 158. 163. Epiſt. 44. pag. 185. & Epiſt. 87. p. 376.* Caſp. Bartholin. *de duct. ſalivali hactenus non deſcript.* Ejusd. *Specim. Hiſtor. anatom. p. m. 34. 136. & 142.* Daniel Tauvry *Anatom. p. m. 5. ſeqq.* Nicol. Stenon. *Obſervat. anat. de Glandul. Oris pag. m. 1. 6. 12. 20. ſeq.* Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. I. cap. 8. pag. 53. ſeqq.* Caſp. Portæ *Medicin. brev. cap. 1. p. m. 8.* Georg. Abrah. Mercklin. *Autores.*

lin. *de Transfusion. Sangvin. cap. 4. pag. m. 57. seq.* Frid. Hoffmann. *Fundament. Medicin. cap. 5. pag. m. 27.* it. *Disput. de Saliv. & ejus morbis p. 8. seq. Act. Erudit. Lips. An. 1699. Mens. Februar. pag. 58.* Joach. Targir. *Medicin. compendiar. cap. 12. p. m. 123. seq.* Petr. Dion. *Anatom. demonstrat. 8. pag. m. 403.* Albin. *Disput. de Salivat. mercurial. §. 2. p. 8.* Ern. Heins. *de Purgant. in Febb. p. m. 10.* Joh. Muralt. *Colleg. anat. pag. m. 73. & 440.* Joh. Bapt. du Hamel *Oper. philosoph. Tom. 2. p. m. 547.* Joh. van Horne *Microcosm. §. 19.* & Joh. Gvil. Pauli *Annotat. in eund. loc. pag. m. 32.* Georg. Pasch. *de nov. Invent. cap. 6. §. 41. p. m. 496. seq.* Georg. Seger. *de quidditat. Lymph.* Bartholin *Epist. 1. p. m. 32.* Gerard. Blas. *App. ad Vesling. Syntagm. Part. 14. seq. p. m. 404.* Theophil. Bonet. *Sepulchret. Lib. I. Sect. 21. fol. m. 358. seq.* Joseph. Lanzon. *de Saliv. hum. pag. m. 27. seq.* Theodor. Zwinger. *Fascicul. Dissert. medic. 8. §. 9. p. m. 374. seq.*

*Cautela chirurgica.* §. 20. Ratione Ductuum Salivalium, imprimis sublingvalium, paucis adhuc monendi mihi videntur Chirurgi, ne in curandis faucium affectibus v. g. in Ranulâ dictos ductûs incauti incidant vel lædant, siquidem Galenus *Lib. 11. de Us. part. cap. 10.* inquit: nonnulli Chirurgi minùs periti propter opus aliquod manuale istô in loco incidendo talia orificia aperiunt taliter, quòd suæ pelliculæ non possunt postea debitò tempore claudi, & tunc velit nolit patiens semper est cum ore sputamine plenô. Id quod etiam Circumforaneo, qui Ranulam ipsi ignotam curare volens tales fontes sub lingvâ devastavit, contigisse dicit Franciscus Piens *l. a.* Unde non immeritò scribit Johannes Muys *Prax. med. Chir. Decad. VI. Obs. 6. p. 246.* Ductus salivalis reperitur sub lingvâ, quare Chirurgi sibi caveant, ne eundem lædant, dum frænum nimis longum dissecant.

*Ductus salivales læsi.* §. 21. Porrò etiam notandum, ductûs salivales quandoque ab acrimonia Salivæ erodi, vel â læsionibus dilacerari, vel etiam vulnerari seu discindi, ita ut dicta Saliva extra sua vascula atque vulnera prodeat, atque artem Chirurgi interdum per longum temporis spatium impediat, plenariamque consolidationem multò magis eludat, quàm in reliquorum Vasorum lymphaticorum vulnerationibus accidere solet, quod testatur Cornelius Solingen in Handgriffen der Wund-Artzney *Part. 4. cap. ult. pag. m. 575.* ubi difficultatem simulque suam methodum curandi describit. De ulcere ductûs salivalis sequentem observationem annotavit Joh. Muys *Prax. Chirurg. ration. l. a. pag. 245.* Puellæ, inquiens, viginti circiter annorum abscessus sponte ruptus & apertus est in istâ colli parte, ubi tonsillæ, quando solitô magis intumuère hâc aut illâ de causâ, digitis palpari possunt. Abscessus idoneis medicamentis intra Mensis spatium sanatus est, sed profundum & exiguum valde foramen remansit, quod nullum pus emittebat, sed multum humoris limpidi & præcipuè quidem tum temporis, cùm ægra comedebat, nam tunc totus radius humoris prædicti prorumpebat ex ulcere. Multa â me & aliis præscripta sunt, sed sine fructu. Pus nempe hujus abscessus corrosit ductum aliquem salivalem atque ita permansit fistula immedicabilis. Arteria aperta difficulter coalescit, difficilius vas lymphaticum, difficillime verò ductus aliqvis salivalis. Item Lugduni in Viro quodam post varios, qvos patiebatur, malarum, gingivarum, & dentium dolores, exiguum externè in malâ apparebat tuberculum & qvidem præcise eô loci, ubi internè ductus salivalis superior in os hiat, quô apertô materia purulenta, sangvine & aquâ permista prodit: ad ejus curationem Chirurgus admissus eam, quam facilem putabat, brevi promittit; Chirurgus autem attonitus varia incassum tentari, & suis medicamentis hoc malum, quod exiguum credebat, non cedere, sed in Fistulam ulcerosam transire, curam, ut vocant, palliativam instituit. Subinde tamen ad Cicatricem videbatur perductum ulcus, remanente solum exiguô tuberculô; quod licet per aliqvot dies & subinde hebdomadas clausum maneret

ret ab animi passione & corporis exercitiô vehementiori facile de novô aperiebatur, apertumque aquam, tantillo sangvine permixtam, evomebat, hocque malum modò clausum, modò apertum per triennium integrum gestavit, vid Anton. Nuck *de Duct. Salival. nov. cap. 3. pag. 79. seq.* it *Sialograph. cap. 3. p. 64. seqq.* Et *p. 66.* ex Raonhuyse refert exemplum ægri cum malæ exulceratione, ex exiguô tumore subortâ, quæ ad Cicatricem perduci non potuit, quoniam maxillæ inferioris motu continuò aqua stillabat; bibenti aut comedenti aqua guttatim malam humectabat &c.

## CAPUT III.

### DE SALIVÆ EXCRETIONE PRÆTERNATURALI ET PTYALISMO.

§. 1.

*Salivæ abundantia.* DE Salivæ equidem abundantiâ atque defectu jam suprà circa finem primi capitis paucis egimus; cum verò talis Ptyalismus seu nimia & â diversis causis orta salivalis humoris excretio interdum variis prosit affectibus, nonnulla adhuc in Capite præsenti veniunt proponenda.

*Ptyalismi causa.* §. 2. Sicuti nimirum Ptyalismus â majori & extraordinaria Salivæ, in hactenus commemoratis Glandulis salivalibus, secretæ atque per demonstratos Ductûs in oris Cavitatem excretæ copiâ dependet; ita hujus secretionis seu translocationis auctæ varias, & quidem tam ratione ipsius Salivæ, quàm Glandularum & Ductuum salivalium, causas agnoscimus; siquidem hæc copiosa transcolatio modò â nimiâ seri salivalis copiâ, vel ab ejusdem tenuitate & fluiditate, vel etiam â celeriori sangvinis & seri circulatione atque appulsu, vel ab ejusdem prægressâ stagnatione & collectione; modò etiam â Glandularum & Ductuum salivalium extraordinariâ amplitudine vel peculiari dispositione, aut â fibrarum laxitate & denegatô spirituum animalium in fibrillas influxu oriri potest. Namque si spirituum animalium in fibras influxus, â quacunque causâ, impeditur, tunc illæ tonô suô atque naturali tensione ita orbantur, ut particulis, ope circulationis appelli consvetis, ampliùs resistere non valeant, sed easdem copiosiùs transmittere cogantur, unde largior Salivæ effluxus contingit, uti in Paralysi observatur. Interdum etiam â fibrillarum irritatione, vellicatione aut titillatione serum emulgendô copiosiùs producitur, uti â seri acimonia & medicamentis apophlegmatizantibus & salivatoriis, dictas fibrillas stimulantibus, observare licet; Quandoque etiam tubuli salivales â Salivæ acrimonia corroduntur & exulcerantur, vel etiam disrumpuntur, abscinduntur & vulnerantur ut, apertis plus justo tubulorum ostiolis, Saliva largius effluat.



§. 3. Econtra etiam deficit Liquor salivalis, vel dum *Salivæ defectus.* non in sufficienti quantitate elaboratur, vel dum fauces non sufficienter irrigat: Illud fit 1) propter materiæ seu seri in totâ massâ defectum, 2) propter vias adducentes interclusas, 3) propter glandularum salivalium pravam v. g. scirrhosam, dispositionem. Parciùs autem ac difficiliùs humor dictus ori infunditur, aut propter sui defectum, aut propter viscididatem & glutinositatem; aut propter Vasorum salivalium angustiam & lacerationem; quarum hanc inscius quasi innuere videtur Hieronymus Fabricius *ab Aquapend. Oper. Chirurg. Part. 2. Lib. 2. cap. 31. Edit. Franc. p. m. 901.* ubi de vulneribus genarum ait: quotiescunque prope aures vulnera in facie contingunt, versus aurem foraminulum angustissimum, vix oculis conspicuum apparet, per quod, potissimum si patientes mandunt, magna aqvæ limpidæ copia instar lacrymarum exit, unum vel alterum sæpè mensem durans. Quod confir-

confirmat Isbrandus â Diemerbroc *Anatom. Lib. III. cap. 24. fol. m. 434.* Interdum, inquiens, contingit, his vasis salivalibus circa buccam læsis, lymphaticum salivalem liqvorem è vulnere admodum copiosum sensim & diu exstillare, eamqve solutionem, propter continuum istius liqvoris transitum, difficulter solidari. Sic Nobilis qvidam Noviomagensis ictu poculi vitrei in mediâ malâ seu buccâ læsus fuit; Vulnus qvidem â Chirurgô ferè consolidatum est, sed in mediô per exiguum foramen longô tempore aqvosus ac limpidus quidam liquor sensim exstillavit, (hic è dictô læsô ductu salivali tunc temporis adhuc ignotô profluebat) qui non obstante summâ Chirurgi diligentiâ ferè per biennium foraminis consolidationem impedivit, quod Diemerbroccii consiliô tandem, liquore istô per Cauterii actualis impositionem cohibitô persanatum est. Similem casum etiam in Caupone quodam Ultrajectinô ibidem se observâsse addit.

*Ptyalismus duplex.* §. 4. Vidimus in paulò antecedentibus, Ptyalismum seu nimium liquoris salivalis fluxum vel sine, vel cum aliquali malignitate vel acrimonia observari, quorum ille quidem cum aliquali loquendi difficultate seu impedimentô, sine tamen oris ejusque partium exulceratione, hic verò non sine oris exulceratione graduali, ratione scilicet majoris vel minoris acrimoniæ, contingere, ideoque etiam ille benignus, hic vero malignus Medicis vocari solet.

*Salivatio triplex.* §. 5. Occurrit etiam in Praxi medicâ salivatio nunc symptomatica, nunc critica, nunc medica seu ope medicamentorum excitata. *Symptomatica,* In symptomaticâ vel a glandularum salivalium laxitate seu dilatatione, vel ab earum erosione & dilaceratione largior salivalis humoris, & quidem ob ejusdem acrimoniam satis molestus, viresque diminuens effluxus oritur, qualequid in dentientibus infantibus, in subjectis scorbuticis & hypochondriacis, item in Anginâ & Tonsillarum inflammatione & tumore laborantibus observare licet,



cet. Et ex hac salivatione nullum levamen accipit æger, sed noxam manifestam & gravem.

§. 6. Critica Salivatio seu Ptyalismus, originem suam *critica.* plerumque a particulis massæ sangvineæ seroso-salinis heterogeneis trahens, utplurimum salutaris esse solet, eâque sæpe pertinacissimi morbi terminantur, siquidem talis Salivatio aliorum quandoque morborum comes, accedens fermenta tam chronicorum, quàm acutorum peregrina, virtute naturalis in sangvine ætheris subactâ per excretoria Salivæ organa majori, quàm aliâ in parte, projicit effluviô, ut sublata hoc modo causâ cesset quoque malum. Quod si totaliter equidem non statim fuerit ope illius eradicatum, Symptomata tamen, insigniter quæ antea sæviebant, non parum de solitô remittunt furore, ut recuperatis deinde successivè viribus, ab atrociâ morbi liberentur ægri sanique evadant. v. Bernhard. Albin. *Disputat. de Salivat. mercurial.* §. *1. pag. 2.* Plura de Salivatione Critica vid. Christian. Kœper *Disput. de Salivat. Crit. in morb. acut. & chronic.*

§. 7. Talia exempla apud Autores quamplurima oc- *exempla,* currunt. v. g. Malô hypochondriacô mulier quædam tantum non omnibus hujus morbi symptomatibus gravissimè torta, cùm aliquando copiosa Salivatio usum medicamenti chalybeati subsecuta fuisset, inde tantum levamen sensit, ut postua malô redeunte nihil magis, quàm Salivæ liberiorem fluxum optaverit, referente Vito Riedlino *Linear. medic. An. 1695. Mens. Jun. Obs. 23. pag. 180.* Vir quidam catarrhosus exulcerationem tonsillarum cum serosis faucium pustulis dolentibusque conjunctam expertus tandem tantam sensit Salivæ exspuendæ copiam, ut aquam è gutturnio destillantem dixisses; qui tamen Ptyalismus ope Tincturæ Catechu fuit sedatus. vid. Ehrenfrid. Hagendorn. *Tract. de Catechu Sect. 3. cap 2. Art. 1. pag. 52.* Sic refert etiam Nicolaus Steno *de Glandul. oris* §. *24. pag. m. 23.* sputatori melancholico frequenter tumuisse

isse genas, sed indolenter, illumque tumorem nonnunquam salivatione esse solutum. Idem etiam de Tumoribus glandularum auri circumjacentium & glandularum Colli indolentibus vel ab apricatione, vel à frigore autumnali excitatis & paucas intra horas in immanem molem excrescentibus nonnunquam multa spuitione sublatis annotavit. Id quod etiam mihi in Orphanotropheô nostro Dresdensi, in quô ejusmodi tumores dictarum glandularum, imprimis puellis, admodum familiares esse solent, sæpisſime observare licuit. In variis quoque febribus supervenientem salivationem proficuam annotarunt Medici practici. Sic Petri Foresti socrui fere septuagenariæ post febrem per plures dies, tam noctu, quàm die ultrò ex ore effluxit humor salivalis tenuis per se, ut pannum linteum satis magnum necesse fuerit sub ore ponere ad liquorem salivalem continuò effluentem excipiendum. Hunc fluxum Forestus noluit intercipere, cùm in eâ ita morbi terminare solerent, quemadmodum ter in ipsâ dictus Autor animadvertit. vid. Petr. Forest. *Observ. medicinal. Lib. 24. Obs. 23. fol. m. 124.* Et Thomas Willisius *de Febrib. cap. 10. pag. m. 119.* Qvendam novisse dicit, cui in declinatione febris salivatio copiosa, velut ab assumptô Mercuriô, cum fœtore anhelitûs, item lingvæ & gingivarum intumescentiâ per plures dies ciebatur. Febre malignâ laborantem salivatione succedente â febre felicisſime liberatum fuisse testatur Vitus Riedlinus *l. a.* Febrem quartanam aliquoties per salivationem spontaneam solutem meminit Joh. Bohnius *de Offic. Medic. dupl. Part. 1. cap. 15. p. m. 292.* De febre quotidianâ sputatoriâ vid. Benjam. Scharffius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 104. p. m. 258.* quæ quidem Observatio propriè huc non pertinet, siquidem iste juvenis per salivationem â morbo non liberabatur, sed potiùs durante paroxysmô â nimiâ & continuâ tam urinam reddendi quam Salivam exspuendi irritatione vexabatur. De Febre maligna salivatione soluta v. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Observ. 127. p. 157. seq. & Append. p. 132.*

*Observatio.*

§. 8.



*in Variolis.*

§. 8. Salivatio in Variolis, imprimis confluentibus, quotidie in Praxi cum Euphoriâ observatur. Imò juxta Thom. Sydenham *Opuscul. med. p. m. 188.* ita perpetuum se comitem adjungit, ut unicum tantùm viderit Variolis confluentibus laborantem, nullâ superveniente salivatione, &c. ubi plura. Et Richardus Morton *Oper. Med. Tom. III. cap. 8. p. m. 109.* inquit: Spiritibus venenô latente adhuc quadantenus irretitis, provida natura ultimô hujus stadii die, priusquam febris revirescere incipiat, levi Ptyalismô fermentum opportunè amoliri satagit, quod per glandulas cutis haud satis amandare valebat, & iste Ptyalismus in ipsis æstivis Variolis animadvertitur &c. Et *cap. 9. p. 137. seqq. 145. seqq.* plura de salivatione in Variolis docet. Juxta Johannem Dolæum *Encyclopæd. med. Lib. 4. cap. 6. p. 797.* summopere annitendum est, ut dicta salivatio in vigore perstet & conservetur, nec ante diem suum sistatur, quæ tamen die decimô tertiô vel quartô sisti potest. vid. Givalter. Harris *de Morb. Infant. Part. 3. p. m. 150.* Et Autores *Histor. Morbor. Uratislav. Ann. 1702. p. m. 7.* scribunt, certum est, quod in Variolis confluentibus, absque Ptyalismô ægri adultiores in summô versentur periculô: certum tamen & hoc est, quòd hac salivatione Variolæ in quantitate non minuantur; quod utique argumento est, materiam, quæ hac salivatione ex corpore eliminatur, non esse eandem, quæ distinctas variolas in majorem elevat altitudinem, ac rursus depresſionem, quæ in confluentibus cernitur, non ab exitu salivalis ac serosi humoris pendere, sed ab ampliori & latiori harum per superficiem Cutis expansione.

*Salivatio epidemica.*

§. 9. Salivationis spontaneæ epidemicè grassantis observationem communicat Johannes Casparus Westphalus *Ephemerid. Academ. Nat. Curios. Cent. 1. & 2. Obs. 137. p. m. 273.* scilicet Anno 1694. Delitii ejusque in circulô & viciniâ non solùm, sed & pluribus aliis in Regionibus ac locis epidemicè

K grass-

graſſabatur dicta Salivatio, quæ unà cum Variolis confluentibus ibidem locorum graſſari primò ineunte Vere incipiebat; hâc ſæpe duas & tres, imò quatuor perſonas laborantes vel una domus habebat, quæ omnes iisdem planè in principiô & incrementô ſymptomatis maximè doloroſis affligebantur, quæ in ſalivatione mercuriali aliàs obviæ eſſe ſolent: tumore nempe genarum, lingvæ, gingivarum, faucium, parotidum, &c. in ſtatu verò (evacuatis ſuccis viſcidis & glutinoſis, interdum etiam primò in principiô cruentis) ſucci apparebant tenues & aqvoſi, dictis oris & faucium ſymptomatis pedetentim remittentibus. Hic morbus tam juvenes, quàm adultos aggreſſus eſt; imò, quod mirandum, non ſolùm homines, ſed & multas feles & canes Delitii & quibusdam in pagis ſalivatione correptas ipſe Weſtphalus partim in propriâ fele vidit, partim ab aliis audivit; qui in ſymptomatum horum cauſas paulò intimiùs inquirens, occaſionalem cauſam Miaſmati varioloso & quidem Variolarum confluentium adſcribit; hæ enim tunc temporis ſæpe cum ſalivatione vel doloroſâ vel non doloroſâ conjunctæ graſſabantur. Quibus autem Variolæ pepercerunt, vel, uti clariùs explicat dictus Autor, quorum materia variolola viscida per poros cutis exitum non invenerunt, illi aut per tumorem glandularum in Ingvinibus aut ſubſequentem ſalivationem, ſervati ſunt.

*Arthritis ſalivatione ſoluta.*

§. 10. De Arthritide Ptyalismô ſolutâ ſequentem obſervationem recenſet Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius *M. N.C. Dec. II. An. 9. Obſ. 102. p. 173.* In ſeptuagenario, inquiens, Arnſtadii morbificæ materiæ arthriticæ ad fauces & palatum notavi μετάστασιν, ſubſecutô Ptyalismô, haud dubiè à ſalibus volatilibus, frequenter in usum vocatis, ſalutari. Durabat Excretio hæc ſalivalis ultra quatuordecim dies, cum degluttiendi, non autem reſpirandi difficultate. Salivationem ſpontaneam admirandam & admodum raram, in ſingulas decem



decem ſeptimanas mutabilem in Sveciâ poſt Arthritidem diuturnam paſſus eſt Illuſtrisſimus Baro de Scheiding: Primùm nempe per Salivationem quotidie excrevit tres Cantharos præter propter liqvoris ſapore inſipidô, quaſi dulci; quâ per decem ſeptimanas continuatâ, inſequentibus decem ſeptimanis excrevit liquorem ſaporis acidi; porrò per decem ſeptimanas ſaporis amari; tandemque ſpatiô unius anni cum dimidiô rurſus liquorem ſaporis acidi, unà cum Uvulæ tumeſcentis relaxatione. Quæ omnia, omnibus convocatorum Medicorum auxiliis incaſſum applicatis, ſponte remiſerunt, ipſe autem Baro, totô ſalivationis tempore maximè extenuatus poſthac per tredecim annos ſanus vixit; uti ex ipſius ore refert modo dictus Johannes Chriſtophorus Weſtphalus *l. a.*

§. 11. In Phthiſi quoque ſalivatio critica & ſalutaris interdum eſſe ſolet, quale exemplum annotavit Johannes Paulus Wurſtbain *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 122. p. m. 312.* in fœminâ quadam, binarum filiolarum, unâ hebdomade præmaturâ morte circumventarum, mœſtisſimâ matre, quæ primò febriculam cum Capitis dolore & levi ab initiô Tuſſi, deinde Phthiſin cum variis ſymptomatibus incidebat; & denique cum aliquali utriusque genæ, maxillas verſus, dolore, inſignem, ſpontaneam criticam & ſalutarem, ſine ullâ Mercurialium medicamentorum exhibitione obortam, experiebatur ſalivationem, quæ, cum ſeptem dies duraſſet & ob nimiam limpidæ & ſalivoſæ materiæ copiam, reſolutionis virium metum injeciſſet, ſenſim adhibitis moderatè incraſſantibus cohibita fuit. *Phthiſis.*

§. 12. In Capitis Dolore, Odontalgia, gravi Auditu &c. ſalivationem criticam ſæpe levamen tuliſſe dicit Antonius Nuck *Sialograph. cap. 2. p. m. 37.* Fœmina quædam triginta aliquot annos nata atque ex tertiô maritô quinta vice puerpera poſt quintam à puerperiô ſeptimanam äeri frigidiori ſe exponens *Cephalalgia.*

nens ingentem Cephalalgiam vel potius Hemicraniam cum vehementi Odontalgia, hâcque paulùlum cessante tantam Otalgiam incidebat, ut metus suppurationis dextræ auris accederet. Tandem vero superveniente primò Ptyalismo, posteaque largiore salivatione seu muci spissioris excretione, non modò capitis sed auris quoque dolorem post aliquot dies cessare observabam.

*Vertigo.* §. 13. De Vertigine Ptyalismô criticô desinente Observationem communicat Nicolaus Blegni *Zodiac. med. Gallic. Ann. 1. Mens. Octobr. Obs. 7. p. m. 160.* Nobilis scilicet matrona constitutione hæreditariâ Temperamenti melancholici, exspuitioni pituitosæ salsæ obnoxia ætatis annum quinquagesimum octavum ubi attigit, vehementi Vertigine correpta est, nullis remediis, quibus impugnata illicò fuit, cedente, ac septimô die Crisis quadam specie depulsâ, superveniente scilicet Ptyalismô, quibus â Mercuriô excitari solet, hoc tamen dissimili, quòd materia fluens multò acrior esset, ac corrodendi majore vi prædita, eâ, quam profundere solent Lue venereâ infecti; ejusmodi verò effluvium diutissime protractum est citra ullam imminutionem. &c. vid. etiam Steph. Blancard. *Collect. med. physic. Cent. 3. Obs. 42. p. m. 406.* Viri vertiginosi salivatione symptomaticâ laborantis meminit Simon Schulzius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 1. Schol. p. 2.* Vertigine scilicet repentinâ, â primô Vere ad Augustum circiter durante correptus est Vir quidam tumorem & Calculum sub lingva per aliquot annos sentiens; superveniente deniqve insigni inflammatione & summò suffocationis periculò. Hæ angustiæ durarunt qvinqve dies, quô totô tempore tanta Saliva profluxit, ut Caput reclinare non posset, qvò dormiret; usqve adeò, ut amici ægrum visitantes inter se qvæsiverint, numnè Medicamento qvodam mercuriali usus fuisset. &c.

§. 14



§. 14. Tinnitum Aurium salivatione criticâ solutum legimus ib. *Dec. II. An. 3. Obs. 173. p. 338.* ubi Virum magni nominis literatum se novisse scribit Johannes Burgius, cui tinnitus aurium, quô sæpius infestabatur, non nisi Ptyalismô spontaneô discutiebatur; cumque alias ob causas Acidulis Egranis uteretur idem, non per urinarias modò vias & Intestinorum canales, sed etiam per Vasorum salivalium copiosam emunctionem suam testabantur efficaciam. *Tinnitus Aurium.*

§. 15. Post sangvinis sputum Salivæ largam excretionem salutarem annotavit Antonius Nuck *Sialograph. cap. 2. p. m. 36.* in Viro literato, cui postqvam per aliquot dies sangvinis Uncias tres quatuorve tussiendo reddidisset, sexiesve aut pluries, modò in brachiò, modò in pede, vel manu secta vena fuisset; sangvinis sputum quidem cessavit, sed Salivæ secretio sputum hoc sangvineum subsecuta est tam copiosa, ut per quatuordecim circiter dies quotidie uncias triginta sex, sive pintam unam cum mediâ salivando redderet; quod quidem ægrum multum debilitavit, attamen ab imminenti periculosissimô effectu ferè liberavit. *Sangvinis sputum.*

§. 16. Mulier quædam quadragenaria, quæ diuturnô albô Fluore laborabat, post multa remedia frustra tentata, demum salivatione magnâ sponte ortâ protinus liberabatur, juxta Josephi Lanzoni observationem, vid. *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obs. 140. p. 266.* *Fluor albus.*

§. 17. Attamen non semper ejusmodi salivationes tum criticas, tum imprimis symptomaticas optatus effectus, sed qvandoqve plus damni, quàm salutis insequi solet; siquidem, quamvis sæpe numero in Variolis confluentibus talem salivationem observârim salutarem, quandoque tamen eandem maximè tædiosam, diuturnam atque ob metum suffocationis â refrigeratione ægrotantium, & in scorbuticis ob erosionem satis periculosam expertus sum. Præsertim etiam in iis Variolosis, qui proximè aut longiùs ante Variolas, *Ptyalismus non semper salutaris. in Variolis.*

 ob

ob Luem veneream, Medicamentis Mercurialibus usi fuerunt, Ptyalismus suspectus mihi esse solet. Et secundum Thom. Sydenham *l.a.p.m.192.* in Confluentibus maximè periclitantur ægri, & pleriqve etiam moriuntur, die undecimo; nam cùm hoc ferè tempore salivatio, qvæ ægrum hactenus in tutô posuit, soleat desinere sponte suâ, nisi faciei & manuum intumescentia adhuc persistens ejus vicem subeat, necesse est, ut pereat æger. Id enim est perpendum, quòd in hoc Variolarum genere, ubi pustulæ tam sunt exiguæ, non salivatio tantùm, sed faciei insuper & manuum intumescentia ad materiam morbificam ritè eliminandam omninò reqviruntur, quarum utralibet, si vel non adsit, vel ante justum tempus recedat, ægro protinus moriendum est. Exemplum diuturnæ salivationis, absque tamen Euphoriâ, inter alia de nobili Juvenculâ recenset Richardus Morton. *Oper. med. Tom. III. cap. 9. p. 139. & Histor. 53. p. 292.* in hâc scilicet natura defectum maturationis Variolarum (quæ depressæ & serò limpidô semiplenæ erant) salivatione longâ & ærumnosâ supplere moliebatur: A die enim Morbi septimô, cùm primum Variolæ suô more, hoc est tardè maturescere cœperunt, Lympha venenata è reseratis ductibus salivalibus, velut ex perenni fonte perpetim scaturiens usqve ad vigesimum primum diem, exsiliebat, nisi die decimô quintô, cùm Ptyalismô subitò & inexpectato suppressò, ægrotans ad aliquot horas quasi suffocata in vitæ periculum adducta videretur, donec spiritùs per idonea Medicamenta resarciti denuò repagula ductuum salivalium reserantes Ptyalismum reduxissent. Ab istô tempore, rivulo lymphæ excretæ indies auctô, Ægrotans demum salivatione nimiâ (quam neqve supprimere fas erat) confecta, non febre vel delirio, sed deliqviis sæpiùs tentata vigesimô primô morbi die, Variolis adhuc imperfectè maturis, ad plures migrabat. &c. Imò quàm sæpe in Variolis confluentibus salivationi satis largæ Purpuram albam, ut plùrimum lethalem supervenire videmus?

§. 18.



§. 18. Ejusmodi effectus seu Ptyalismus frustaneus etiam in aliis affectibus observatur; siquidem in illâ Matronâ, cujus paulò antè ex Blegny Zodiacô mentionem fecimus, Vertigo eqvidem cessabat, alia nihilominus pessima symptomata remanebant; atque ob diutissimè protractam salivationem non solùm ad balnea, sed etiam ad varia sangvinem & viscera depurandi, nec non humores pituitosos, & scorbuticos extrapellendi virtute prædita medicamenta confugiendum erat. Omnia verò incassum; Saliva enim tandem tantam aciditatem adepta est, ut ipsi ægre non esset ferenda; siquidem in Temporibus manifesta depressio animadversa est, febris hectica eam prehendit, stupendus langvor virium successit, dentes petrosam formam adepti sunt, cum tantâ crassitie & gravitate, ut se geminos muros lapideos ore gestare crederet. Post Cardialgiam Deglutitionem læsam in Senatore quodam observavit Carolus Raygerus, ita ut dictus Vir solida eqvidem facillimè, liquida verò neutiquam deglutire, sed aquam cochleatim tantùm absorbere potuerit, statim superveniente enormi quadam salivatione, quæ descensum liquidorum impedivit, quamvis & fluxus hujus pituitæ lentæ ac viscidæ semper duraverit; ut tandem contabescentia tanta, ut Cutis vix ossibus hæreret, tandemque mors supervenerit. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obs. 10. p. m. 14. seq.* Pastorem quendam sexaginta duorum annorum, Complexionis phlegmaticæ, per aliquot menses πτυελισμῷ, pænè assiduâ salivatione, diu noctuque perseverante molestatum, tandem asciticum interiisse refert Augustinus Thonerus *Observ. medicin. Lib. 3. pag. m. 145. Observ. 7.* Ex nimiô Fumi Nicotianæ usu horribili Ptyalismô correptus fuit Vir quidam podagrico-asthmaticus, ita ut Saliva continuò efflueret, Corpus summopere emaciaretur, appetitus penitus vacillaret, atque denique æger Hydrope, comitante Orthopnœâ funestâ moreretur, juxta observationem Joh. Jacobi Harderi

*In aliis affectibus.*

*Apiar.*

*Apiar. Obs. 43. p. m. 191.* Anno 1678. Sutor quidam Gœrlicensis Medico suo de langvore, Anorexiâ, febriculâ, tamque copiosæ Salivæ ex ore effluxu, ut tantùm non viribus orbaretur, conquerebatur, addens, salivationem hanc id quoque comitari infortunium, quod tota oris fauciumque regio Salivæ acrimoniâ sit erosa & cum dolore non exiguô conjuncta. Præterea hoc salivationis genus interdiu ipsi magis, quàm noctu infestum erat, ubi corpus sudore copiosô defluens salivationi habenas quasi injicere solebat. Ab hoc tamen molestissimô symptomate dictus Sutor intra Mensis spatium liberabatur. v. Ehrenfr. Hagendorn. *Histor. med. physic. Centur. I. Histor. 72. p. m. 106.* Aliam observationem de Phthisi salivatoriâ recenset idem Autor *l. a. Histor. 85. p. m. 123* scilicet ab Ephippiarii uxore Phthisi consummatâ laborante, nec salivam purulentam, nec Ichorem cruentum cum tussi rejectum vidit, sed aquam limpidissimam, veluti ex fonte saliente petitam, faucesque continuò occupantem, ut hinc eandem salivatione mercuriali usam esse Medicus putaret, cùm lingva & fauces pariter erosæ viderentur, ipsaque demum exhaustis longô morbo viribus, moreretur. Sic Baro quidem septuagenariô major Ptyalismô per Menses aliquot tantô continuè molestabatur, ut cibum & potum liberè assumere nequiret; Tandem adveniente Stomachi Anorexiâ & Crurum sphacelô, ad plures emigravit, teste Johanne Helwigiô *Observ. 64. p. m. 215.* Virum quendam plusquam septuagenarium itidem per Ptyalismum placidè obiisse, refert Emanuel König *Regn. animal. Sect. I. Art. 5. pag. m. 17. & 20.* Miram salivationem annotavit Georgius Dethardingius in Viro viginti octo annorum, ex cujus ore salivæ pellucidæ & claræ ultra triginta Uncias spatio unius diei profluxit, citra quòd Mercuriô eadem fuerit prolecta. Hujus viri lingvâ elevatâ dictus Medicus oscula glandularum sublingvalium, quò versus gingivas properant, conspexit ampla satis & hiantia, flumen tam largum fundere. v. *Ephemerid. Acad. Nat.*



*Nat. Curios. Cent. VIII. Obs. 41. p. 313. seq.* Et Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 108. p. m. 207.* limpidæ aquæ copiosè ex ore rejectæ meminit: Matrona scilicet quædam honestissima magnâ cum virium debilitate insignem aquæ limpidissimæ copiam ejecerat istoque fluxu jam bis & quidem summâ cum virium prostratione laboraverat. Hic scaturiens fons limpiditate suâ fontanam superabat, omnis odoris & coloris expers; atque hunc aquæ effluxum tanta comitabatur virium debilitas, ut animam agere fœmina videretur. &c. De ingenti salivatione, singulis diebus tum manè, tum vesperi, cum intensô dentium dolore, redeunte atque per bihorium instante, vid. Vit. Riedlin. *Millenar. Observ. 690. p. m. 428.* Imo Sacerdotem qvendam ipsam tandem animam cum sputô emisisse, refert Frider. Hoffmannus *Disput. de Saliv. & ejus morb. cap. 6. §. 3. p. 23.*

§. 19. Arte quoque vel medicamentis largiorem Salivæ effluxum, seu sputationem vel salivationem excitari posse, paulò antè diximus; Ut enim de radice Pyrethri & aliis masticatoriis & apophlegmaticis hoc locô nil repetamus, scribit Robertus Boyle *de Util. Philosoph. experim. Exercit. 5. p. m. 345.* Cerussam Antimonii certis in Constitutionibus observari sputum, langvidè tamen, concitare. Sic post Potum aqvarum Spadanarum tantam pituitæ quantitatem sputando egessit Illustris quædam Matrona, ut duas argenteas pelves, quatuor librarum medicarum capaces impleret, annotante Henricô ab Heer *Obs. 1. pag. m. 12.* Idem *p. 14.* duorum Virorum Illustrium meminit, qui, inter bibendum & post, Ptyalismô copiosô, maximam aquæ vacuârunt partem, ita ut per alios meatûs nihil observatu dignum excernerent. Hæc scribens recordor fœminæ cujusdam melancholico-hypochondriacæ, quæ hoc tempore meô svasu Acidulis Egranis tantô cum effectu utitur, ut post Vomitum, primô solùm die excitatum, omnibus reliquis diebus per quatuor vias simul, scilicet per deje-

*Ptyalismus à variis medicamentis.*

*à Cerussâ Antimonii.*

*ab Aquis Spadanis.*

*Observatio.*

dejectiones, diuresin, diaphoresin & largissimam salivationem operatio cum Euphoriâ secuta fuerit. Huc pertinet etiam Vitriolum album in minori dosi, v. g. ad granum unum vel duo quotidie exhibitum, Salivam movens, quô pari ratione ac in vomiturientibus Saliva copiosissima ad os fertur. De hoc ita scribit Georgius Wolffgangus Wedelius *Amœnitat. mater. med. Lib. 2. Sect. 2. cap. 16. pag. m. 463.* Novimus quosdam cum successu uti Vitriolô albô, saltem ad granum unum quotidie dato, salivationis fine, minori indicatione, quô factô & per aliquot dies continuatô blanda quædam salivatio oritur cum successu. Vitriolum enim est emeticum, dosi justâ datum, minori verò continuatum, cùm movere vomitum non possit, saltim Salivam in os movet, uti id ipsum fit in vomiturientibus. Danielem Ludovici per spiritum Vitrioli super Vitrum Antimonii vel Crocum metallorum digestum, ad guttas aliquas datum salivationem cum summa Euphoriâ excitâsse, ex ipsius Pharmacia refert Fridericus Hoffmannus *Disput. pro Licent. de Avtocheiriâ Præside Augustino Henrico Faschio Jenæ 1681. habit. pag. 37.* ubi etiam loco spiritus Vitrioli spiritum salis ammoniaci vinosum substitui posse addit.

*a Vitriolô albo.*

*a Nicotiana.*

§. 20. A Nicotianæ nimiô usu copiosum quandoque Ptyalismum excitari præter quotidianam experientiam inter alios confirmat Antonius Nuck *Sialograph. cap. 2. pag. m. 38. seq.* Salivationem, inquiens, etiam promovet Tabaci usus, sive illud masticetur, sive fistulâ fugatur, quibus horæ quadrantis spatio facile uncia integra Salivæ secernitur. Partes namque Tabaci subtiliores & magis volatiles in Vasa glandularum excretoria penetrantes, ea ipsa irritare, particulasque viscidas hinc illinc latentes incidendo, humoris salivalis secretionem promovere valent, copiosiorem etiam exspuunt Salivam, quod multum loquantur Tabaci suctores & copiosiorem potum assumant. Dum genio suo ita indulgent herbæ hujus



hujus amatores, evenit, ut multi excrementitii humores unà cum Salivâ, in nonnullis cum εὐφορίᾳ, excernantur, quamvis in aliis iterum nocivus adeò Tabaci usus sit, ut, continuâ hac Salivæ exspuitione, massam sangvineam reddat in motu nimis tardam, appetitum destruat, Dyspnœam, aliaque mala inducat. Idem confirmat etiam Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obs. 43. p m. 191.* de Asthmaticô quodam, qui post nimium fumi Nicotianæ usum horribili Ptyalismo, correptus fuit, Saliva scilicet ex ore continuò effluebat, corpus summopere emaciabatur, appetitus penitus vacillabat; urinæ paucæ erant & tenues, pulsus celer & frequens; Tandem æger ab his molestiis liberatus pristinam cantilenam recinere cæpit, unde mali fomes prorsus erupit, ægerque hydrope, concomitante Orthopnœâ funestâ, mortuus est. Et in Scholiô allegatæ Observationis dictus Autor ita pergit: Dolendum magis, quàm mirandum, adeò Nicotianæ cultores fumosis deliciis inescari, ut ægerrimè illis valedicere queant, incommodorum, quæ pariunt, licet conscii, id quod malesvadæ consvetudini attribuimus. Pollet sanè particulis oleosis & salinis acribus, quibus cum reserat ductuum poros & oscula Nicotiana, semelque adhærescens fibrillas ipsorum stringit, succosque è fontibus elicit; præprimis verò ulterius spicula sua salina communicans, sangvinis particulas solvit, incidit, viscidiores, præterque modum usurpata fluxiles nimiùm facit, feroque per ductûs salivales patulos, glandularumque poros excretorios, quibus illæ ramosæ juxta facilè adhærent, exstillandi copiosè viam parit, simili planè modô & eventu, quem ex Mercuriali inunctione subsequi notamus; enimvero læduntur â nimietate seri affluentis ductuum fibrillæ, glandularumque pori & copiosè irrigatæ ac humectatæ ita laxantur, ut ad votum nostrum stringere se non valeant, pro aquarum impetu prohibendô; Accedit spiritûs animalis defectus, læsâ vel solâ sangvinis ipsius ma-

 teriam

teriam advehentis necessariâ crasi, & enervatio ab impuris ac improportionatis fumi miasmatibus, ipsi subinde accrescentibus, indeque motu suô turbantibus ac pervertentibus. Notatu sane, pergit idem, dignissimum est, quòd ex crebriore Nicotianæ fumô Asthma & Phthisin subsecutam fuisse Practici animadverterunt; â particulis nempe nocivis in inspiratione immediatè asperæ arteriæ hujusque expansionibus communicatis, à quibus corrugantur & quasi exsiccantur membraneæ vesiculæ, aridique fiunt pulmones, quorum officii defectum graviter luit postmodum universa humoralis massa; Salivâ quoque copiosè profluente, vel inerti redditâ, ex spirituum defectu, fomentô in cibi concoctione necessario Ventriculus destituitur, quin imò materia menstruo hujus idonea identidem decedit, unde minuitur appetitus, læditur πέψις, aliaque innumera in Corpus mala redundant. Hæc in gratiam Tabacibibulorum ex dictô Autore adducere debui.

*ab odorifero* §. 21. Per Odorem etiam Salivam in motum & excretionam præternaturalem agi posse, confirmat Observatio, quam Casparus Theophilus Bierlingius *Adversar. Curios. Cent. 1. Obs. 54. Schol. pag. m. 98.* de nobili refert fœminâ, quippè quæ ab aliquot Virginibus nobilitate claris in puerperiô visitata fuit; quarum Crines Pulverere de Cyprô odoratissimô ad albedinem usque conspersi erant; qui odor puerperæ tam abominabilis fuit, ut statim exinde in atrocissimos Capitis dolores, cum insigni Ptyalismô lapsa sit, quæ ipsam per aliquot annos molestârunt, donec tandem adhibitis variis remediis iterum cessarent, sed tamen nonnunquam, quamvis non tam frequenter, neque tantâ cum vehementia recurrerent.

*Salivatio fortuita.* §. 22. Salivationem fortuitam annotatam reperimus *Act. Medic. Berolin. Vol. II. p. 68.* dum per minùs circumspectum Mercurii currentis magis lusum quàm usum, simul magna ejus pars in terram asseribus stratam profundebatur, nudis pedibus



pedibus conculcabatur, aut forte etiam pars ejus intra calceos prolapsa, pedum poris adfricabatur, indeque tres personæ in eadem familiâ in veram prolabebantur salivationem, cum faucium intumescentia & universi oris stomacace &c.

§. 23. Imprimis autem ad largiorem Salivæ copiam *à Mercuriô* sive Salivationem proliciendam hodierno tempore Mercurius tam externè, quàm internè adhiberi solet. vid. Matthiæ Untzer. *Anatom. Mercur. spagiric. Lib. 1. cap. 22. p. m. 176.* Joh. Bohn. *de Offic. medic. Part. 1. cap. 15. pag. m. 294. seqq.* quandoque etiam, præter Medici aut Chirurgi intentionem, hujus medicamenti, pro aliô scopo adhibiti, externum usum salivatio sequitur, uti in nobilissimâ quadam Matrona Solodurensi expertus est Gvilielmus Fabricius; Illa scilicet laborabat ingenti Abscessu inter Peritonæum & Musculos externos Abdominis, quem cùm Fabricius e regione Renis dextri aperuisset, & post digestionem ulcus pulvere præcipitatô, diligentissimè præparatô & rectificatô mundificâsset, talis salivatio secuta est, ut plerumque unâ die ad libras aliquot pituitæ exspueret, non aliter ac si hydrargyrô inuncti fuissent articuli omnes. vid. Gvil. Fabric. Hildan. *Observ. Chirurg. Cent. 5. Obs. 94. fol. m. 428.* Qvô autem modô Mercurius in massam sangvineam ita operetur, ut tanta salivatio excitari queat, variè Autores explicant. v. Hier. Fracastor. *de morbis contag. Lib. 3. cap. 10. p. m. 269.* G. Wolffg. Wedel. *Patholog. med. dogmat. Sect. 3. cap. 12. p. m. 647.* Et *Amœnit. mater. med. Lib. 2. Sect. 2. cap. 16. pag. m. 463.* Th. Willis. *de anim. brutor. cap. 2. pag. m. 151. seq.* Mich. Ettmüller. *Op. Tom. I. fol. m. 467.*

§. 24. Hoc remedii genus imprimis in Siphilide seu *Salivatio in Lue venerea.* Lue venereâ jamdudum & hucusque solenne fuit; hinc scribit Gabriel Fallopius *Tract. de Morb. Gallic. cap. 76. Oper. Tom. I. cap. 76. fol. m. 727. seq.* Prima ratio empirica, quâ sanatus morbus Gallicus in Italia, fuit ab argentô vivo sumpta, quoniam, cum cæperit grassari morbus, Chirurgici, qui nitebantur

tur omnem lapidem movere, cùm legiſſent, hydrargyron nimium valere ad ſcabiem rebellem, cumque primis temporibus lues hæc ulcera afferret, experti ſunt Argentum vivum & feliciter quidem, unde multi divites facti ſunt, inter quos Jacob ille Carpenſis, cum ſolus calleret ſecretam hanc medicinam, ita opulentus redditus eſt, ſolò iſtô quæſtu, ut teſtatus fuerit numeratam pecuniam 40000. ſcutatorum præter argenteam materiam, quæ omnia Duci Ferrarienſi reliqvit, &c. Juxta Johann. Michael. *Oper. med. Prax. Clin. Par. I. Lib. 4. cap. 55. p. m. 210.* Salivatio eſt cura periculoſa & moleſtisſima, nam ſemper exſpuere coguntur ægri, ut vix cibum aſſumere posſint; Interim eſt ultimum in hoc morbo refugium. Ut plurimorum aliorum Autorum, de hoc morbô tractantium, mentionem non faciam; vid. Matthiæ Unzer. *l. a. p. 176. ſeqq.* & alii Autores de Lue venerea ſcribentes.

*in Corpulentia.* §. 25. Non autem tantummodo contra Luem Gallicam, ſed etiam contra alios affectûs ſatis rebelles & â viſcidô acidô ortas ſalivationem in Praxi medicâ obſervamus adhibitam, v. g. Corpulentiæ nimiæ moleſtæ per ſalivationem ſanatæ exemplum recenſet Olaus Borrichius de Tribunô quodam militari ſexagenariô, ſed vegetô, qui quintô quoque annô ita abdomine tardus evaſit & pingvedine nimiâ diſtentus, ut aliis gravis, ſibi inviſus fuerit; Huic malo tandem poſt varia remedia in Mercuriô dulci opem ſollicitavit & invenit. Progreſſus autem eſt Pilulis mercurialibus ad eam paulatim doſin, ut apertis Gingivarum laxitatibus Ptyalismus, qualem in aduſtis Veneris Nepotulis efflagitant medentes, ut fœdam Luem exſpuant, fuerit ſecutus. Per has vias Omaſum ſeſe exoneravit & lætum alacremque Tribunum ad munia ſveta reddidit expeditiorem. Ex eô triennium integrum exegit ab infeſtô aliquali pondere liberum. Tandem rediit ſenſim malum, & quintô poſt annô novam curam depoſcit &c. vid. *Acta Hafnienſ. Vol. I. Obſ. 74. p. m. 164. ſeq.*

§. 26.



§. 26. Quartanâ laboranti Virgini cuidam Perllluſtri *in quartana.* Curationem ſubitam quovis licet modô perficiendam exigenti Thomas Williſius propoſuit, quod, ſi â pharmacô minerali per aliquot dies oris fluorem pateretur, inde morbum brevi profligatum iri ſperaret. Cui conſilio cùm facilè aſſentiret hæc virgo, pharmacum ei mitius & tutum exhibuit Williſius; â quô ſputatio tantùm levior, eademque intra duodecim dies finita ciebatur. A quô ſalivatio incepit, paroxysmis ſtatim caruit; quibus verò temporibus accedere ſolebant, perturbationem in totô corpore cum Cordis oppresſione & lypothymiæ metu perſenſit; poſteà tamen ſputatione finitâ plane convaluit. vid. Th. Williſ. *de Febrib. cap. 6. p. m. 97. ſeq.* Ex Mercurii dulcis exhibitione ad grana quindecim ſaltem in ſexagenariô quartanâ laborante Ptyalismum leviorem ſubſequi cum moleſtâ dentium vacillatione vidit Johannes Jacobus Harderus, uti refert *Apiar. Obſ. 43. Schol. p. m. 192.*

§. 27. Hydropem in fœminâ ſcorbutico-cachecticâ, *in Hydrope* quæ poſt Mercurii dulcis uſum per quatuordecim dies noctesque continuum humoris limpidisſimi fluxum, & quidem tantum patiebatur, ut ſingulis diebus plus quàm quatuor libras exſpueret, perfectè ſanatum obſervavit Andreas Ernius, *vid. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 36. p. m. 91. ſeq.* Et Lucas Schroekius Scholiô in dictam Obſervationem ex Franciſcô Sylviô adducit, quòd aliquando ſalivatio ſponte contingat, uti ipſe nonnunquam, & quidem cum notabili ægrotorum commodô & liberatione â morbis chronicis, â pituitâ ſemper pendentibus, obſervarit, unde Schroeckius concludit, quod illi, qui naturam ducem in hoc paſſu providè ſequantur, laudabilem â procuratô per mercurialia medicamenta Ptyalismô, humore ſeroſô ac pituitoſô ſic liquatô atque è corpore ſenſim eductô, obtinere queant effectum. Salivatio in Hydrope, quamvis ſemper ſit moleſta, attamen ſæpisſime

ſime eſt ſalutaris, inquit Theodorus de Mayerne *Prax. med. Lib. 3. cap. 10. p. m. 385.* & juxta Franciſc. Oswald. *Grembs Arbor. integr. & ramoſ. Homin. Lib. 2. cap. 1. § 6. n. 52. p. m. 118.* Hydropem non juvant hydragoga, ſed Mercurius. Hydropem Turpeto minerali exhibitô per ſalivationem curavit Turqvetus, juxta Diaphoreſin & Diureſin procuratam. v. Georg. Hieron. Velſch. *Mictomimemal. Cent. 1. n. 63. M. N. C. Dec. 1. An. 4. & 5. Append. p. 17.* Quam tamen ſalivationem huic affectui ne quicquam convenire, & remis velisque, ut dicitur, fugiendam eſſe, idem Autor addit.

*in Rhevmatismis.* §. 28. In Rhevmatismis humoralibus non ſine ratione ſalivationem ſvadet Clopton Havers *Oſteolog. nov. pag. m. 291. ſeq.* ſunt, inqviens, Evacuationes quædam, quæ huic Rhevmatismi ſpeciei peculiariter magis congruæ eſſe videntur, quàm omnes aliæ: dum obſervavi tendentiam materiæ glandulas ſalivales copioſamque exſpuitionem nonnullis ægris in hoc caſu contingentem, in eam propendi ſententiam, ſalivationem hic admodum fore convenientem.

*in Strumis.* §. 29. Pro Strumis aliisque frigidis ſeu pituitoſis tumoribus curandis ſalivationem prodeſſe ex Kyperô allegat Joh. Bohnius *de Offic. medic. duplic. Part. 1. cap. 15. pag. m. 292.* Et licet Ptyalismus in curandis ſcrophulis ſit Symptoma laborioſum & importunum, attamen quibusdam videtur ſalutare; hocque Theodoro de Mayerne vulgare fuit, ut in ſtrumoſis, quaſi laborarent Lue venereâ, vel frictionibus, vel fumô provocarit ſalivationem cum effectu non pœnitendô, præſertim quando circa Collum tumores iſti extuberant, vid. *Theod. Mayern. l. a. Lib. 1. cap. 19. p. m. 143.* Infelicem verò talismodi Curæ exitum annotavit Richardus Morton *Phthiſiolog. Lib. 1. cap. 9. p. m. 54. & Oper. Medic. Tom. 1. p. 25.* in Filiâ Domini Daulion Pharmacopolæ, quæ à ſalivatione mercuriali ad curandas ſcrophulas excitatâ, ſtatim à finitâ ſalivatione in Tabem lethalem incidit, & ob ingentes humorum impenſas,



ſas, ſalivatione factas, neque äere, neque lacteâ diætâ, neque ullâ aliâ arte reſtitui potuit, verùm ſenſim Tabe confecta, ſine ulla Phthiſeos pulmonaris notâ, poſt unum vel alterum menſem â ſalivatione elapſum, ultimum diem clauſit. Hiſtoriam Phthiſi ſcrophuloſâ laborantis & ſalivatione feliciter curati, communicat Godofredus Klaunigius *Noſocom. Charitat. Hiſtor. 2. pag. m. 5. ſeq.*

§. 30. Maniacum ope ſalivationis reſtitutum ſalvum evaſiſſe & incolumen, ante ligatum & in vinculis detentum, refert Gvernerus Rolfincius *Ord. & method. medic. ſpecial. Lib. 6. Sect. 3. cap. 1. pag. m. 590.* *in Maniâ.*

§. 31. In Epilepſiâ, ſi reliqua Medicamenta incaſſum fuerint adhibita, ſalivationem commendat Thom. Willis *Tr. de Morb. convulſiv. cap. 3. p. m. 465.* Non unum, ſed plures ſe epilepticos hac viâ liberaſſe ſcribit Gvernerus Rolfincius *l. a.* quô tamen addit, bis tantùm ſpem feſelliſſe, ubi radices mali ab hæreditariâ infiltratione erant firmatæ. Imò, *p. 591.* caſu fortuitò quendam epilepticum quadraginta annorum, cùm lue vereâ correptus inungi ad ſalivationem ſe pateretur, curatum fuiſſe, recenſet. Ptyalismum ſalutarem in Epilepſiâ ex accidenti concitatum proponit Johannes Mauricius Hoffmannus *Ephemerid. Academ. Nat. Curioſ. Cent. I. & II. Obſ. 136. p. m. 272.* Nimirum Illuſtris quædam Virgunculâ annos novem circiter nata, Epilepſiâ ſæpius correpta eſt erraticâ, nullam certam periodum ſervante, quam inſtantem ſternutatio crebrior præſagiebat, vocatus Hoffmannus cum aliis Medicis conſultationem inſtituit, atque præſcripta ſunt præter conſveta evacuantia antepileptica varia; ſic inducias qvidem dedit malum, ſubinde tamen per intervalla modò longiora, modò breviora redierunt paroxysmi epileptici. Cùm verò dictus Medicus haud ignarus eſſet, Parentem Virgunculæ, tunc quidem vitâ defunctum, antehac Lue venereâ correptum quàm maximè fuiſſe, non immeritò in eandem de- *in Epilepſiâ.*

venit suspicionem, virulentum venereum acidum â genitore genitæ quasi per traducem implantatum, & hîc præcipuam fortè ludere tragœdiam, autor suasorque fuit, ut Trochiscorum Hermeticorum celeberrimi Scrætæ quatuor & quidem in pulverem priùs triti cum pulticulâ pomorum coctorum ægræ exhiberentur. Sed ecce, quæ â servitiô erant ancillæ hujus præcepti oblitæ Trochiscos prædictæ virgunculæ tradiderunt masticandos & devorandos: tunc primâ quidem die alvus sexies soluta fuit, alterâ autem cœperunt cum dolore intumescere fauces, lingva, palatum, gingivæ, demumque insecuta est aliquot dierum salivatio, etsi non intentata, optimô tamen cum eventu; ab illô enim tempore ab omni insultu epilepticô immunis vixit Virguncula. Descriptionem Trochiscorum Hermeticorum Henrici Scretæ cum aliis ejusdem Medicamentis selectis communicat Rosinus Lentilius *Miscell. med. pract. Part. III. p. m. 61.* ita:

*Trochisci Hermetici Scretæ.*

R. ☿ dulc. Unc. dimid.
C. C. philosoph. Scrup. 2.
Cinamom. acut. Scrup. 1.
Diagryd. 🜔at. gr. xxxxviij.
Sacchar. alb. Unc. 1.
Conserv. Rosar. drachm. 2.
c. Mucilag. Tragac. in 🜄 Rosar. solut
f. Trochisci no. LXIV.

Infantibus dicatum præcipuè laudatissimum medicamentum in Glandularum Mesentericarum infarctu, variolarum, morbillorum & Lumbricorum indiciis. Dosis, Infanti unius anni unicus, bimulo & trimulo duo, quatuor & quinque annos habenti tres, sex ad decem usque, vel triti in pulticulâ, aut aliô quocunque modo exhibiti &c. Sed ut ad Epilepsiam nostram, salivatione curandam, revertamur; Mercurialem salivationem Epilepsiæ habitualis averruncam annotavit Johannes Acoluthus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obs. 166. p. 312. seq.* sci-



scilicet sedecim annorum Juvenis â primis vitæ annis ad illum usque ætatis terminum crebriore Epilepsiâ corruens plurimorum Medicorum consiliis invanùm fatigabatur. Sentiebat autem imminentis mali præsagium sinistri hypochondrii dolorem; tum canis instar ringebat, simul & dentibus, quodcunque obvium, lacerabat. Cunctis autem remediis incassùm adhibitis, dictus Medicus, præmissô purgante, salivationi destinâtum juvenem, simplici ex Mercurio & Axungiâ porcinâ Ungventô illiniri jussit, nec quicquam notabilis totum curatiorius obtulit stadium, nisi quod salivationem segnius quandoque se gerentem, Mercurio dulci stimulaverit. Adhibitis adhibentis mediô ferè sputationis curriculô, leviore accessu, Convulsiones valedicebant. &c. Juvenem Generosum Epilepsiâ variis stipatâ symptomatibus affectum mediante salivatione mercuriali pristinæ sanitati restituit Theophilus Budæus, cujus curam *vid. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obs. 171. pag. 288. seq.* A solâ etiam inunctione Mercuriali absque subsequente salivatione remittentes Insultûs epilepticos observavit Vitus Riedlinus, Parens, *Observ. medic. Cent. 3. Obs. 71. p. m. 389. seq.* Nihilominus tamen salivationem mercurialem sæpius equidem, semper tamen absque effectu se ordinasse, scribit Johannes Muraltus *Hippocrat. Helvetic. p. m. 247.*

§. 32. Sicuti Apoplexia nonnunquam fluxu phlegmaticô oris, qualis lue venereâ laborantibus post inunctiones mercuriales accidit, finitur, juxta Dan. Sennert. *Practic. Lib. I. Part. 2. cap. 33. p. m. 664.* vel juxta Paul. Barbett. *Prax. Lib. I. cap. 2. p. m. 18.* interdum per criticam salivationem, Lymphâ nempe crassiore sic purgata excretâque vi naturæ, solvitur; ita quoque per excitatam salivationem ipsam Apoplexiam ast levem curatam vidit Fridericus Deckerus, nulla remanente Paralysi, ast pro tempore tantùm partium quodam stupore. vid. Barbett. *l. a.* *in Apoplexiâ.*

M 2 §. 33.

*in Paralysi.* §. 33. In Paralysi cur Medici hactenus salivationem mercurialem non adhibuerint, valdè demiratur Robertus Boyle, in hac enim ejusdem virtutes æque ac in morbis Venere ortis efficaces esse arbitratur, quin & efficaciores, quàm remediorum vulgarium. vid. Rob. Boyle *de Utilitat. Philosoph. experiment. Exercit. 5. cap. 19. §. 17. p. m. 345.* Et Thomas Willisius *de Animal. brutor. Part. 2. cap. 19. pag. m. 221.* Paralyticos quosdam salivationem per Mercurium excitatâ sanari, & propriâ & quorundam aliorum Medicorum experientiâ satis comprobatum habere dicit. Attamen hoc remedii genus Paralysi tantùm habituali, quæ scilicet Procatarxin in sangvine & Cerebrô satis mobilem, atque causam conjunctam in appendice nervosô haud valde fixam habet, adhibendam censet. &c. Post frustraneum Decoctorum, ex Sassaparillâ paratorum usum, â salivatione mercuriali optimum effectum sæpius se expertum esse refert Ægidius Daelmann. *Prax. med. p. m. 9.* vid etiam paulò infra de salivationis usu in scorbutô.

*in Cephalalgia.* §. 34. Dolorem Capitis contumacem refractarium, nullis cedentem remediis aliis, salivatione, arte factâ, restitutum vidit Gvernerus Rolfincius *l. a.* Et ab inveteratâ per multos annos internecinâ Cephalalgiâ, fatuitate omnimodâ & Caducô morbô quendam, stupentibus multis, liberavit Rosinus Lentilius in ipsius *Miscellan. med. practic. pag. m. 24.* Et Thomas Willisius *Tr. de Anim. Brutor. Part. 2. cap. 2. p. 151.* Salivationem eqvidem in Cephalalgiâ seu doloribus Capitis â Lue vereneâ ortis, concedit, contra alias autem Cephalalgias ob varias causas & observationes eandem dissvadet.

*in vertigine.* §. 35. A molestissimâ & diuturnâ Vertigine virgunculam qvandam salivatione liberatam esse se novisse scribit Chr. Fr. Paullin. *de Theriac. cœlest. Sect. 2. Part. 1. M. 1. cap. 3. p. m. 81.*

*in Lepra.* §. 36. Lepram seu Elphantiasin Græcorsim per salivationem sanari, insignissimè sero per hanc viam correctô, scribit G. Wolffg. Wedelius *Amœnitat. mater. medic. Lib. 2. Sect.*





*2. cap. 16. pag. m. 467.* Et Bernhardus Albinus *Disput. de Elephantia Jaxæ nov. Anno 1683. Francof. habit. §. 22. pag. 31.* si ab ullô medicamentô, certè â salivatione remedium expectat, quia satisfacit illa omnibus Indicationibus, glutinosam pituitam reverà quandoque acerrimam, quæ non solùm linteamina, sed etiam muros calce obductos exedit, in copiâ educit. Et in aliâ Disputatione *Anno 1694. ibidem habitâ §. 15. p. 26.* ita scribit: Cùm debellari morbus hicce vix ac ne vix quidem possit, aggrediendus tamen, ne omni prorsus æger destituatur solatiô; saltem in magnis maximèque arduis conatus laudabilis rejiciendus non est, verùm spes ad ultimum servanda. Ubi proinde, post tot jam incassum adhibita labor existit inanis, in unicô, tanquam firmiore anchorâ, salivatione nimirum mercuriali, si ulla superest, ægrique vires ætasque tulerint, auxiliô spem reponerem. Quid enim glutinosis, serosis acribusque humoribus corrigendis, quid glutinosis viscidisque resolvendis, aut ex his resultantibus morbis judicabis convenientius, quàm vel millè formas recipere aptum Mercurium, cui latibulum ferè nullum, nulli ferè Corporis meandri adeò sunt occlusi, quin illos novâ arte eludat. Nulla pars superest quam intactam in omnes oras versatilis hicce relinquat. Ille enim obstructionum claustra, in quocunque demum locô fuerint, nisi alia impediat Circumstantia, reserabit. Repertis salibus latus præbet, cum quibus conjunctus faciliori negotiô pituitosa attenuat, crassa incidit, reliqua salia terreasque partes, ubi ubi latuerint, è suis protrudit latibulis, sicque humoribus liberiorem Circulum conciliat. Neque felicius è sangvine educi possunt salia, nisi a Mercuriô occurrente in itineris invitata consortium. Huic Mercurio, omnem licet aliàs medelam respuant, sæpe cedunt Oedemata, cedunt Scirrhi, aliique, quibus nulla olim herba crevit, morbi omni fere medicinâ majores.

in Scabie. §. 37. Scabies contumax, nullis cedens remediis, etiam benigna, nullius pravæ indolis particeps, cedit salivationi juxta Gverner. Rolfinc. *l. a.* Scabiei feræ atque pertinacissimæ, in Juvene viginti duorum annorum, per longum tempus durantis perque mercurialem salivationem a se curatæ exemplum refert Rosinus Lentilius *Miscell. med. pract. Part. I. p. m. 157.* Cautè tamen & prudenter hoc in passu agendum, ne à Mercurialium usu mors aut salivatio lethalis subsequatur, siquidem Ptyalismum ferè lethalem â cinguli mercurialis contra scabiem applicatione annotavit Paulus Jalon *M. N. C. Dec. II. An. 6. Observ. 107. pag. m. 204.* Paulus Mansa, inquiens, triginta quinque annorum cacochymicus, temperamenti melancholico-pituitosi, scabie totius Corporis laborans, â muliere medicastrâ Cingulum pro eâ citius curandâ ex pannô rubrô confectum emit, neglectisque aliis remediis statim eô se circumcinxit. Post biduum omnes oris partes, lingva, fauces, palatum, gingivæ & labia ipsa cum dolore ulcerosô & phlogosi ita ipsi intumuerunt, & tanta viscidorum humorum copia ἀθρόως & confertim ex ore emanavit, ut viis propemodum interclusis, nec loqui, nec cibum aut potum assumere, nec respirare posset, quin imò facie in immensum auctâ & lividitate perfusâ, suspensi hominis instar, illicò suffocatum iri videretur. Quapropter Zonâ impigrè dicti Jalonis manibus avulsâ & amplissimâ in momentô Venæsectione celebratâ, ægrotanti mox injectum fuit Enema acre, à quô tam copiosæ successerunt dejectiones, ut octo vel novem horarum spatiô pleraque gravia symptomata remiserint, ægerque loqui & aliquot cochlearia jusculi assumere potuerit &c. Ita etiam in aliis pertinacioribus Cutis affectibus salivatio mercurialis usurpari solet, v. g. Pastor quidam à multis annis sinistro femore & brachio serpiginosis siccis Crustis infestatus, cætera sanus & bene habens, à salivatione mercuriali sanissimus evasi & mundissimus, teste G. Wolffg. Wedelio



Wedelio *Amœnit. mater. med. Lib. 2. S. 2. cap. 16. p. m. 466.* Sæpe cum fructu adhibetur in Impetigine, quandoque tamen sine desiderato effectu; Impetiginis enim bis salivationem eludentis exemplum communicat Vitus Riedlinus *Millenar. Curar. medic. Obs. 33. pag. m. 18.* de Mercatoris cujusdam uxore, quæ cetera egregiæ formæ, paulatim tamen ab Impetigine manûs præsertim in principiô, hinc verò Collum quoque & tandem faciem occupante adeô defœdata fuit, ut unô remediô non sufficiente, plura eidem opponere, tandemque, increscente malo, Curam per salivationem mercurialem admittere opus habuerit; Sat etiam feliciter hæc Cura Mercuriô dulci septies vel octies sumptô successit; & quamvis Impetigo curâ finitâ, non statim evanuerit, paulatim tamen cessit, ut curam non fuisse frustraneam abundè patuerit. At non ita diu constans fuit gaudium, quòd exinde dicta uxor concepit; Vix enim trimestri elapsô hinc inde priores maculæ comparuere; hacque vice malum sic increvit, ut ipsimet salivationem denuò instituendam esse consultum duxerit; hinc præmissis prætermittendis Mercurium dulcem iterum tam diu sumserit, donec illa successit, imò quando remisit, semper eam Mercuriò iterum sumtô revocavit, donec nunc salivatione adhuc insiante omnes maculæ sic evanuére, ut earum nec minimum quidem superfuerit indicium, unde jam eô majorem spem fovit, in posterum ab iisdem se immunem victuram. Trimestri autem circiter iterum elapsô, jam tertiò pullulanti malo denua quædam remedia opponere necesse habebat.

§. 38. Arthritis Indicat & auxiliares copias in actu præservationis a salivatione arte factâ expectat, secundum Gvern. Rolfinc. *l. a. p. 590.* Et juxta Johann. Michaelis *Prax. Clinic. general. Part. I. Lib. 4. cap. 54. pag. m. 208.* in quibusdam arthriticis potest salivatio habere locum, præcipuè si sit suspicio Luis venereæ. Observavit etiam Georgius Wolffg. in Arthritide.

Wedelius

Wedelius Podagricum quendam robusti satis corporis, ab inunctione Mercuriali liberatum, durante solatio per tres annos continuos; postmodum verò rediit morbus, mitior tamen vid. G. W. Wedel. *de Medicamentor. Facultat. Lib. 2. Sect. 2. cap. 12. p. m. 219.* Salivationem Mercurialium usu excitatam quosdam podagricos penitus sanâsse, meminit Johannes Andreas Stifferus *Solamin. Arthritic. seu Tr. de Podagr. c. 3. b.* Sæpissimè tamen ejusmodi Curas Arthritidis per salivationem institutas esse infaustas, testantur Practici; quale exemplum recenset Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 120. p. 228.* Barbitonsor videlicet quidam inter gregarios, Stolz dictus, militem quendam, Arthritide vagâ laborantem, Ungventô mercuriali inunxit, & quidem totam spinam & omnes articulos, à quâ inunctione miser miles adeò largam sustinuit salivationem, ut omnes dentes eximere potuerit; dein aliqvot post dies accesfit Sphacelus, à quô lingva, gingiva, fauces, imò tota facies cum maximô fœtore absumebantur, & sic æger tristi certè spectaculô vitam miserè amisit. Et Lucas Schroeckius Scholiô in allegatam Observationem judicat, non semper hanc curam conducere posse, atque in Arthritide, imprimis vagâ, turgescentibus humoribus, nec Corpore priùs satis dispositô, plenam esse periculi. Aliud infaustæ inunctionis mercurialis exemplum in Virô affectione hypochondriacâ, Nephritide & Podagrâ laborante annotavit Johannes Nicolaus Binningerus *Observ. medicinal. Cent. 5. Obs. 76. p. m. 582. seq.* Chirurgus scilicet quidam temerarius, contra consilium & Consensum Medici, certô quodam Ungventô mercuriali, factô à plantis pedum initiô, genua, coxas, cubitos, scapulas intra paucos dies succesfivè illivit. Quatuor vel quinque elapsis ab inunctione diebus, diarrhæa biliosa sine dolore, deinde salivatio levis, cum genarum & palati tumore, strangulationis metu successit, dehinc supervenit febris, spirandi & loquendi ferè omnimoda impotentia,



tia, palati exulceratio, raucedo, totalis oris clausura, dentium omnium mira elongatio, tandem alta spiratio, sopor, convulsivi motûs, spuma circa os & Mors. De aliô infelicissimô successu inunctionis ex Mercuriô in Arthritide vid. Gvilelm. Fabric. Hild. *Observ. & Curat. chirurg. Cent. 4. Obs. 82. Oper. fol. 393.* Quò etiam pertinet Observatio Christiani Helwichii, quam de Casparô Hanckiô, Pharmacopeo Uratislaviensi *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obs. 7. pag. 12.* recenset. Hunc scilicet cum adeò malè mulctâsset Podagra, ut, quamvis vix quadragesimum ætatis annum excesserit, Corpore satis robustô & quadratô præditus, per biennium ferè pedibus vehementer tumidis inniti non potuerit, de cæterô expertus, nullius unquam tantam esse vim pharmaci, quod inunctum Podagræ vim sciat compescere, æqviori animô ad tolerandas Ptyalismi molestias sese obtulit. Quamvis autem post exhibitum Mercurium dulcem debitè processerit salivatio ordinariis stipata Symptomatibus, nisi quòd deliquia aliqua intercurrerent & subsultûs fibrarum muscularium spasmodicis similes, Convulsiones ingererent domesticis metum, qui tamen vanus fuit; attamen finis salivationis tantum abest, ut optatum arthriticis doloribus finem attulerit, ut potius, illâ cessante, hi sæviores exorti, qui, ne durante quidem istâ, inducias misero huic dederunt, sed eum bis adorti quartô & undecimô salivationis die sunt. Ex permolestâ ergò illâ curâ nihil aliud lucri æger reportavit, quam quod tumor pedum ille magnus, qui aliis medicamentis fuerat obluctatus, egregiè dissipatus sit, impeditô tamen nihilominus, sicut antea, eorundem usu. Multas equidem rationes contra salivationem in Arthritide adducit Franciscus Sylvius *Prax. Tom. 8. Append. §. 171. seqq. fol. m. 603.* ubi ad quæstionem, an salivatio, tanquam evacuatio universalis circa initia Paroxysmi arthritici conveniat? respondet, nullam se ejus habere experientiam, nullam quoque ipsi succurrere rationem, quæ ejus usum hic svadeat, sed plures

res, quæ diſſuadeant. Neque enim, pergit idem, in pleriſque mox cieri poteſt ſalivatio, ſed poſt aliquot demum dies; quô nomine ineptè hic inſtitueretur ſalivatio, quòd lentè procedat ſalivatio; hîc verò opus eſt Evacuatione celeriter ac brevi abſolvendâ. Accedit, quòd ſi quis ſalivationem promovere ſtudeat, in evidens vitæ diſcrimen ægrum conjiciat. Non negat tamen, in quibusdam Pituitâ multâ eâque viſcidâ gravatis arthriticis, utilem quandoque fore ſalivationem, at non in ipsô Paroxyſmô, verùm tempore liberô & ubi conſtant vires; dummodò alia tunc non negligantur, verùm cœterorum humorum ſimul peccantium ratio habeatur exacta.

*in Scorbuto.* §. 38. In Scorbuto an ſalivatio mercurialis adhiberi debeat, majoris indaginis atque nonnullis Medicis ſuſpecta res eſt. Scribit enim Michael Ettmüllerus *Oper. med. Tom. I. fol. m. 574.* quòd is, qui laborat Scorbutô, non ſine periculô ferat Mercurium, unde apud Belgas & Germanos inuſitata ſit Curatio Luis venereæ per Mercurium, propter metum Scorbuti, qui exaſperatur â Mercuriô. Et *Vol. II. fol. m. 528.* Mercurius, inquit, Scorbuto eſt hoſtilis & inimicus, illis præſertim qui ex Scorbuto Gingivarum & oris ulcerationibus ſunt obnoxii. Dubius propterea quoque fuit dictus Autor, an, quibus copioſa quaſi ſalia ſcorbutica urinas imprægnant, utut quoad cœtera parum de Scorbutô perceperint, tutò ſalivatio poſſit inſtitui, metuendo dentium, faucium, gingivarum pathemata? Cur Hydrargyrus in hoc morbô curandô nihil proſit, Martinus Liſter *Exercit. medicin. de Morbis Chronic. de Scorbut. pag. m. 196.* hanc reddit rationem, cùm & lymphæ ductûs ampliùs infirmet & â ſalsâ ſupra modum lymphâ ipſe tandem vitietur; cum ſal urinoſus vim & efficaciam ſalium acidorum deſtruat, & quòd hîc lympha craſſior & lentior ſit, quàm quæ ſalivæ ductibus effundi poſſet. Alii nihilominus Medici ſalivationis mercurialis uſum in Scorbutô defendunt, quòd ſecundum verba Maugetti *Annot. in Paul. Barbett. Prax. Lib. 4. cap.*



*cap. 3. pag. m. 121.* hac viâ Cruoris latex venenatus, cùm alibi non facilè poſſit, exitum inveniat; atque ſalivatio per Mercurium inducta, ſi rectè ſuccedat, morbos nonnunquam difficiles & planè Herculeos, aliis remediis omninò ſurdos, tollat; quatenus operatio hæc ſangvinem & ſuccum nerveum aliosque humores longâ ἐκκαθάρσει penitiùs expurgat, fermenta quævis exotica deſtruit, ſalium ac ſulphurum enormitates ſubigit, quin & materiam morbificam ubivis impactam aut ſtagnantem exagitat ac ſæpe foràs educit. Deinde etiam obſervantur exempla ſalivationis cum euphoriâ in Scorbutô adhibitæ, quale de fœminâ Illuſtrisſimâ, procerâ & venuſtâ ætatis viginti quinque circiter annorum recenſet Thomas Williſius *Tract. de Scorbut. cap. II. p. m. 625. ſeq.* In hac ſcilicet Perſonâ omnia Scorbuti ſigna apparebant, v. g. lasſitudo ſpontanea, reſpiratio difficilis, tibiarum dolores & maculæ, gingivæ tumidæ & ſangvinolentæ, in ventre tormina & cruciatûs acerrimi circa dorſum & ventriculum, Vertigo, Vomitus freqvens, dolores in dorsô ac lumbis, Pectoris anguſtia, & magna viſcerum contractio, ſtupor & formicationis ſenſus, demumque Paralyſis; Nihilominus tamen Thomas Williſius ipſi adeò ægrotanti, utut debili & emacidæ, pharmacum mercuriale ſalivationis excitandæ gratiâ exhibuit; cujusmodi effectus ex votô ſucceſſit: Namque fluor oris intra biduum exortus & ſine malo quovis ſymptomate per plures dies blandè perſiſtens Illuſtrisſimæ Dominæ plurimum levaminis conferebat; doloribus enim mitigatis membra aliquatenus movere incipiebat, atque ſalivatione finitâ, aliisque medicamentis continuatis, meliùs habebat, demumque perfectè convaleſcebat. Occaſione hujus Obſervationis & experientiâ Williſii fretus in fœminâ quadam ſcorbuticâ etiam ſalivationem mercurialem optimô cum ſucceſſu inſtituit Johannes Burgius. Conquerebatur autem dicta fœmina de Apepſiâ, Appetitu proſtratô, lasſitudine, intenſis-

tensissimis Cephalalgiis, quibus symptomatibus accedebant atroces crurum dolores cum motûs impotentiâ & tophosâ in mediô tibiarum osse excrescentiâ, mensibus licet in hoc rerum statu ordinem debitum observantibus. Superveniente tandem Paralysi scorbuticâ dolorosâ, Medicus dictus post varia Medicamenta voti damnatus salivationem Mercuriô excitandam, tanquam ultimum, licet ambiguum, remedium ægræ proponit. Illa miserrimæ vitæ conditionem fastidiens spem inde concipit firmam & pro valetudine recuperandâ extrema subire non dubitat. Post inunctionem mercurialem, antequam Saliva flueret, insignem percepit nauseam, singultum, Vomitum pituitæ dulcis & viscidæ, & in locis inunctis hydatides exiguas. Placatis hisce furiis stupor dentium, gingivæ intumescentia & lingvæ, cum aphoniâ, salvô tamen ejus motu, & magna virium debilitate incipientem salivationem comitabantur; quæ pulsis intra biduum satellitibus dictis nervinorum usu ad dies quindecim benè succedebat, evacuatis sæpe unô die Pituitæ Libris tribus. Tandem hac purgatione defunctâ per aliquot adhuc dies Decoctum lignorum bibit, sanaque ab eo tempore manens nil quicquam ampliùs malorum ante infestantium est perpessa. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obs. 174. p. m. 338. seq.* Inveteratum affectum scorbuticum tandem quoque salivatione curavit Johannes Acoluthus *l. a. An. 9. Obs. 165. p. 306. seqq.* & quidem in Virgine, annum vigesimum secundum agente succi plenâ satisque lacertosâ, quæ post febrem quotidianam esurinam successivè varia symptomata, nimirum tumores pedum oedematosos, dolorem omnes artus insigni lancinatione lacerantem, omnium extremorum paralysin, lividarum macularum scorbuticarum eruptionem, animi deliquia, maximos langvores & varios partium spasmos patiebatur. Postea irritis omnibus medicamentis ægrotæ oculi sæpius contorquebantur, lingva in globum convolvebatur, cum loque-



loquelæ abolitione, manus per intervalla rigebant & terebrante in volis dolore fodiebantur, duos ex incisoribus maxillæ inferioris acutissimus corripiebat ardor, Hypochondria tendebantur immensum, Ventriculus & Mammæ inflabantur, cum exquisitissimô imprimis circa papillas sensu. Quæ tamen cuncta symptomata mediante salivatione mercuriali locô allegatô descriptâ fuere sublata. Quamvis etiam Christianus Helwichius *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obs. 7. p. m. 13.* frustraneum salivationis effectum in scorbuticô viderit, quem cùm longo tempore ardor, rosio ac lancinatio in latere sinistrô cum aliis complicatis affectibus torsisset, frustra â repetitâ etiam salivatione opem sibi pollicitus fuerat; ibidem tamen dictus Autor sequens fausti quoque exitûs exemplum annectit; Virgo floridæ ætatis ac tenerrimæ Constitutionis ex perillustri Prosapiâ ante quatuor annos dolore & lancinatione â Cubiti flexurâ usque ad Carpum in utrâque manu & ab Ischii seu Coxendicis articulô ad laterales illas prominentias, levique tumore in summitate femoris corripiebatur, hocque malo fatigata non segnius fatigabat Medicos & inter hos dictum Helwichium, ut salivationis (per quam hoc malum eradicari posse alius Medicus spem ipsi fecerat) curæ præesset. Helwichius, qui brevi antè viderat, quàm parùm felix successus fuisset in scorbuticô, modò dictô, etiam atque etiam negabat, & quantus dolor ex oris exulceratione, nullâ arte protelandâ, ipsi ferendus, edisserebat; Illa tantò magis instabat. Victus ejus precibus, dubiô factô Prognosticô, Medicus ad curam se accinxit feliciorem, quàm quidem ipse speraverat. Præmissô enim purganti, septuaginta octo granis Mercurii dulcis; in plures doses divisis, satis copiosam per quindecim dies excitavit salivationem, cui citò malum narratum obediens fuit, ipsaque Virgo Illustris â doloribus suis libera postmodum rectè valuit. Item Rosinus Lentilius *Miscellan. med. pract. Part. 2. pag. 501.* ad Scorbuti

ti curam salivationem mercurialem, tanquam remedium Herculeum, seri depurationi inserviens, omnibus reliquis præfert, seque Nobilem, quinquaginta duorum annorum, ex Tabe scorbuticâ, a nimiâ exsiccantium & sudoriferum usu contractâ emaciatissimum salivatione sanitati restituisse addit.

*in Ulceribus.*

§. 39. In Ulceribus non modo Gallicis, sed aliis etiam inveteratis; mali moris & contumacibus salivationis mercurialis effectum singularem quotidiana & multi juga testatur experientia, vid. Joh. Bohnius *de Offic. Medic. duplic. Part. I. cap. 15. p. m. 293.* Quod etiam confirmat Gvernerus Rolfincius *l. a. p. 591.* Ulcera, inquiens, tibiarum diuturna, imò antiqua, prudenti inunctioni & vel levi salivationi cedere experientia crebra testatur. Abrahamus Hoenniger, Judex Provincialis, Ulcere tibiæ sordidò, fætidô, Methusalemæô, laborans, corpore purgatô per alvum & sudorem, leniter aliquoties per intervalla ungventô mercuriali in juncturis artuum superiorum & inferiorum tactus placidâ salivatione radicaliter fuit restitutus. In Tabe ab Ulceribus largis ortâ pro saburrâ effœti & inutilis Chyli in sangvine & habitu corporis retenti per alvum deturbandâ, indeque Ulcerum sanatione accelerandâ non modo Catharticum minerale, sed etiam salivationem mercurialem commendat Richardus Morton *Phthisiolog. Lib. I. cap. 5. p. m. 31. & Oper. med. Tom. I. p. m. 14.* Item in Vulneribus salivationem proficuam annotavit Janus Abrahamus a Gehema *Obs. Chirurg. 7. p. 17.* in Colonello quodam, cui Pectus bombardæ globô trajectum a Chirurgo consolidari non poterat; denique Empiricus quidam Colonellum ad salivationem persvadebat, eâque, vulneri externè, pro impediendo äeris ingressu, impositô ceratô, quatuor septimanarum spatio eundem feliciter restituebat.

*in Vulneribus.*

*in Cataracta*

§. 40. Suffusione densissimâ seu Cataractâ alterius oculi simulque Morbô Gallicô laborans quidam per Hydrargyri inunctionem atque salivationem â Morbô Gallicô & suffusione immunis evasit, uti ex Alexandr. Trajan. Petron. refert Johannes Schenckius *Observat. medicinal, Lib. I. fol. m. 159.* Sic Dominus de Vattevilla, Præfectus Legionis Helveticæ in Galliâ, Morbo quodam oculorum, Medicorum juxta ac Chirurgorum famigeratissimorum opem omnem recusante, paucorum mensium spatiô, utriusque oculi jacturam, cœcitate langvidâ & confirmatâ, citra intermissionem fecit, donec Empiricus quidam Amstelodamensis, ipsi ab utraque narium ad grani pondus attrahendum exhibuit Pulverem quendam mercurialem, quô statim omnibus, quæ cogitari possunt, evacuationum speciebus, Vomitu, sedibus, sudore, Urinâ, Salivâ & lacrymis decem aut duodecim horarum operatione adeò commotus fuit, ut caput ejus plurimùm intumuerit; tertiò tamen aut quartô post die ab operatione Medicinæ hujus drasticæ peractâ, gradatim visum recuperare cœpit, quin post mensem philosphicum auctiore, quàm omni ante actâ vitâ gavisus est. Imò Nobilis hic in discernendis rebus dissitis acumine majorem cœterorum hominum partem superavit, teste Robertô Boyle *de Utilitat. Philosoph. experiment. Exercit. 5. cap. 19. §. 18. p. m. 346.*



§. 42. In Plicâ Polonicâ Mercurium vulgarem, qui aliàs Morbum Gallicum curare solet, certissimum esse remedium, & qui illam infallibiliter per salivationem expellere soleat, pro certô se scire & sæpissimè probasse scribit Martinus Bernhardi a Berniz *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 52. Schol. pag. m. 95.* Plicam Polonicam salivatione curatam ex Hercule Saxoniâ etiam allegat Lucas Schroeckius *Schol. in M. N. C. Dec. II. An. I. Obs. 122. p. m 313.* In Plicâ Polonicâ jam confirmatâ, præter universalia præsidia salivatio mercurialis instar omnium ferè commendanda videtur Danieli Boesio *Disp. de Plicâ, Jenæ 167. habit. §. 9.* nisi speciale aliquod Contraindicans aliud suadeat.

*in Plica Polonica.*

§. 43

*Cautelæ circa salivationem.* §. 43. Hæc autem Cautela non solum circa Plicam, sed etiam in genere circa Mercurialium & salivationis usum observanda erit, siquidem à salivatione non legitimè, nec omnibus observatis Circumstantiis, peractâ varia quandoque & *Symptomata salivationis.* pessima Symptomata dependent, quapropter secundum Frid. Dekkers *Exercitat. medic. pract. cap. 3. p. m. 117.* Mercurialia medicamenta salivationis ergo si præscribantur, summâ cum Cautione & Circumspectione usurpanda; nam palato faucibusque exulceratis si laborent Lue venereâ affecti & mercurialia assumserint, Ulcera insanabilia ac lethalia, doloresque intolerabiles inde excitarentur; sic quoque in Mercurialium assumptione si nimis diu continuaverint, dolores omnium artuum atrocissimi, dolores Capitis fixi, intolerabiles, frigus totius Corporis maximum, omnium penè ossium caries, diraque alia symptomata lethalia indè producerentur. Imò *Tabes.* idem Autor *l. a. cap. 5. p. 300.* tantam corporis macredinem à salivatione mercuriali observavit, ut Maritum illum, cui Medicus per tres circiter menses Mercurium sublimatum dulcem, Conservæ Rosarum mixtum sæpius dedit, sceleton Cute indutum dixisses. Sic etiam Virgo illa, cujus supra ex Richardi Morton. *Phthisiolog. Lib. I. cap. 9. p. 53. Oper. med. Tom. I. pag. m. 25.* mentionem fecimus, â salivatione mercuriali ad curandas Scrophulas excitatâ in lethalem Tabem incidit.

*metus suffocationis.* §. 44. Loquelam & Deglutitionem interceptam, respirationem impeditam, atque faciem in immensum auctam & lividitate perfusam, ad instar suspensi & illicò suffocandi hominis, in scabiosô, quodam â Cinguli mercurialis usu observavit Paulus Jalon, uti modò ex *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obs. 107. pag. 204.* *Oris clausuræ.* adduximus. Cum aliis plurimis symptomatibus raram oris clausuram observavit Johannes Nicolaus Binningerus *Observ. medicin. Cent. 5. Obs. 76. p. m. 584.* scilicet Contractis maxillæ musculis os utrinque ita claudebatur, ut non nisi intrusis cuneis aperiri leviter posset, subitò obserandum; atque ita æger



æger unam & viginti septimanas cum tali oris clausurâ, salivatione glutinosâ, quovis Cadavere & stercore putidiori indefessâ & copiosissimâ, dentibus omnibus mirum in modum elongatis, denudatis, vacillantibus, nigerrimis & quandocunque deciduis, appetitu quidem, sed manducandi impossibilitate (unde etiam diducto ore vel cuneis vel speculô, sola jusscula & potulenta Siphone intrudebantur) transegit, cum maximo strangulationis metu &c.

§. 45. Mercurius vel â fucis Mercurialibus, vel ab Ungventis ad Ptyalismum movendum adhibitis, vel ab Hydrargyri præparatis intrò sumptis, interdum inter Cranii laminas colligitur, unde dolores Capitis oriuntur crudelissimi qui rarò sine Trepanô perfectè curantur, juxta Theodor. Mayern. *Prax. Medic. Lib. I. cap. 8. p. m. 76. seq.* *Mercurius inter laminas Cranii.*

§. 46. Cœcitatem ab inunctione mercuriali in Cephalæâ antiquâ, Capiti dolenti adhibitâ, licet etiam salivatio concitaretur, in Dominâ quadam Illustrissimâ observavit Thom. Willisius *vid. Tr. de Anim. Brutor. Part. 2, cap. 2, p. m. 251.* Et alia Matrona ab inunctione Mercuriali visum ita amiserat, ut nihil ferè discernere posset, vid. Gvil. Fabric. Hild. *Observat. Chirurg. Cent. 5. Obs. 13. Oper. fol. 396.* *Cœcitas.*

§. 47. Auditûs difficultatem ex intempestivâ Capitis cum Ungventô mercuriali inunctione in Juvene annotavit Tim. â Güldenklee *Epistol. medic. Lib. I. Epist. 29. p. m. 515. it. Respons. 43. p. 1075.* A Mercuriô post salivationem in Cerebrô relictô de ademptô dextræ auris usu, illæsis quamvis Organis, & sinistræ valde incommodô relictô conquerebatur Capitaneus quidam Helvetius v. Joh. Muralt. *Script. Chirurg. Histor. 208. pag. m. 679. seq.* Auditûs, Visus & Sermonis defectum observavit Nicolaus Blegny *Zodiac. Med. Gallic. An. 1. Jun. Observ. 13. p. 109. seq.* scilicet Mulieris cujusdam Caput ad partem mediam suturæ coronalis ulcera duo virulenta, utrumque denarii magnitudinem adæquans, cum Carie ossis, deturpabant, cui *Auditus difficilis.*

mulieri, ante trimestre spatium cancrum venereum in vulvâ perpessæ, Chirurgus quidam diversis temporibus septem ex Mercuriô pilulas exhibuerat; inde protinus mediocris Ptyalismus, comitibus solitis symptomatibus, exortus est, accessit febris continua, quæ exactô triduô Mercurium in Cerebrum transtulit, inde in nervos Aurium, oculorum & lingvæ, adeò ut auditus, visus & sermo perierint, &c.

*Hæmorrhagia.* §. 48. Hæmorrhagiam largam a salivatione per inunctionem sequentibus verbis communicat Elias Camerarius *Diss. Taurin. Epist. physs. med. 7. pag. m. 92. seq.* Non infimæ sortis homo cùm sub Bacchanali furore Gonorrhæam contraxisset, illâ haud ritè tractatâ in varias dehinc febrium anomalarum species incidit, diu cumprimis immani ac nocturnô pedum dolore tortus, donec tandem Chirurgo se submitteret ac salivationis, quam vocant, curam subiret, largiùs Mercuriô inunctus (namque non artus modò vel articulos, sed omnem Corporis ambitum haud parcâ manu probè inunxit Chirurgus) diu ac copiosè salivam viscidam dimisit; adeò oris interna in ulcus abière, ut semilacera profundisque hians fissuris lingva, putidæque gingivæ ac fauces, per aliquot noctes integras eam sangvinis copiam dimitterent, ut tanta hæmorrhagiæ vis in terrorem ægrum adstantesque conjiceret, siquidem octodecim jam ac ultra dies ad quatuor quotidie libras profluit glutinosum ex ulcerato ore phlegma, ulcera impura ac valdè dolorifica sunt, atque adeò difficilius moderanda enormis hæc hæmorrhagia.

*Ossa cariosa.* §. 49. Ossa cariosa & friabilia post Hydrargyri usum observavit Marcellus Donatus *Mirabil. Histor. med. Lib. 5. cap. I. p. m. 528.* scilicet Auriga quidam cum aliis conservis lusitans, arreptâ è mensâ dimidii mali aurantii parte, in socium antecurrentem projicit, majus sibi malum quàm alteri parans; eò namque in brachiô validô motu os humeri dextri ita perfractum fuit, ut rupti ossis capita invicem disjuncta manifestè tactu



tactu deprehenderentur. At auditu mirum, vix osse illô ferruminatô, cum priores operationes nondum obire posset, nocte mediâ lectulo cubans expergefactus brachium alterum demisit, ut matulam susciperet; quâ in motione os brachii sinistrum circa mediam ipsius partem disruptum fuit, quod pariter ope medicâ occalluit. Laboraverat Vir hic antea per plures annos Lue Gallica sævissimâ, atque caput, crura, brachiaque tophacei tumores occuparant, qui tandem ex illinitione ex Ungventô cum Hydrargyrô delituisse videbantur. Quamobrem Brachii ossa Carie exesa & vitiata adeò facili admirandæ fractioni occasionem præbuisse esse censendum.

§. 50. Alia adhuc Symptomata, cum sequente morte, hinc inde occurrunt. v. g. Epilepsia in Mercatoris cujusdam filiolô, trium circiter annorum puerô, qui achoribus per totum Caput diffusis molestissimô pruritu vexabatur. Parentes relaxandi animi gratiâ rus concesserant; interea anus quædam domestica Ungventô mercuriali caput repetitim illinivit; hinc achores subitò disparuère, puer autem in Epilepsiam incidit, convulsionibusque continuis correptus paulò post fatis concessit. vid. Baldass. Tim. â Güldenklee *Respons. 43. p. m. 1075.* Ibidem etiam refert dictus Autor, Eustachium Rudium & alios observasse, corpora quædam dissecta fuisse, in quibus argenti vivi in ossium cavitatibus non exigua copia ex inunctione in Morbô Gallicô fuit collecta. Item ex Libaviô addit, Chirurgum quendam ob crebrum usum Medicamentorum Mercurialium mortuum ossa habuisse plane friabilia. Aliud adhuc exemplum ex propria Observatione annectit Timæus de Nobili quadam Virgine, undecim circiter annorum, quæ a Scabie seu Achoribus Capitis per inunctiones mercuriales liberata paulò post Strumam, Ovi pavonii magnitudinem fermè adæquantem, in Collô paulò infra autem sinistram contraxerat. Omnibus Medicamentis tam purgantibus, quàm specificis, strumas & scrophulas peculiari

*Alia symptomata & mors.* *Epilepsia.* *Mercurius in ossibus.* *Struma.*

culiari vi absumentibus, item topicis frustra adhibitis, Medicus tandem tumoris causam altius secum expendens Mercurium expellere, scabiemque iterum excitare constituit; id quod exhibitione Decocti cujusdam feliciter obtinuit; Tumor enim sensim minui cœpit, tandemque planè evanescere. Verum cum Capitis pruritum & scabiem ægrè & non sine pudore ferret Virgo jam nubilis, denuò litum illum mercurialem, svadente quadam vetulâ, repetiit, ex quô Achores quidem disparuére, paulò post tamen Struma eodem, quô antea fuit, locô iterum repullulare, tantamque in molem excrescere & ad guttur usque extendi visa est, ut miseram tandem compressis faucibus suffocaret. *Sphacelus.* Sic Sphacelum, â quô lingva, gingiva, fauces, maxillæ, imo tota facies cum maximo fœtore absumebantur, & æger tristi spectaculô vitam miserè amisit, post largam salivationem observavit Johannes Dolæus *vid. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 120. p. m. 228.* Et sexcenta ejusmodi exempla:

## CAPUT IV.

### DE SALIVÆ USU NATURALI MEDICO ET SUPERSTITIOSO.

§. 1.

*Salivæ usus naturalis.* SAlivam non humorem excrementitium, sed certis usibus destinatum esse, jam supra Capite primô monstravimus; nunc ad humanæ Salivæ usum, & quidem primò naturalem progrediamur, qui varius est, dum juxta Georg. Bagliv. *de Fibr. motric. p. m. 197.* fundendô, solvendô, abstergendo ac celeriter penetrando insignes & penè innumeralibes virtutes in nobis producit. Ad meliorem autem operationem tam pro usu internò, quam externò, requiritur Saliva naturalis, pura, hominis jejuni & sitientis, quia fortior & penetrantior existit; Quandoque enim præter naturam Salivæ quoque inesse solent Pingvedo, Bilis & similia; & quidem Pingvedo immediatè post pastum Salivæ accedit, cùm partes oleosæ & pingves Ciborum sese cum Salivâ miscent: Bilis verò non nisi in statu morbosô, in febribus ardentibus, ipsi permiscetur. Quòd autem pingvedo non faciat ad essentiam Salivæ, juxta Theod. Craan. *de Homin. cap 4. p. 11.* ex eô patet, quod Saliva pingvedinem permixtam habens sit inefficax & minùs penetret; non aliter ac gladius, qui vaginâ tegitur, ad secandum & pungendum ineptus redditur; sic etiam particulæ acidæ scindentes & salinæ pungentes ipsius Salivæ â pingvibus, ramosis ita circumvolvuntur, ut instar gladii vaginâ tecti, nec pungere nec secare valeant. Sic etiam si nimia copia aquæ Salivæ est permixta, ea redditur minùs efficax, & non ita suis spiculis tam salinis, quam acidis penetrare valet poros corporum; particulæ enim aquæ involvunt particulas salinas & acidas, & impediunt, ne pungant & poros ad penetrandum sibi aperiant. Econtra cum in jejuni atque sitientis hominis Salivâ multum seri sit absumptum, atque ob potûs defectum, seu intermissionem parum aquæ ipsi sit admixtum, salsior, acrior atque fortior ad sequentes effectûs evadit.

§. 2. Imprimis Salivæ usus in eô consistit, ut Cibis solidioribus inter masticandum admixta eorundem dissolutionem & liquefactionem promoveat atque Chylificationem inchoet; *ad ciborum masticationem.* hinc etiam Saliva non solum motu sangvinis humorumque circulari naturaliter & ordinariè citra manducationem ad os fertur, verùm præprimis actu manducationis vigente simul appetitu, pressione musculorum plurimorum majori solitò copiâ illuc defertur, juxta Joh. Broen *Medicin. theor.* §. *18. p. 11.* Ad absolvendam enim bonam digestionem non solùm ciborum masticatio, sed etiam Salivæ admixtio necessaria

ria eſt; unde quoque Saliva, quò eò meliùs cibos ſolvere & diluere queat, copioſis inſtructa eſt partibus aquoſis, quibus ſalinæ acres & glutinoſæ moderatâ quantitate admixtæ ſunt. Aquoſæ ergo partes, dum inter maſticandum continuò ex diverſis fontibus effluit Saliva, cibos optimè diluunt, hiſce verò immixtæ ſalinæ incidunt & penetrant cibos, ut partes laudabiles eò facilius poſtmodum à compedibus excrementitiarum liberari queant. Hæc ipſa autem Salivæ affuſio & ciborum comminutio, ſecundum Georg. Philipp. Nenter. *Phyſiol. cap. 4. p. 215.* ſimilis eſt illi operationi pharmacevticæ, quando Corallia, Lapides Cancrorum, Conchæ &c. per trituram in ſuptilisſimum pulverem redigi, aut, uti vulgò dicunt, præparari debent: quemadmodum enim ibi inter terendum aqua affunditur, ita & hîc inter maſticandum Saliva affluit: eum in finem, ut in utrâque operatione materia præparanda eò ſubtilior reddatur. Ipſa quoque potulenta, quæ diluendis cibis potisſimum inſerviunt, etſi absque maſticatione deglutiantur, nihilominus tamen in ore inſigniter â Salivâ alterantur. Inquit etiam Emanuel König *Regn. animal. Sect. 1. Art. 18. p. 86.* ut dentes felicius molant & lingva piſtor cibum meliùs ſubigat, opus eſt liquore ſalivali, qui è glandulis ſtomaticis, tum in oris cavo contentis, tum huic exitus accumbentibus ſe per ductus in illud exonerat. Juxta Joh. Jacob. Waldſchmid. *Inſtitut. medicin. rational. Lib. 1. cap. 3. p. m. 16.* decem boli bene maſticati & ſalivali menſtruô humectati atque ſoluti felicius in Ventriculô coqvuntur, quàm unus non maſticatus, Et Johanni Bohnio *Circul. anatom. phyſiolog. Progymn. 9. p. m. 134.* magni ponderis eſt alteratio, quam â Salivæ commiſcelâ expectant & ſuſtinent alimenta ſolidiora, utpote quæ primam horum liquefactionem & diſſolutionem inchoat & inſtar menſtrui cujusdam univerſalis mirificè ad alimentorum quasvis particulas ſe habet. Solutionem ciborum in ſtomachô per reliquiarum inter dentes, ope ſolius Salivæ, factam ſolutionem adumbrat, eorumque, qui Salivam exſpuunt, ad juvandam digeſtionem potiùs degluti-endam, morem carpit Nicolaus Hartſaecker, *vid. Act. Erudit. Lipſ. An. 1709. Menſ. Feb. p. m. 84.* Cibum maſticatum Salivam incidere & attenuare, cum eôque deladi ad Ventriculum, ibique partem fermenti conſtituere ab cibos in cremorem & chylum concoquendos, ſcribit Theodorus Craan *Diſſertat. Phyſ. med. de Homin. cap. 4. p. m. 11. ſeq.* Vel juxta Franc. Zypæi *Fundament. Medicin. cap. 3. Art. 12. p. m. 106.* Saliva Chylificationis in ore ponit exordium & bolus panis maſticati Soli expoſitus chyleſcit; & ſecundum Bernh. Swalve *Querel & Opprobr. Ventricul. p. m. 43.* Molitioni dentium ſuccumbens alimentum lingvâ revolutum Salivâ imbuitur. Commotu membranarum glandularium ex ductu prolicitur, ori ſuffuſa hæc lympha peculiaris, tenuis, fermentalis, maſticationi aridorum maxime repetita lubricans omnia, ſqualorem oris temperans, tincturam ſapidam & guſtilem extrahens alimento, idque immutare incipiens ſub aliam formam, &c. Item Saliva quibusvis aſſumtis ſine difficultate dictum factum ſe commiſcet, duriuſcula mollit, v. g. panem bis coctum in ore detentum mediante Salivâ, quàm alius cujusvis liquoris affuſione citius molleſcit, gummoſa & reſinoſa, exemplô myrrhæ, &c. extrahit atque reſolvit, v. Frid. Hoffmann. *Diſput. de Saliv. ejusque morb. cap. 3. p. m. 10. & c. 4. p. 12.* ubi dicit: Inſtar omnium laudari meretur uſus Salivæ decantatisſimus, quem ad maſticationem perſiciendam præſtat. Eſt enim primarium veluti menſtruum microcoſmicum, quævis aſſumta penetrando, emolliendo & immutando ad digeſtionem præprimis adaptans; quô ſive depravatô ſive ablatô mox deficit appetitus, vitiatur maſticatio & deglutitio, turbatur Concoctio atque digeſtio. vid. etiam Georg. Bagliv. *de Fibr. motric. p. 152.* Joſeph. Lanzon. *de Saliv. cap. 3. pag. m. 47. ſeqq.* Item Martinus Liſter *Diſſert. de Humor. cap. 12. p. m. 120.* qui Salivæ fracedi-

cedinem pro validisſimô Concoctionis inſtrumento habet; & juxta Jacob. de Sandris *de Sangvin. Stat. Part. 1. cap. 3. pag. m. 68.* Saliva ſenſim licet, copioſè tamen undequaque in ore ſcaturit, dum à faciei muſculorum contractionibus ſubjectæ glandulæ comprimuntur: atque paulatim exſtillans, partim evaporat, partim inter muſculorum motiones conſumitur, ac partim deglutita ad ventriculum deſcendit. Si in his viis alimenta reperit, arctos eorum poros ingreditur, ſubſtantiam intimiùs permeat, cui non modicam inſert laxitatem, & digeſtionis initium, etſi humor inſipidus & aqueis tantùm particulis componi videatur, *vid. etiam pag. 72.* ſecundum Petri Linſing. *Inſtitut. med. p. 74.* mediante maſticatione Saliva per motum oris partium copioſè prolicitur, & alimentis in hoc actu commiſcetur, quæ inde feliciùs diſſolvuntur & ſic chylificationi in ſtomacho ſubeundæ apparantur. Et A. Q. Rivinus *Theſ. Phyſiol. 22.* inquit: dum eſca in ore circumvolvitur, Saliva commiſcetur non pauca, quæ ſicut ordinariè ſtillans ex palati freto, ejusque & buccarum glandulis minoribus, ex tonſillis item glandulisque cæteris ſublingvalibus & parotidibus, os humectat ad juvandum lingvæ motum in loquela, vel ſapores rerum felicius explorandos in guſtu, ita longè copioſius affluit, cum inter maſticandum glandulæ comprimantur fortius: Uſus ejus eſt, irrorando emollire ſicciora imprimis alimenta, eoque ipſo ad faciliorem deglutitionem digeſtionemque diſponere. Certe comedendi modus non parum coctioni vitioſæ confert: nam qui diu non maſticant, difficilè digerunt, quoniam fruſta ſunt crasſiora, ideoque diſſolvens diutius eorum diſſolutioni immorari debet, quæ ſæpe antequam fiat abſoluta diſſolutio, ad inteſtina deturbantur, juxta verba Johannis Virideti *de prim. Coction. Part. 2. cap. 7. p. m. 312.* Et Theodorus Zwingerus *Faſcicul. Diſſert. medic. Diſſ. 8. de Saliv. pag. m. 378.* diſtingvit inter Salivæ uſum internum & externum; primarium internum credit eſſe non ſolùm, ut inter maſticandum Cibi poris ſeſe inſinuet, ſed & in Ventriculo fermenti aut menſtrui quaſi univerſalis rationem induat & potisſimam liquoris gaſtrici partem conficiendo, Ciborum aſſumptorum liquefactionem, diſſolutionem atque in Chylum mutationem producat, quæ actio aliàs Chylificatio appellatur, ac ſequentem ferè in modum contingit: nimirum particulæ Salivæ ſalſo-volatiles, à Calore externô in motum continuum ſuscitatæ, inſinuant ſeſe in poros Ciborum, inibique particulas ſalinas primum, dein & reliquas omnes invadunt, ſolvunt, liquefaciunt ac diluunt; cùm verò in hac actione pori ciborum plures occludantur, Aër iisdem incluſus atque exagitatus vi ſuâ elaſticâ, non ſecus atque particulæ mundi ſubtilisſimæ, partes ciborum â ſe invicem ſeparant, repagula omnia & vincula disjiciunt, tandemque particulas ſingulas in motum quendam abripiunt, ac ita è cibis, antea ſolidis exiſtentibus, maſſam quandam pultaceam cremori ptiſanæ haud abſimilem conficiunt. Chylificationis opus ſequenti modô explicat Joh. Tackius *Chryſogon. animal. & miner. p. m. 18. ſeq.* Accipiatur panis vel quodcunque edulii genus, ſive ſit Caro, ſive pomum, ſive rapum, vel omne quod obſonii nomine venit, incidatur dentibus quàm minutisſimè; poſt indatur vitro & conſpergatur notabili Salivæ quantitate, quæ maſticato cibo ſit congrua: committatur hinc vitrum, probè obturatum, calidis cineribus, ita, ut cineres illud undiquaque tegant, ad eminentiam contentorum, ad horas duodecim, interdum ultra, etiam ad viginti quatuor, neque enim in Vaſe artis tam citò omnia àbſolvi poſſunt; & dehiſcent contenta in minima, apparebuntque hinc inde bullæ variæ ſortis, exiguæ, mediæ & majores, quæ, dum bulla bullam urget inſtar vini novi aut Cereviſiæ fermentis agitatorum, turgidam elevabunt leniter maſſam. Maſſæ huic affundatur poſtea liquor, ſucci pancreatici vicarius, vel ejus naturam redolens, ut auctâ acidi-

aciditate tantò feliciùs opus procedat, & grossum â subtili secedat. Liquor verò ille sit acetum aliquod naturæ sive philosophorum, quod nonnulli appellant spiritum Saturni vegetabilis; stant tam diu, donec bullarum agitatio cesset, trajiciantur posteà liquida per purum linteum, ut admirandus ille naturæ actus majori gaudiô observari possit, & porrò per chartaceum filtrum, ut liquor pertranseat clarior. Liquori huic claro & perspicuo affunde denique anaticam biliosi spiritûs portionem, id est, liquorem flammis coruscum & obnoxium, auri æmulum, qualis esse solet spiritus quintæ essentiæ depuratus, & factâ subitò effervescentiâ compositum illud migrabit in lac quoddam candidissimum, chyli purissimi æmulum. Ecce jam vobis fermentationem! ecce effervescentiam! ecce ciborum analysin, chylum grossum, spumosum, liquidum, diaphanum, lacteum! Hæc Tackius. Negat equidem Gideon Harveus, Salivæ præcipuam vel nimiam dissolvendi, circa Chylificationem, vim in acceptis esse ferendam, atque potiùs omnem digestionem per spiritûs animales absolvi putat, vid. *Act. Erudit. Lips. An. 1701. Mens. Oct. p. m. 437.* Cum verò, uti ex primô Capite patet, plerique Autores in Salivâ largam spirituum quantitatem præsupponant, res eadem recidit.

*ad deglutitionem.* §. 3. Deinde Saliva ciborum ritè masticatorum, beneque eâdem subactorum deglutitionem promovet, quod admixta Saliva lubricitate suâ efficit; cùm econtrà in salivæ defectu & faucium ariditate omnis deglutitio ægerrimè fiat, uti in febricitantibus aliisque salivali liquore â quacunque causâ depauperatis videmus, quippe qui esculenta sicca ob defectum salivæ, vel planè non, vel ægrè, deglutire queunt, sed pro meliori deglutitione superbibere necesse habent. Hinc Michaeli Ettmüllero *Oper. medic. Tom. I. fol. m. 89.* Saliva dicitur lubricare fauces & gulam pro faciliori deglutitione; ideò in febribus difficilis est deglutitio, quoniam deficit axungia, oblinens



oblinens gulam. Interim præter salivam cibis admixtam etiam serum ex glandulis Oesophagi exudans, atque salivæ analogum, plurimum ad deglutitionem conferre, dubitandum non est.

§. 4. Tertiò ad accuratiorem saporum (quorum novem species, scilicet acerbum, austerum, acidum, dulce, unctuosum seu pingve, salsum, amarum, acre, insipidum, recenset Paulus Hermannus *Cynosur. mater. medic. pag. m. 2.* vid. etiam Steph. Blancard. *Oper. Tom. I. Institut. cap. 23. pag. m. 265.* Joh. de Muralt. *Clav. medicin. Exercit. 11. p. 497. seqq.* dignotionem plurimum facit Saliva, imprimis si in statu naturali & insipida adhuc, nec aliis particulis, tam ab intra, quàm ab extra, imprægnata est; hinc etiam, salivâ â quacunque causâ deficiente, ægris res omnes insipidæ, &, uti conqueruntur, ligneæ videntur. Cum proinde salivæ usus ad gustum summè sit necessarius, ideoque juxta Christian. Johann. Lang. *Oper. medic. Tom. III. Disput. 10. §. 28. fol. m. 143.* mirum non est, si salia, aliàs mordacia satis, quamdiu sub pulveris formâ tantum papillulis superimposita observantur, vel planè non, vel blandiùs ac vix sensibiliter afficiant ipsas; statim verò ac ex ductibus salivalibus prosiliens lympha illa solvit, in momentô etiam pungere ac vellicare incipiant. Sic juxta verba Joh. Bohnii *Circul. anat. physiolog. Progymn. 9. p. m. 134.* Saliva ratione texturæ intrinsecæ, i. e. per aquositatem æquè ac salsuginem suam vincula masticatorum laxat, adeoque pariter pro accuratiore saporum dignotione laborat, illorum substantiam salino-sulphuream seu particulas sapidas â reliquis evolvendô ac deliquandô, quatenus salia non agunt, nisi dissolvantur. Insuper eadem oris humiditas fauces atque Oesophagum humectat ac lubricitat, hinc deglutitionem facilitat, vel cum alimentis, vel seorsim ad Ventriculum deplua, hujus fluoris aliquam portionem constituit. Hunc tertium Salivæ usum ita explicat Michael Ettmüllerus *l. a.* Appetitum & saporum perceptiones at- *ad saporem.*

que dignotiones promovet Saliva particularum salinarum dissolutione; nam particulæ minutissimæ salinæ in salivâ ab agitatô vehiculô facilè possunt in papillas nerveas lingvæ transire Et juxta Albert. Kyper. *Anthropolog. Lib. I. cap. 16. §. 13. pag. m. 386.* Effecta Salivæ sunt humiditate solvere, calore ac tenuitate penetrare, coqvere, abstergere, mundare, quorum quædam etiam in humanô corpore præstat, propter quæ & maximè animalibus tributa est. Principio enim Cibis permista facit, ut meliùs in lingva percipiantur, unde aridâ existente lingvâ gustus minùs bene celebratur. Fit autem hoc, quatenus liquiditate suâ cibos fundit, & tenuitate ac fluiditate porosam carnem lingvæ subit, &c. Ob salivam, inquit Stephanus Blancardus *Institut. medicin. cap. 7. Oper. Tom. I. p. m. 211.* cibi nobis sapiunt; cum enim nos sitis vexat, non desideramus panem siccum, sed humidum alimentum, vel potum. Causa hujus saporis est, si ciborum particulæ masticantur, cum iisdem saliva, in os continuò fluens, miscetur. Particulæ porrò Ciborum tenuissimæ â salivari humidô liquescunt & consequenter meliùs in lingvæ porulos adusque nervosas papillas imprimuntur, quarum attactus nobis saporis sensum repræsentat. Verum in Salivæ vel alterius humidi defectu, qui Cibis admiscetur, sapor vel est nullus, vel ingratus, qvia nullæ vel perpaucæ particulæ Gustûs organum movent. Et secundum Joh. Frid. Ortlob. *Histor. Part. & Oeconom. animal. Dissert. 4. §. 10. p. m. 29.* Salivæ cum alimentis miscela duo præsertim involvit, nimirum quod per eam digestionis initium fiat, quia quotidianæ observationis est, alimenta â masticatione & imprimis â salivæ permixtione mox saporis & odoris pristini immutationem experiri; nucleos & semina ore detenta ad germinationem frustranea reddi; alterum est, quòd sapidæ partes, quas præcipuè salinæ sub certâ agitationis modificatione lingvam ferientes constituunt, salivæ particulis aqueis dilutæ evolvantur, quas aliis intertextas, aut planè non, aut non ita commodè per-



percipere licet. Theodorus Zwingerus *Fascicul. Disp. medic. Disp. 8. p. m. 379.* Salivæ usum secundarium hunc judicat, partes oris fauciumque lubricas & nonnihil laxas reddere, quò sic â particulis ciborum transeuntium nullatenus lædantur; dein & salia è Cibis masticatis eliciendo sapores â lingvæ papillis variè titillatis dignoscendos præbere, &c. De sapore ita scribit Elias Camerarius *Medicin. conciliatric. cap. 9. p. m. 127. seq.* Cùm saporem Veteres â primis qualitatibus atque Elementis deduxerint, Chymici verò aliique moderni, illâ sententiâ repudiatâ, sal ejusq; partium figuram, tanquam unicum saporis principium substituerint, id tamen Studiosus cum granô salis accipiendum esse notet, ita scilicet, ut tùm in genere id sapidum rectissimè & cautè dicat, cujus particulæ sufficienter attenuari, cum Salivâ misceri, papillisque imprimi intimiùs possunt, tùm ut non quidem solum sal, nec solam salinarum particularum figuram alleget admittatque; sed & juxtà cum aliis quoque particularum speciebus, cumprimis magnitudinem particularum salinarum, earum differentem motum atque in Organum impressionem, earum tandem cum aliis generis moleculis combinationem variam probè attendat, & pro faciliore phænomenorum solutione combinet; eô semper præsupposítô, salivalem lympham & humectando vigorem papillularum conservare & sapidis particulis intimè solvendis atque in ipsa quasi papillæ penetralia deducendis tanquam menstruum congruum inservire. Inquit etiam Jean Baptiste Verduc *dans le Tracté de l' Usage des Parties Tom. 2. cap. 6. p. m. 133.* La Salive pour contribuer à nous faire sentir les saveurs telles, qu' elles sont, doit être elle même insipide. Car si elle change, comme dans les maladies, & qu' elle se méle avec quelque humeur etrangere, telle qu' est la bile, on trouve tout amer. Est quippe Saliva vehiculum saporum & sine eâ sapores vel planè non, vel saltem obscurè â lingvâ percipi possunt v. etiam Joseph. Lanzon. *Exerc. de Saliv. hum. c. 3. p. m. 41. sq. & c. 4. p. 83. sqq.*

*ad loquelam* §. 5. Quartò Saliva continuò os & lingvam pro celeriori hujus motione & loquelâ humectat; quid enim ad loquelam seu ad distinctam literarum & verborum pronunciationem conferat Saliva, illi experiuntur, quibus os salivali humiditate destituitur, v. g. febricitantes, Oratores & Cantores, quippe qui quandoque ob Salivæ defectum musculos lingvæ ad formandam loquelam vel cantum, rite & pro lubitu movere atque vocem, debitosque modulos formare non possunt, cùm præprimis ob eundem defectum larynx etiam difficillimè dilatari atque constringi debitè nequeat, ut adeò quibusdam vox faucibus hæreat. Oratorem sacrum, qui sermonem cum animi fervore peragere non poterat, nisi paulisper biberet, se novisse refert Josephus Lanzonus *l. a. p. 46.* *Observatio.* Mihique nota fuit fœmina cantatrix, quæ tam in Theatrô personam suam agens, quàm domi & inter amicos cantans diu modulari non poterat, nisi post unam aut alteram Cantilenam (Ariam dictam) vel inter pausas respirando Aquâ frigidâ os elueret.

*ad sitim.* §. 6. Quintò etiam sitim, aliàs perpetuò molestam sedat Saliva in naturali statu constituta, dum fauces eâdem irrigantur & quidem interdum adeò, ut sputatores parum sitiant. Et tandem Saliva assiduô suô in Ventriculum & Intestina descensu fibras eorum blandâ salsedine, lixiviali naturâ, roborat, contrahit, sordesque iisdem â residuis Coctionum adhærentes ac propemodum impactas abstergit. De Usu Salivæ naturali vid. etiam Andr. Buxbaum. *Cateches. medic. Part. 1. Physiol. Quæst. 57. seqq.* Gerard. Blas. *Institut- Medicin. Part. 1. cap. 2. p. m. 18.* Georg. Bagliv. *de Fibrâ motric. pag. m. 152. & p. 203.* Joh. Bapt. Verloschnig *de abus. Curation. Verno-Autumnal. cap. 5. p. m. 110.* Joh. Jacob. Francisc. Vicar. *Basis univers. medicin. Lib. I. cap. 5. §. 6. p. m. 27.* Louis Bellefontaine *de la Medicine dogmat. mechanique Part. physiolog. Exerc. 7. p. m. 25.* Theod. Zwinger. *Fascic. Disp. med. Disp. 8. p. 378. seq.* Mich. Sebiz. *Manual. seu Specul. Medicinæ Pract. Part. 2. Sect. 4. cap. 27. p. m. 518. seq.*





§. 7. Non autem tantummodo in ore Saliva Chylificationem inchoat, sed eandem quoque in Ventriculô continuat, siquidem, tanquam genuinum Ventriculi menstruum ad ulteriorem digestionem & Concoctionem Ciborum, sive ad Chylificationem multum confert. *ad Chylificationem in Ventriculo.* Cùm enim, secundum hactenus dicta, salivam solâ masticatione quævis assumpta tantopere mutantem, & prima alterationis rudimenta ponentem, totô die notemus, quid quæso posset obstare, quò minus spirituosus ejusmodi liquor universum Coctionis negotium absolvat? apprimè cum in tantâ præstò sit abundantiâ, ut non solùm copiosissimè cum cibis absorbeatur, verùm etiam continuò fluxu deglutitis superingeratur. v. Frid. Hoffm. *Disp. de Saliv. & ejus morb. cap. 4. p. 14.* juxta quem nec alius succi fermentifici seu digestivi ductus & scaturigo datur, nec ipsæ miliares glandulæ Ventriculi minutæ & paucæ tam copiosè requisito succo præbendo sufficientes esse possunt, vel aptæ natæ. Et *Disp. de necessar. Saliv. Inspect. §. 4. p. 8.* idem Autor Salivæ totam Chylificationem adscribit: Nostra, inquiens, sententia est, Salivam genuinum alimentorum constituere menstruum ipsô in Ventriculô. Eqvidem non negamus, per tunicam Ventriculi glanduloso-villosam separari humiditatem qvandam mucosam, qvæ tamen pauca est, tantæque ciborum moli subigendæ insufficiens; reqviritur enim hîc menstruum rei solvendæ ratione quantitatis proportionatum; Jam quoniam Saliva largissimè sub masticationis actu effunditur & intimè cum cibis permiscetur, præterea etiam indolis activæ, fermentantis ac solventis est, non video, quare pro genuinô alimentorum menstruô venditari nequeat? Opus nimirum erat, ut tot tamque diversi generis alimenta, dura, solida, viscosa, item Medicamenta, quæ non tantùm ex vegetabili & animali, sed etiam minerali Regnô petuntur, dissolverentur, extraherentur & in fluidam substantiam redingerentur; cui fini provida natura destinavit hunc

ſuccum, valde activum, Salivam: Hæc enim non tantùm ſuperficiariè in partes integrantes (ſicut alia menſtrua chymica faciunt) ſed in minimas, mixtum conſtituentes, particulas deglutita reſolvit & novam unionem mixtionemque partium efficit; ut adeò quaſi Menſtruum ſit univerſale microcoſmicum, intimè ſolvens diverſæ naturæ alimenta, illorumque repagula reſerans, partim ſubtilitate, partim congruâ & conveniente partium, quibus conſtat, figura, hinc etiam Daniel Tauvry *Anat. cap. I p. m. 10.* Salivam Alkaheſt Helmontii nominat, cùm ſolvens univerſale exiſtat, quod omnes alimentorum ſpecies ſolvere poteſt & debet. Et juxta Joh. Tack. *Chryſogon. animal. & miner. p. 17.* Saliva aliqualiter aſſimilari poteſt Liquori Alkaheſt, qui omnia in minima & velut prima reſolvit. Et *pag. 21.* ſcribit idem, ſibi optimè notum fuiſſe genere Nobilem quendam Virum, qui egregium ex Salivâ ſalem putrefactione præmiſsâ elicuerit, tam volatilem, quam fixum, quem, niſi morte præventus fuiſſet, magnis deſtinaſſet uſibus. Sicuti autem non ſolus ventriculus eſt Chyli officina, ſed ipſa quoque Inteſtina, ita etiam ſuccus, qui ex Pancreate in Inteſtina profluit & ejusdem cum Salivâ naturæ eſt, ibi vices menſtrui ulterius ſubit. vid etiam Joh. Bohn. *Diſput. de Menſtr. univerſal. animal. §. 8. ſeqq.*

*Salivæ uſus medicus.*

§. 8. Ad medicum Salivæ uſum referre nobis liceat ſigna diagnoſtica & prognoſtica, â Saliva ſeu ſputo deſumenda, ſiquidem recentiores imprimis Medici non ſolum ex Urinis & alvi excrementis, ſed ex ipsô quoque ſalivali humore & ſputô, pro meliori morborum indole pernoſcendâ, ſigna petere ſolent. Imò cujusvis ferè morbi ſtatum faciliùs ac certiùs innoteſcere ex inſpectione Salivæ, quàm Urinæ, vel ſangvinis, Venæſectione emiſſi, monet Fridericus Hoffmannus *Diſp. de Saliv. & ejus morb. cap. 6. §. 3 pag. 23.* Et *Diſp. de neceſſar. Saliv. inſpect. ad conſerv. & reſtaurand. ſanit. §. 5. p. 9.* Idem Autor Praxin medicam exercentibus ſedulam & attentam Salivæ



Salivæ conſiderationem maximopere ſvadet & commendat. Quodſi enim ex Urinâ, quæ immediatè ex ſangvine & ſerô provenit, promptè licet conjicere de mixtione, temperie, motu & ſtatu ſangvinis & ſeri, prout urina vel quantitate, vel conſiſtentiâ, vel colore differt: quidni etiam ex Salivâ, quatenus illa quantitate, conſiſtentiâ, odore, colore, &c. differt, dijudicare poſſimus ſtatum atque conditionem ſangvinis, Lymphæ & Spirituum animalium, & ulterius quoque de Ventriculi digeſtione, ejusque vitiis atque incommodis præſentibus & futuris præſagium & judicium ferre. Non autem recentioribus tantummodo ejusmodi Salivæ inſpectio familiaris eſt, ſed etiam jamdudum veteribus & ipſi Hippocrati nota atque in uſu fuit. Inquit enim Georgius Baglivus *de Saliv. natur. Tr. de Fibr. motric. pag. m. 201.* quanti fecerit magnus Medicinæ Parens lingvæ & Salivæ obſervationem ad rectè dignoſcendum & præſagiendum in morbis, videatur ipſe in aureis ſuis operibus, ſed præſertim de diebus judicatoriis *Num. 2. & 8.* De glandulis, in Aphoriſmis, Coacis, de humoribus, de humidorum uſu & reliquis. Et ab eo diſcant elegantes & ſpeculativi noſtrorum temporum Medici Judicationes curativas in morbis non â cogitationibus fortuitis & indigeſtis, nullâ maturitate Conſilii, nullâ probatis experientiâ, ſed ab Obſervationibus naturæ petere; cujus motus certi ſunt, conſtantes & perpetui, iisque fundata Praxis medica impoſſibile mihi videtur, ut fallat & a Veritatis ſcopô aberret. Nunquam igitur ab ægrô diſcedant Medici, niſi prius lingvam inſpiciant, utpote quæ lymphæ ſangvinisque ſtatum certiùs quàm alia ſigna, nobis oſtendit. Bona lingva ſemper bonum indicat: mala ſemper ſuſpecta, ſemper timenda; multò magis, ſi viſcida fuerit, arida, ſpurca, malique ſaporis; quæ ſingula vitiatam lymphæ naturam denotant. &c. Idem Autor *l. a. p. m. 198.* ſæpe ſe expertum eſſe dicit, eos, qui proximi ſunt, ut in febrem vel gravem viſcerum, & præcipuè

Q

puè naturalium, affectum incidant, plures ante dies nullâ in parte evidentiùs, quàm in linguâ futuræ affectionis signum percipere: in quâ locô naturalis saporis, amarum, viscidum, acidum aut salsum, præsertim circa horas matutinas observant; Et *p.152.* de rectâ, inquit dictus Autor, vel pravâ digestione statim certior fies per linguæ saporem: quem si mutatum deprehendes, ægrum leviter ac malè chylificare asseres. De hac Lingvæ inspectione ita scribit Fridericus Hoffmannus: Lingva ex acinis glandulosis copiosissimis & eminentiis ac filamentis nerveis constructa est: Continuè madida est, propter copiam lymphæ exstillantis tam ex contextu faucium toto glandulosô, Vasisque salivalibus, quàm ex ductibus ipsius lingvæ lymphaticis, qui cuivis glandulæ appositi sunt. Quocirca commodè ex Lingvæ colore ac facie in morbis seri ac lymphæ statum cognoscere licet, unde ejus inspectio multum ad prognosin necessaria. *vid. Petr. Poter. Observ. Cent. 3. cap. 16. not. p. 292.* Sputi considerationem de Sanitatis dispositione non mediocriter nos certiores reddere monstrat Martinus Pausa *de prorogand. vita Part. 1. cap. 39 p. 154. seq.*

*unde?* §. 9. Desumi verò solent dicta signa vel a Salivæ seu sputi quantitate, tam auctâ, quàm imminutâ; quandoque enim Saliva nimis frequenter & abundanter ejicitur, quandoque planè deest. Vel desumuntur signa a Qualitate, quæ consistit in Colore, Odore & Sapore. Ratione Coloris est sputum vel album, vel flavum, vel rubrum, vel nigrum, vel mixtum; ratione Odoris est vel sine odore seu purum, vel fœtidum; & ratione Saporis est vel insipidum, uti in statu naturali, vel salsum, acre, austerum, acidum, amarum, dulce vel purulentum. Vel peti solent hæc signa a Consistentiâ, cujus ratione Saliva seu sputum est vel tenue seu liquidum, vel spumosum, vel crassum seu viscidum, lentum seu glutinosum. Denique etiam â modô spuendi desumuntur; rejicitur enim sputum vel citò & facilè, id quod naturæ robur



bur, doloris absentiam, & naturæ bonitatem ostendit; Contra si sputum tardius & difficiliùs, cum dolore scilicet & Tussi vehementi, excernitur, facultatis imbecillitatem, aut materiæ cruditatem aut contumaciam, proindeque morbi longitudinem portendit.

§. 10. Nolumus autem hoc locô prolixiùs de singulis agere, *Autores.* benevolum Lectorem potiùs ad Practicos & Semioticos remittendo; qualia vero signa in variis morbis ex sputô colligi possint, ex Hippocrate congessit Honoratus Bicarsius *Manual. medic. p. m. 272. seqq.* & Mich. Bernh. Valentin. *Medicin. nov. antiqv. Part. 3. cap. 4. p. m. 150.* videatur insuper Joh. Jonston. *Syntagm. med. Lib. 2. Tit. 2. cap. 3. Art. 4. p. m. 243. seqq.* C. Celsus *de Medicin. Lib. 2. cap. 2. p. m. 51. & cap. 6. p. 59.* Barthol. Perdulc. *Univers. medic. Lib. 3. cap. 41. p. m. 233.* Hieron Mercurial. *de Excrement. Lib. 3. cap. 3. pag. m. 198.* Paul. Zacch. *de Affection. Hypochondr. Lib. 1. cap. 6. pag. m. 44. & Lib. 2. cap. 17. pag. 462.* Joh. Adam Weber. *Discurs. curios. Disc. 18. pag. m. 293.* Joh. Varand. *de Prognost. med. Part. I. fol. m. CCXIX. seq.* Frid. Hoffmann. *Disp. de necessar. Saliv. Inspection. ad conserv. & restaurand. Sanitat. §. 9. seqq. p. m. 21. seqq.* Jacob. Primeros. *Enchirid. medic. pag. m. 152. 154. seq.* Theodor. Zwinger. *Theatr. Prax. medic. Part. poster. p. 490. seq.* & *Fascicul. Disp. med. Disp. 8. p. m. 461. 463. 468. & hinc inde,* item quæ suprà de salivatione symptomatica & critica adduximus. Porrò Joh. Helfr. Juncken. *Fundament. medicin. eclect. Part. 1. cap. 3. p. m. 439. seqq.* Alfons. Morescott. *Compend. Medicin. p. m. 17.* Laurent. Bellin. *de Morb. Capit. Tract. de Urin. p. m. 474. sq. 651. 659. 661. seq.* Imprimis autem Prosper Alpin *de præsagiend. vit. & mort. ægrotant. Lib. 4. cap. 9. pag. m. 316.*

§. 11. Ex multâ Salivâ inter loquendum post febrem mali- *Exempla.* gnam excretâ in Studiosô Theologiæ mortem prædixit Christ. Francisc. Paullini; Risere equidem adstantes, sed mox excessit. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 5. App. p. m. 76.* Pro signô diagnosticô & distinctivô, quanam viscere seu parte internâ laboret ægrotus,

grotus, Catuli recens nati per quindecim dies cum ægrotô in eodem lectô maneant, cum ipsô comedant, ipsius Salivam omnem deglutiant; Tunc, si aperiantur seu dissecentur dicti Catelli, pars eadem, quæ in ægrô, affecta in Catulis reperietur, atque sic cognitô morbô etiam legitima remedia admoveri poterunt, vid. Petr. Borell. *Obs. & Hist. med. Cent. 1. Obs. 28. p. m. 220.* & Christ. Hellwigs *curiöse* Beschreib. rarer *Medicin.* Dinge. *p. m. 31.* De Ptyalismo, in certâ fœminâ, Graviditatis signo vid. Joh. Georg. Hoyerus *M. N. C. Dec. III. An 3. Obs. 50. p. m. 57.* Nonnulli etiam ex gravidæ mulieris Salivâ differentiam sexûs in fœtu prædicere volunt, & quidem Salivam seu sputum flavum, subrubicundum, rotundum & quasi compactum de puellô, album autem, aqueum & dissolutum de puellâ testari dicunt, vid. Joh. Gufer. *Medicin. domest. p. m. 68.* E sputô purulentô equidem ordinariè Phthisis judicatur, attamen puris sputum menstruum sine Phthisi annotavit Alhardus Hermannus Cummius *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obs. 94. p. 223.* & quidem in Matronâ nobili, quæ singulis mensibus semel puris sputô laborabat, adeò ut sæpissime ad tres libras puris fœtidissimi rejiceret; bene interim se habebat, & formosa erat, neque etiam tussi vexabatur, nisi quando periodicum hoc imminebat sangvinis sputum; Menses tamen parcè fluebant. Iudicent nunc eruditi, an semper puris sputum signum Phthiseos pathognomonicon existat. Ego sanè, pergit dictus Cummius, in eâ sum sententiâ, ulcus pulmonis tabem non esse, nisi longô temporis tractu degeneraverit vel in Vomicam vel in Empyema. Inspectio variorum hoc morbô mortuorum & dissectorum Cadaverum aliud me docuit. Plura de sputo Phthisicorum reperies in Eberh. Gockel. *Consil. medic. pag. m. 3. 319. 321. &c.* De Salivâ iratorum sequentia habet Fridericus Hoffm. *Disp. de Saliv. & ejus morb. cap. 5. §. 4. p. 24.* Certè si Saliva iratorum & irritatorum aliis communicata tantorum lerna malorum, quis eandem quæso deglutitam nobisque servatam putabit



bit innoxiam? Hinc pueros & infantes ab irâ, quasi ab emeticô assumtô vomentes, acrimoniâ peregrinâ Salivæ dubiô procul nervosum Ventriculi orificium vellicante, vidi; Inter adultos autem irâ vehementissimâ excandescentes, alios copiosum emisisse sputum, proprioque naturæ instinctu ab imminentibus noxis se præservâsse: alios salivam talem absorbentes desperatis febribus, præsertim cibô vel potu brevi ante vel post iram assumtô, correptos fuisse; vitiosô scilicet tali menstruô Coctionem Ventriculi depravante & sangvinis crasin turbante.

§. 12. Circa ipsum humanæ Salivæ Usum medicum, qvem eadem extra Corpus & imprimis in externis affectibus præstare dicitur, primò occurrunt varii Oculorum affectus, v. g. Ophthalmia, Lippitudo, Tumores & Ulcera, tam oculorum, quàm palpebrarum, Suffusiones & ipsa Cœcitas; ad quorum affectuum curationem non sine ratione, nec sine experientiâ, Medici Salivæ operationem indagant & laudant. Insunt enim eidem utplurimum, uti superiùs dictum, particulæ aqueæ, viscidæ & balsamicæ, pro acribus humoribus temperandis & diluendis; insunt salinæ, pro particulis purulentis abstergendis & purificandis; insunt etiam spirituosæ & volatiles, pro poris obstructis reserandis. Quas rationes & curam confirmat etiam experientia ex Autoribus adducenda. Ad varios enim oculorum affectûs manè jejunô stomachô semina fœniculi mandere & patienti capite resupinatô jacenti pluries locum affectum lingere jubet Claudius Deodatus *Panth. hygiast. Lib. 3. cap. 21. p. m. 132.* Ad clarificandos oculos & acuendum visum mulieres infantum oculis Salivam jejunam illinunt, juxta Joh. Joach. Becher. *Parnass. fol. m. 15.* Si Infantes Albugine seu Nebulis laborant, Mater aut Nutrix ammoniacum masticet jejuna & in pueri oculum inflet, secundum Petr. Bayri *Enchirid. Pract. Lib. 3. cap. 3. p. m. 111.* Ad suffusionem incipientem svadet Hieronymus Capivaccius, ut puellus seu juvencula priùs semen

*Salivæ usus in affectibus oculorum.*

men Fœniculi & Euphragiam mandant, deinde suffusione laborantis oculum lingvâ lambant, vid. Laurent. Scholz. *Consil. 308. fol.m. 881.* Lippitudines assidua Salivæ matutina inunctio arcet, inquit Marcus Antonius Zimara *Antr. magic. med. Part. 2. Lib. 4. p. m.. 484.* Oculos Infantis, cujus universam faciem Variolæ occupaverant, & oculis exitium minitabantur, frustra aliis tentatis, nutricem dolore infantis & commiseratione commotam lingvâ propriâ linxisse, sicque reseratis oculis, abstersâque sanie convaluisse infantem, morti antea relictum, refert Thomas Bartholinus *Cent. 1. Histor. 29. p. m. 40. & Anatom. reform. Lib. 3. cap. 13. p. m. 553.* Fridericus Hoffmannus exemplum refert, fœminæ Ophthalmiâ contumaci laborantis, quæ, variis Collyriis & aliis remediis frustra adhibitis, Salivâ alterius fœminæ pauperculæ, dum scilicet ipsi affectum oculum frequenter lamberet, curata est. *v. Ejusd. Disput. de Saliv. & ejus morb. cap. 4. pag. 10.*

*In Cæcitate.* §. 13. Cœcitatem ipsam tum ab ipsô Salvatore nostrô, tum ab hominibus, mediante Salivâ seu sputô sublatam legimus. Nam Vespasianus Romanorum Imperator cœco homini Salivâ oculorum membranis inditâ, visum restituisse dicitur, vid. Marcell. Donat. *de Histor. medicin. mirabil. Lib. 6. cap. 3. pag. m. 628.* Qvem Casum Medicum ita annotavit Cornelius Tacitus *Hist. Lib. 4. pag. Edition. Lipsian. 326.* Per eos Menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstivis flatibus (fortasse Etesiarum) dies, & certa maris, opperiebatur, multa miracula evenêre, qvîs cælestis favor & quædam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrinâ quidam, oculorum tabe natus, genua ejus advolvitur, remedium cœcitatis exposcens gemitu, monitu Sarapis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit, precabaturque Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo, ut pede ac vestigiô Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primò irridere, aspernari, atqve illis instantibus, modò famam vanitatis netuere, modò obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci. Postremò æstimari a Medicis jubet, an talis cœcitas ac debilitas ope humanâ superabiles forent. Medici variè disserere. Huic non exesam vim luminis & redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi deis, & divino ministerio Principem electum, denique patrati remedii gloriam, penes Cæsarem irriti, ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patêre ratus, nec quidquam ultrà incredibile, lætô ipse vultu, erectâ, quæ astabat, multitudine, jussa exequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cœco reluxit dies. vid. etiam Johann. Lang. *Epistol. medicin. Lib. 3. Epist. 6. p. m. 928.* Sicuti autem hoc Vespasiani exemplum â Marcellô Donatô *l. a.* in dubium vocatur, ita prius, Salvatoris nostri, quod Evangelista Johannes *cap. 9. vers. 6.* commemorat, illud veritate quàm maximè antecellit. Et quamvis juxta Joh. Tackium, *Triplic. Phas. saphic. Chrysog. animal. p. m. 17.* Nulla major excogitari possit insania, quàm ut factum aliquod supra naturam naturæ viribus putes, neque sit artis, â nativitate cœcum curare, sed potentiæ infinitæ, unde admirari has Servatoris nostri operationes potiùs liceat, quàm scrutari &c. Quæ & alia verba non modò ex Picô contra Astrologos *Lib. 4. cap. 14.* allegat Anna Maria â Schurmann in Epistolâ ad Johannem Beverovicium, sed etiam post varias rationes cum Ambrosiô statuit, quod cœcus a nativitate non arte sed potestate curatus sit, cùm Dominus sanitatem donârit, non Medicinam exercuerit. vid. Joh. Beverovic. *Epistol. & Respons. p. 2. seqq. 7. 10. sq.* Quis tamen quæso aliis Scriptoribus vitio vertet, si sentiant, Salvatôrem nostrum, juxta sacrum Codicem, cœcum, cui unico nutu visum reddere potuisset, ideò salivâ suâ sanare voluisse, ut forsitan præter suam Omnipotentiam nobis etiam Salivæ usum medicum manifestaret; unde

unde etiam â Medicis, quanquam non æquè ad Cæcitatem connatam, ad alios tamen oculorum affectus adhiberi soleat. Imò Salivam in oculorum affectibus jamdudum apud Judæos in usu fuisse, prolixè docet Conradus Johrenius *Dissert. de Christo Medico cap. 1. §. 10. p. 41.* ubi etiam sententiam suam, de Christi sanatione, annectit. In oculorum, inquiens, sanè affectibus inter Judæos & tempore Christi maximè celebratam fuisse Salivam, discere possumus ex Othonis *Lexic. Rabbin. Philolog. p. 618.* & Lightfoot *in Hor. Talmud. ad Joh. 9.* Demonstrant id ex Vajicra Rabba *fol. 175. 2.* Nam ibi R. Meir simulans morbum oculorum, jubet fœminam pro remediô septies in ipsius oculos sputare. Item ex Maymonide *cap. 21. in Schabbat.* ubi tradit, illud remedium Sabbatho ægro applicare fuisse prohibitum, nec licuisse oculos nisi in diebus profestis Salivâ illinire, ob reverentiam Sabbathi, quod Medicinâ prophanandum non erat. Judicat hinc idem Lightfoot, quòd Christus ideò adhibuerit salivam Pulveri commistam, ut experiri posset hominem, an adeò superstitiosus esset, dum sputum miscuit, evitasse suspicionem incantationis &c. Neque dissentit Otho *l. c.* dum tradit: sumsisse Christum oculos sanaturum salivam, sed ut Judæis ostenderet, se planè aliâ vi & facultate sanare, quàm vulgò fieret, immiscuit salivæ pulverem terræ, quâ nihil magis oculis officit, & fecit ex his tale μίγμα, quod etiam purissimum & optimum visum turpidum reddere & corrumpere potuisset, nisi summi Medici omnipotens manus adfuisset, & miraculô hæc ita temperavisset, ut cœco salutaria fuerint. Verum licet concedamus, pulverem terræ, ipsas si attigerit oculorum tunicas, infestum esse illis; negamus tamen, illum in mixturâ cum aliis conjunctum palpebris illinitum istorum Virorum sententiam approbare posse, sed ex aliis causis Christum hanc adhibuisse potiùs videtur. Docemur enim ex Principiis Physiologicis atque experimentis Chymicis, Salivam ceu optimam atque spirituosissimam Lymphæ partem, particulis sulphureo-aqueo-salinis, maximè alcalicis turgere, & hinc dum summis pollet viribus discussivis, optimè in nominatis affectibus adhiberi. Quis jam me Heterodoxiæ arguet, quòd Salvatoris nostri Salivam, quæ ex perfectissimô prosiliit corpore atque sanctissimô, nostræ satis corruptæ anteferam, atque si huic tantæ vires Physicæ & medicæ adscribuntur, illi majores tribuam. Idque eò hilariori facio vultu, quòd ex S. Historiâ cognovi, Salivam in iis affectibus fuisse usurpatam, in quibus discutientia Medicamenta â nostris præcipiuntur Præceptoribus, atque magni fiunt ab experientissimis Medicis. Nemini interim litem movebo, sed unicuique dissentiendi concedam libertatem, eadem officia ab ipsô postulaturus, atque jura; qui &, quæ de naturaliter institutis â Christô Curis dixi, minimè de Naturâ nostrâ humanâ intellecta volo, sed de naturâ Christi humanâ, summâ perfectione, sanctitate, divinâ potestate atque virtute gaudente accipi, hoc sensu, ut naturaliter in Christô, quotiescunque hôc vocabulô utor, mihi nihil aliud denotet, quàm quod non supra humanam Christi naturam fuerit, sed Christus homo vi præsuppositorum Salivam & Tactum ceu remedia physica optimô cum successu adhibere potuerit, illa quoque in tantum operari potuerint; licet non in totum, dum accessere his merè naturalibus virtutibus Divinæ concessæ, quibus tam citò tamque jucundè & in momentô curavit. Præsuppositô jam humanam naturam & vi perfectionis mirabiles producere potuisse operationes medicas, quoque haud me peccaturum existimavi, si tentarem, possitne processus hic operationum per Principia Philosophica Physicè explicari, maximè cum in Medicorum observationibus & Philosophorum meditationibus quædam illustrantia legantur exempla, ad quæ semper tamen exclamandum duxi: Duo cum faciunt idem, non est idem. Hæc Johrenius.

*in Cœcitate à Veneficio.*

§. 14. Non possum quin hoc loco exemplum Cœcitatis ex Veneficiô ortæ atque â Dei simiâ solô tactu curatæ ex Baldass. Timæi â Güldenklee *Lib. I. cap. 29. pag. m. 61.* adducam. Anno 1629. Miles quidam gregarius in fortalitiô ad portum Colbergensem excubias agens subitô & quasi in momentô obcœcabatur, nullô corporis, capitis aut oculorum præcedente morbô, aut vi aut casu externô: visum recuperabat incantamentis. Adductum scilicet a Commilitonibus ad Timæum â Güldenklee obcœcatum hominem, de Corporis Constitutione, sanitate & morbô, de victu, de externis aliisque ad causæ investigationem pertinentibus interrogavit dictus Medicus, sed nihil eorum, quæ Cœcitatem adeò repentè & subitò inducere possent, deprehendit: Oculos itaque accuratè inspexit, nec in his quicquam vitii animadvertit, omnibus eorundem partibus & coloribus, quin & ipsâ pupillâ naturaliter constitutâ. Exhibuit proinde recenti huic malo varia remedia & quidem primò, quæ totum Corpus, postmodum quæ Caput & Cerebrum particulariter purgarent, idque repetitis vicibus: Mox & revulsiones instituit, phlebotomiam, Cucurbitulas scarificatas, Vesicatoria, capitis lotiones, topica convenientia & id genus alia adhibuit: Cephalica etiam & Ophthalmica, quæ caput roborarent & humores noxios absumerent, discuterent & expellerent, præscripsit. Sed frustra omnia. Supervenit tandem, inscio Timæo, Vetula quædam Saga, digitoque Salivâ obductô palpebras & oculos contrectavit, verba quædam semitertiata submurmurans: quô factô subitô & quasi in momentô visum recepit. Videtur proinde, juxta Petr. Lolich. *Comment. in Petron. Arbitr. Satyr. Lib. 2. p. 262.* Servatoris nostri Curationem divinam miraculosamque Diabolus omninò postmodum imitatus esse, ut etiam asseclis hominibus perversis, mancipiis suis, modum dictaverit, quô, mediante sputô, res curationesque magicas perficerent. Quemadmodum enim divina quoque illa miracula, quæ Moses atque Aaron per Dei omnipotentiam coram Pharaone edebant, imitabantur oppidò tum Pharaonis magi, diaboli mancipia; ut morem vel hinc etiam, si non aliunde natum esse arbitremur, sputum pulveribus mistum pro magico deinceps remediô usurpatum fuisse.



*in Oculorum vulneribus.*

§. 15. Circa oculorum vulnera olim anxii fuêre artifices in restituendô effluente seu elapsô humore aqueô, quem tamen per naturam restitui, dummodò vulnus obturetur, partim ex aliis Autoribus, partim ex sequenti observatione patet, quam Augustinus Hünerwolffius *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obs. 92. p. 195.* his verbis recenset: Memini, cùm frater meus anno ætatis suæ duodecimô Corium dissecare vellet, cultri sursum abscedentis cuspide petiit oculum sinistrum scævâ & tunicam corneam uveæque partem ita vulneravit, ut notabilis quantitas humoris aquei effluxerit. Curabatur autem vulnus nullô aliô remediô, quàm Salivâ matris. Ea enim diductis palpebris linguam salivâ madidam vulneri admovebat, idque lambendô jejunè & deligando molliter curabat, remanente in bulbo istô parvo vulneris inflicti vestigiô cum pupillâ angustiore & visu acutiore.

*in Palpebrarum affectibus.*

§. 16. In Palpebrarum Tuberculô seu earum asperitudine internâ, quæ se externè milii granis simili eminentiâ prodit, inductionem Salivæ laudat Wolffgangus Höfferus *Hercul. medic. Lib. I. cap. 8 p. m. 73.* Et contra Hydatides seu vesiculas palpebrarum adhuc recentes Salivam commendat Johannes Baptista Verduccius *dans la Suite de la Pathologie de Chirurgie cap. 5. p. m. 672.* Livorem sub oculo a percussione exortum Cyminô probè masticatô atque sufflando inter dentes retentô emendat Petrus Bayrus *Enchirid. Pract. cap. 5. p. m. 113.* Ad ejusmodi sugillationes Oculorum seu Palpebrarum inservit etiam Radix Sigilli Salomonis masticata atque salivâ bene subacta locis percussis imposita. In Hordeolô oculi Saliva ratione virtutis aperientis & discutientis laudatur, si granum hordei masticatum

catum atque Salivâ bene madefactum eidem imponatur; vel potiùs ſingulis horis matutinis Hordeolum propriâ ægri ſalivâ inungatur, ſiquidem non hordeum, ſed Saliva ſale volatili conſtans ſanat. vid. Joh. Dolæi *Encycloped. Chirurg. Lib. 1. cap. 8. p. m. 134.* Vel juxta verba de Jean Bapt. Verduc. *l. a. p. 675.* Il faut recommender, que l' on ait ſein de frotter ſouvent ces petites Tumeurs avec la ſalive; quand on eſt à jeun, parceque la ſalive a beaucoup de ſel volatile. Plura hordeola ſub initiô ſe hôc modô, ſcilicet ſingulis matutinis horis ægri propria ſalivâ inungendo, curâſſe ſcribit Carolus Muſitanus *Chirurg. Tom. I. cap. 31. p. m. 161.* vid. etiam Thom. Burnet. *Theſaur. med. pract. Lib. 8. p. m. 518.* Michael Ettmüller. *Oper. med. Tom. I. fol. m. 785.* Theoph. Bonet. *Polyalth. Tom. I. Lib. 2. cap. 34. fol. m. 918.* An autem ad ejusmodi oculorum affectus ſemper Saliva mulieris, & quidem ſanæ primiparæ, quam Joh. Georg. Macaſius *Promptuar. mater. medic. p. m. 426.* commendat, adeò neceſſaria ſit, vix fidem meretur.

*In affectibus cutaneis.* §. 17. Ad plurimos Affectûs cutaneos, v. g. Lichenes, Herpetem, Scabiem, Impetigines, Serpigines & id genus alias puſtulas Saliva jejuni hominis illita ob virtutem ſuam abſterſivam & ſaponariam prodeſſe laudatur, quia videlicet acris, bilioſus glutinoſusque ejusmodi humor Cutis poroſitatibus adhærens, ejus ope attenuatur atque reſolvitur. Unde Galenus *de ſimplic. medicamentor. facultat. Lib. 10. fol. m. 74. b.* inquit: Salivâ nutrices pueris Lichenes curant, parvum videlicet digitum irrigantes ac deinde Cutem affectam confricantes; idque faciunt ſubinde, tantô ſcilicet intervallô, dum ſalivæ vires in Lichene perdurent, ac nondum ſint extinctæ. vid. etiam Joh. Tack. *Phaſ. ſophic. 2. ſeu Chryſogon. animal. & mineral. pag. m. 16. ſeq.* Wolffg. Höfer. *Hercul. med. Lib. 5. cap. 4. p. m. 314.* Valeſcus de Taranta ſalivam hominis jejuni, maximè famelici, illitam Impetigini recenti & in puerô prodeſſe dicit *Philon. Chirurg. cap. 8. pag. m. 814.* v. etiam Marc. Anton. Zimar. *Antr. mag. med. Part. 1*





*p. m. 16.* Felic. Plater *Prax. Tom. 2. p. m. 735.* Joh. Helwig. *Obſ. 38. Schol. p. m. 142.* ubi inter alia dicit Lucas Schroekius latens in ſaliva alcali, quod Otto Tachenius *Hipp. chym. cap. 16.* agnoſcit, acido iſti morboſo contrarium, vim ipſius pungentem infringit atque abſorbet vel ſi acidi quid, ut aliis placet, natura ejus unà continet, abſtergendo etiam utilitatem præſtare poteſt. Juxta Marc. Gerbezii *Chronolog. med. pract. An. 2. §. 94. p. 176.* Impetigo non rarò ſoli jejuni hominis ſalivæ, frequenter illitæ cedit, & ſecundum Frid. Hoffmann. *Clav. Schrœder. Lib. 5. p. m. 661.* Saliva hominis jejuni contra ſerpigines utilisſima eſt; Item experimentô Georgii Wolffg. Wedelii ſalivæ illitus Lichenes curat, *v. M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. II. pag. 26. ſeq.* Morbos quosdam cutaneos, imprimis Impetiginem, diligenter illitam ſalivam ſuſtuliſſe, meminit Vitus Riedlinus *Linear. medic. An. 1697. Menſ. Aug. Obſ. 17. p. m. 544.* Et *An. 1699. Menſ. Mart. Obſ. 31. pag. 318.* hoc tam facilè & ſemper proſtans remedium in Impetigine tum ſibi, tum ſuis non ſemel profuiſſe itidem notâſſe refert. vid. etiam Joh. Dolæi *Encyclop. Chirurg. Lib. 1. cap. 20. p. m. 491. ſeq.* Joh. Phil. Gieswein *de mater. med. p. m. 338.* In Herpete, inunctâ ſalivâ hominis jejuni, cujus ope acris, bilioſus, glutinoſusque humor Cutis poroſitatibus inhærens attendatur & reſolvitur, multum ſæpe ſe effeciſſe dicit Johannes Munnick *Chirurg. Lib. 1. cap. 19. pag. m. 117.* vid. etiam Dan. Beckher. *Microcoſm. med. Lib. 1. cap. 3. p. m. 11.* Dan. Sennert. *Pract. med. Lib. V. Part. 1. cap. 30. p. m. 141.* Salivam nutricum ad Infantum Impetiginem commendat Adamus Lonicerus *Herbar. Part. 2. fol. m. 580.* & Franciſcus Joel *Oper. med. Tom. 4. Lib. 10. Sect. 3. p. m. 423.* ita ſcribit: Cum adhuc levis eſt Impetigo, & antequam converſa eſt in ſerpiginem aut exulcerationem, Cutis ſolâ ſalivâ jejunâ confricata ſanari poteſt, aut illinitione ſalivæ jejunæ, cui favillæ ſunt admixtæ & in formam linimenti redactæ. Scabiem aliquando ſalivalem humorem ſanare dicit Antonius Nuck *Sialograph. cap. 2. p. m. 53.* it. Joh. Jacob. Waldſchm. *Institut. medic. Lib. I. cap. 3. p. m. 16.* In

ſugillationibus pro Curâ vexatorum cum Euphoriâ adhiberi ſolet Saliva, *v. Galen. l. a. f. 75.* Theoph. Bierling. *Theſaur. pract. Caſ. 65. Schol.* §. *1. p. m. 854.* Ad ſtigmata ſalivam commendat Georgius Thomſon *Acûs magnet. cap. 15. p. m. 153.* Circa horum Cutis affectuum curam ſtatuit Chriſtianus Joh. Langius *Prax. med. cap. 7. Oper. Medic. Tom. II. fol. m. 44.* Salivam hominis jejuni & ſani requiri, atque propter gelatinoſitatem agere; Nam ſi ſaliva non ſit bene conſtituta, e. g. in ſcorbuticis, tunc non tollat, ſed augeat malum. Idem etiam novit nutricem, quæ, Lue venereâ infecta, ſalivâ ſuâ Infantis ſerpiginem inunxerat, unde non modò plenaria exeſio, ſed etiam infantis interitus ſubſequebantur. Hinc patére concludit dictus Autor, ſalivam minimè prodeſſe propter ſalia ſua, ut multi credunt, ſed propter gelatinoſitatem.

*ad maculas poſt variolas.* §. 18. Ad maculas faciei â Variolis relictas valet ſaliva jejuna ſæpius illita, & cum Aqua florum omnium abluta, juxta Joh. Dolæi *Encyclop. Chirurg. Lib. I. cap. 20. p. m. 492.* Michael. Ettmüller. *Oper. med. Tom. I. fol. 785.* & ex hoc Georg. Dan. Coſchwiz *Schrœd. Lib. 5. fol. m. 32.* Item contra puſtulas rubicundas faciei inſervit ſaliva. vid. Joh. Frid. Helvet. *Diribit. med. pag. m. 109.* In Tumoribus & puſtulis ſeu facie morphæicâ Radices Boraginis jejuno ſtomacho maſticandas atque puſtulis his imponendas ſvadet Johannes Crato in Laurent, *Scholz. Conſil. medicin. Conſ. 289. fol. 832.*

*ad Nævos maternos.* §. 19. Contra Nævos maternos ſæpiſſimè ſvadetur ſaliva jejuni hominis, hinc Johannes Phil. Gieswein *l. a. p. 341.* Salivam jejunæ matris ad notas originales commendat, & Fridericus Hoffmannus *Diſputat. de Saliv. & ejus morb. cap. 4.* §. *8.* Nævos etiam rebelles ſæpe facilius illitu ſalivæ, quàm remediis aliis fugatas notavit. Inter Medicamenta domeſtica contra Nævos maternos ſalivam matris crebrius adhibitam refert Michael Bernh. Valentini *Prax. medicin. infallibil. cap. 1. pag. m. 7.* vid. etiam Joh. Muralt. *Hippocr. Helvet. pag. m. 62.*

§. 20.



*pro Cosmetico.* §. 20. Inter Cosmetica non ultimum locum tenere, imò pro aliis Cosmeticis præferendam ferè ſalivam ſanorum probat Fridericus Hoffmannus *l. a.* exemplo Nobilis Scaniæ, quæ toto vitæ tempore nullò aliò liquore, quàm ſalivâ ſuâ faciei ſordes abſterſerat. nihilominus, ſexagenaria licet, ſatis adhuc bella fuerat. vid. inſuper Mich. Ettmüller. *Oper. l. a.* Præſupponitur tamen ſaliva hominis non ægroti, ſed ſani; hinc Johannes Tackius *l. a. p. 16.* ſalivam ſanorum optimum eſſe Coſmeticum ſcribit. vid. etiam Tractatum Germanicum von der Schönheit der Damen *p. m. 183.* qui Tractatus anteà nomine Tobiæ Vogels Hautdiener editus eſt. Hanc virtutem Coſmeticam a ſpiritu & alcali ſalivæ derivat Johannes Dolæus *Encycloped. Chirurg. Lib. 1. cap. 20. p. m. 491.*

*ad Carnem ſpongioſam.* §. 21. Carnis ſpongioſæ excreſcentiis ſi duntaxat aliquantam jejuni hominis ſalivam ſingulis matutinis alleveris, figetur illius accreſcentiæ fermentum & per hanc nutrimenti ademptionem abſcedunt talia germina ſeu excreſcentiæ, juxta Joh. Frid. Helvet. *Diribitor. med. cap. 16. p. m. 109.*

*ad Strumas.* §. 21. Strumas ſolâ ſalivâ digito illitâ ſanare Galliarum Angliæque Reges; tanquam rem certiſſimam omnibusque vulgatam adduxit Marcellus Donatus *de medic. Hiſtor. mirabil. Lib. 6. cap. 3. p. m. 628.* Tumorem colli ex partûs laboribus contractum quotidie ſalivâ os adhuc jejunum perfundente perfricatum poſt aliquod tempus evanuiſſe, refert Vitus Riedlinus *Linear. med. An. 1699. Menſ. Mart. Obſ. 41. p. m. 217. ſeq.* Et ſecundum Georg. Wolffg. Wedelium, hodienum ſaliva occipientibus Strumis, accedente frictione, ſalubriter illinitur vel inſputatur, *v. M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 212. pag. m. 428.* Ad Bronchocelas ſalivam ſanorum proficuam dicit Johannes Tackius *l. a.*

*ad Ganglia.* §. 22. Ganglia ſeu nodos in Carpô exiſtentes frequenti cum ſalivâ frictione abſque aliorum medicamentorum uſu curavit Antonius Chalmeteus. *v. Ejusd. Enchirid. Chirurg. Lib. 1. cap.*

*cap. 13. p. m. 66.* In Ganglió, in malâ dextrâ, salivam jejunam inungendam commendat Salomon Alberti in Joh. Phil. Brendel. *Consil. medic. Consf. 113. pag. m. 393.* Hermannus Frederus ex ictu Ganglion contraxerat ovi columbini ferè magnitudinem excedens. Adhibita initiò fuerunt emollientia & discutientia, mox, cùm hæc non proficerent, etiam suppurantia. Verùm cùm nec his cederet malum, sectionemque non admitteret patiens, naturæ negotium committendum erat, cujus beneficiò factum, ut tractu temporis non solùm ampliùs non augeretur incrementumque sumeret tumor, sed & paululum minueretur & in magnitudinem nucis avellanæ decresceret, eoque in statu per totam vitam permaneret, nullò aliò adhibitô remediò, nisi quòd Salivâ propriâ tumorem quotidiè jejunus inungeret. vid. Baldass. Tim. à Güldenklee *Lib. 6. Cas. 24. p. m. 286.* vid. etiam Jo. Georg. Wedel. *Exercit. med. philolog. Decad. IV. Exercit. 8. p. m. 40.*

*ad Furunculos.* §. 24. Furunculis rustici triticum mansum imponunt, quia vi digerendi & concoquendi pollet, secundum Galen. *de simplic. Medicam. Facultat. Lib. 10. fol. m. 74.* ubi simul, si locô Salivæ Triticum aquâ simplici maceretur, non æquè prodesse refert; ex quô liquet, salivam juvandi robur afferre. Item incipientes furunculos ter præsignare jejunâ salivâ docet Plinius *Histor. natur. Lib. 28. cap. 4. fol. p. m. 495.* vid. etiam Balduin. *Ronss. Epist. 17. p. m. 61.*

*ad Callos.* §. 25. Ad tollendos Callos cutaneos seu Cicatrices post læsiones vulnerati proprium sputum jejuni affricare vulgò solent, vid. Felic. Plater. *Prax. med. Tom. 3. p. m. 330.* ubi etiam Emplastrum quoddam ad Conglutinationem ex Calce, Mastiche & Salivâ componit.

*ad Clavos.* §. 26. Ad Clavos pedum laudatur Saliva, si superior Cuticula antea separetur & deinde saliva jejuna matutinis horis per aliquot dies applicetur, quâ hos adeò emolliri constat, ut facile tollantur. vid. Anton. Nuck *Sialograph. p. m. 52.* item Steph. Blan-



Blancard. *Institut. med. Part. 3. c. 12. Oper. med. Tom. I. p. m. 374.* De superstitiosâ & indignabundâ quasi exspuitione vid. Christ. Francisc. Paullin. *Pharmacop. Stercor. p. m. 256.*

*ad Verrucas.* §. 27. Verrucæ manuum & aliarum partium, si jejuni hominis Salivâ per aliquot dies manè fricantur, auferri possunt. vid. Ant. Nuck *l. a.* & juxta verba Johannis Verbrugge *Exam. van Land - ee Zee Chirurgie p. m. 414.* Het Speecksel gheneest alderley Vratten en Wennen. Item Vitriolum Cyprium Salivâ madefactum decrescente Lunâ solô contactu exterere verrucas, Experimentô amici communicat Johannes Rhodius *Act. Hafniens. Vol. IV. Obs. 28. pag. m. 90.* Hanc Operationem à Salivæ Sale volatili derivat Cornelius Stalpartius van der Wiel *Observ. med. rarior. Cent. 2. Obs. 36. Schol. p. m. 385.* Qvantum, inquiens, ad jejuni hominis salivam, certum est, eâdem, nullis commixtâ alimentis, Sal quoddam volatile contineri, quod subtilitatis penetrantisque virtutis ratione viam ad duriorem viscosamque ac obstruentem materiam dissolvendam sibi sternit, ita ut humorum per partem affectam rectè procedat Circulatio; ideoque illa diutius adhibita, ut ipse confirmat usus, Verrucas, Callos, glandularum tumores, maculas, &c. sensim aufert.

*ad Melicerides, Atheromata &c.* §. 28. Melicerides, Atheromata, Steatomata, Scrophulæ, Lupiæ & ejusmodi Tumores, (quorum etiam partim hactenus mentionem fecimus) si adhuc molles sunt, manè digitis Salivâ jejuni hominis madefactis diu fricentur; siquidem ipsi, ratione salis volatilis & spirituum in eâ abundantium, vis attenuandi & resolvendi copia inest. vid. Joh. Munnicks *Chirurg. Lib. I. cap. 9. pag. m. 42. & cap. 10. p. 50.* Et Theodorus Craan *de Homin. cap. 4. p. m. 12.* inquit: Saliva hominis jejuni Tumores discutit, si eâ inungantur, quod autem fieri non posset, nisi ipsi magna penetrandi vis inesset, & nisi constaret particulis, quæ poros partium aperire valerent, ut materia hærens in poris liberè in auras per insensibilem Transspirationem abire

 possit.

poſſit. vid. etiam Hieron. Mercurial. *de Excrement. Lib. 3. cap. 3. pag. m. 198.* Joh. Dolæi *Encyclopæd. Chirurg. Lib. 2. cap. 2. pag. m. 625.*

*ad Gibbera.* §. 29. Gibberi in principiô ſalubriter illinitur vel inſputatur Saliva, accedente frictione, quod vulgi eſt remedium innoxium, imò ſatis bonum, juxta G. W. Wedel. *Exercitat. med. phyſiol. Dec. IV. Exercit. 8. p. 40. & M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 213. p. 428.* Interdum etiam hujusmodi Cura lambendô peragitur. *Obſervatio.* Vivit adhuc non procul abhinc in pagô quodam talismodi Gibberum & ſtrumarum Curæ ſtudioſus, ruſticus juvenis, qui ante aliquot annos ejusmodi curationes inſpuendo & lambendo peragere tentabat. Singulis ſcilicet diebus Veneris manè jejunus, ut ajebat, ægrotantium ſtrumas & gibbera ſeu poſteriora per crucem, & quidem ſingulis vicibus ter lambere, poſtea partem affectam fricare atque aliquot verba ob murmurare, idque interdum per plures ſeptimanas continuare ſolebat. Die autem, quô medicaſter hic has ſuas Operationes ſeu Curam & quidem in tribus tantùm vel quatuor circiter ſubjectis gibboſis vel ſtrumoſis exercebat, ſe exinde adeò debilitari ajebat, ut demum Confortativô quodam, aut Cyathô Vinô impletô, viribus perditis reſtaurandis neceſſe haberet. Quia tamen ab hoc Gibberilambiô parum aut nihil auxilii experiebantur ægrotantes, intra paucum temporis ſpatium hujus artificis fama, ut nebula, evaneſcebat.

*ad Hæmorrhoides.* §. 30. Hæmorrhoidibus ſi quando ſalivam jejunam illeveris, perbrevis temporis interjectu ita ſanabuntur, ut nusquam ampliùs compareant, inquit Johannes Frider. Helvetius *Diribitor. medic. p. m. 109.* Et de Curâ Hæmorrhoidum ait Johannes Jacobus Waldſchmied *Prax. med. p. m. 279.* qui novit viſcerum tollere obſtructiones, is etiam novit curare Hæmorrhoides cæcas, pro quibus ſæpius externè ſufficiens erit remedium, Saliva hominis jejuni vel Canis. G. W. Wedelii experimentô tubercula hæmorrhoidalia Salivæ illitu ſanari, legimus *M. N. C.*



*M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. II. p. 25. ſeq. it. An. 6. Obſ. 213. p. 478.* & Wedel. *Exercit. med. philolog. l. a.* Contra dolorem hæmorrhoidum locum affectum Salivâ fricari ſvadet Johannes Baptiſta Verduc *Pathol. Chirurg. Tom. 2. cap. 42. p. 1070.*

§. 31. De Tumore Scroti, qui hactenus ſemper cum Lunæ incrementô incrementum etiam ſumſerat, deinde poſt Salivæ jejunæ inunctionem ſi non decreſcere, ulteriùs non augeri obſervatus fuit. vid. Vit. Riedlin. *Linear. medic. An. 1699. Menſ. Mart. Obſ. 31. pag. m. 318.* *in Tumore Scroti.*

§. 32. Ad partem Arthritide affectam contra novos inſultus muniendam Saliva manè infricata commendatur, qui acre temperat & partes roborat, vid. Franciſc. Sylv. *Prax. med. Lib. I. cap. 30. fol. m. 186.* vid. etiam Anton. Nuck *Sialograph. cap. 3. p. m. 52.* *in Arthritide.* Vir qvidam diu dolore arthriticô vexatus, Salivam illam, quæ mediante fumô Nicotianæ ex Ore elicitur, colligere & hanc deinde partibus dolentibus illinere ſolebat, unde dolores aut jamjam imminentes ſtatim ceſſabant, aut omninò impediebantur, referente Vitô Riedlino *Linear. medic. An. 1700 Menſ. Januar. Obſ. 18. p. m. 68.* Imò Podagrici Nodos articulorum Salivâ matutinâ inungunt aut humectant, atque hôc modô dolores mitigant. De Salivæ jejuni hominis virtute anodynâ videatur Mich. Aloyſ. Sinap. *de Remed. dolor. & Opio cap. 4. p. m. 50.* De ſalivâ Canis ejusque linctura pedum in doloribus podagricis, eorumque levamine Andreas Cnæffelius Obſervationem *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 51. p. m. 44.* communicat, ubi etiam affirmat, quòd eô tempore, quô patiens conqueri ſolebat de dolore pedum, Canis ſimul dolores ſenſerit & tubercula cretâ podagricâ oppleta cum calore præternaturali.

§. 33. Fiſſuras Labiorum, digitorum atque papillarum lactantium fœminarum curari, ſimul ac illis jejuni hominis Saliva illita fuerit, refert Joh. Fr. Helvetius *l. a. vid.* etiam Joh. Muralt. *Script. Chirurg. Obſ. 177. p. m. 542.* ubi poſt inunctionem fiſſurarum Salivâ jejunâ mammarum papillis Oleum Hype- *ad fiſſuras.*

 rici,

rici, vel Rosarum, in quô per noctem Radix Pimpinellæ fuit macerata, applicando dolorem sedari inquit. Jussu Johannis Muys fœmina Gummi arabicum in laminas tenues discissum, siccatum & pulverisatum aspergebat digitô, propriâ Salivâ priùs madefactô, eoque papillam tangebat, atque ita posterô die ab hôc malô prorsus liberata fuit & permansit. vid. Joh. Muys *Prax. Chirurg. rational. Decad. 4. Obs. 7. pag. m. 209.* In Insulâ Malthâ quilibet posthumus Salivâ suâ jejunâ pustulas, quas infantes adhuc lactentes quandoque in labiis habere solent, sanare posse creditur v. Sylvest. Boccon. *Observat. curios. 21. p. m. 456.* Item ad scissuras manuum ac pedum madefactionem cum Salivâ laudat Marcellus Cumanus *Obs. 34. apud Georg. Hieron. Velsch. pag. m. 60. seq.* Ad Fissuras & erosiones seu excoriationes papillarum in lactantium mammis salivam quoque adhibere svadet Johannes Baptista Verduccius *dans la Svite de Patholog. de Chirurg. cap. 29. p. m. 899.* Si les mammellons, inquiens, ou boutons s'ecorchent, à cause que l'enfant succe avec trop d'avidité, il est bon, que les femmes y mettent souvent de leur salive pour le desecher. S'il coule de sang du mammellon, on frottera le bout avec un peu de poudre de Gomme arabique, de l'amidon & sa salive, on en touchera souvent les bouts.

*ad Ambustiones.* §. 34. Ad Ambustiones, si scilicet Cutis leviter saltem est læsa, commendatur Saliva, ut pars affecta eâdem fricetur. vid. Jean Bapt. Verduc *Pathol. Chirurg. cap. 17. p. m. 392.*

*contra Vermem in aure.* §. 35. Si Vermis intra aurem venerit, accipe Salivam propriam & eâ inunge aurem, tunc aut morietur vermis, aut egredietur, uti ex Poppiô allegat Daniel Beckherus *Microcosm. medic. Lib. I. cap. 3. pag. m. 12.* Et juxta Plin. *Lib. 28. cap. 4. fol. m. 495.* si quod animal aurem intraverit & inspuatur, exire creditur.

*ad Convulsiones.* §. 36. In Convulsionibus, quæ ex crassis halitibus & flatibus, musculos obstruentibus & in tumorem elevantibus, originem



ginem trahunt, inunctionem salivæ multum præstare, dicit Franciscus Joel *Oper. med. Tom. II. Lib. 1. Sect. 3. p. m. 109.* Et contra Stuporem ac Tremorem â Torpedine (pisce) illatum, crebram membrorum stupescentium cum jejuni hominis Salivâ confricationem svadet idem Autor *Tom. V. Lib. 2. pag. 147. seq.*

§. 37. Contra Pilorum & Barbæ proventum, seu ad prohibendum, ne Capilli crescant, quidam recipiunt rubiginis ferri & testarum marinarum ustarum partes æquales, & cum Salivâ hominis miscent. vid. Dan. Beckher. *l. c.* Pilos superfluos circa supercilia, Tempora & Frontem per Salivæ jejunæ affrictionem tolli refert Joh. Gufer *Medicin. domestic. p. m. 68.* item ad pilos inutiles palpebrarum expungendos usurpatur Saliva juxta Hieron. Mercurial. *de Excrement. Lib. 3. cap. 3. p. m. 199.* *ad Pilorum proventum.*

§. 38. Circa Vesicatorium usum & applicationem satis notum, â plerisque Chirurgis Acetum adhiberi; quia tamen Sal volatile Cantharidum, in quô præcipua eorundem virtus consistit, ab Acetô enervatur, potius parti affectæ pulverem Cantharidum cum propriâ Salivâ in Vesicatorium efformatum circa vesperam imponere & pernoctem relinquere docet Johannes Muys *Prax. Chirurg. rational. Dec. 2. Obs. 2. p. m. 92. seq.* *ad Vesicatoria.*

§. 39. In excitandis Fonticulis, antequam Emplastrum & Corrosivum imponatur, Cutis antea Salivâ bene humectetur, aut linteô calidô frictio levis instituatur, & quidem tam pro aperiendis Cutis poris, quàm pro sedandô paululum dolore. v. Jean. Bapt. Verduc *dans le Traité des Operations de Chirurgie cap. 32. p. 142.* *ad Fonticulos.*

§. 40. Ad Cancrum exulceratum sequens Mixtura laudatur in Thesauro Secretor. curiosor. *Part. 12. cap. 14. p. m. 324.* Recipe Fuliginis Camini splendidi, non arenosi aut nimis fœdati, Drachmas tres, redigantur in subtilissimum pulverem super lapide marmoreô, & servetur in Vase vitreô bene clausô. *ad Cancrum.*

ſô. Hic pulvis ſputô ægri excipiatur & Cancro exulcerato admoveatur.

*ad Vulnera & Ulcera.* §. 41. Vulnera & Ulcera tum partium reliquarum, tum præprimis Labiorum, Oris & Linguæ ſolâ Salivâ ſanari poſſe, experientia teſtatur; hinc Ambroſius Paræus *Lib. 20. cap. 9. fol. m. 436.* humanam Salivam Ulceribus haud adeò magnis pro remediô eſſe ſcribit; & vulgò Saliva Balſamus ſingularis in vulneribus faciei & oris vocatur. In Linguæ vulneribus nonnulli equidem Chirurgi Suturam convenire ſtatuunt, e. g. Hieronymus Fabricius ab Aqua pendente *Oper. Chirurg. Edition. Francof. Part. 2. Lib. 2. cap. 34. p. m. 907.* In quocunque, inquiens, Vulnere linguæ, in quâ pars præciſa ſanæ adhuc conjuncta ſit, ſunt mutuò applicanda labia; quod licet difficillimum factu ſit, quia inter præſidiorum materias, quæ mutuò labia adducunt, glutinum & deligatura aliena ſunt, tamen ſutura convenit &c; Poſteaque Operationem Suturæ docet. vid. etiam Ambroſ. Paræi *Op. Lib. 9. cap. 27. fol. m. 228.* Heydentr. Overcamp. *Chirurg. Lib. 3. cap. 10. p. m. 713.* Cui tamen ſententiæ alii contradicunt, v. g. Autor Gallicus Belloſte dictus, *dans le Chirurgien d'Hôpital Part. 2. cap. 5. p. m. 88. ſeq.* Les Anciens, inquiens, ont ordonné de coudre les playes de la Langue quand les pieces n'en ſont pas ſeparées; Car lorsque la ſeparation eſt entiere, l'Operation eſt inutilę & la reünion impoſſible. Fabr. d'Aquapend. eſt de ce ſentiment: Mais cette ſuture ne me paroiſt nullement neceſſaire dans les antres diviſions des parties de la langue; puisque la Nature, ſans cette operation, la reünit tres-bien en lui accordant un peu de repos. La ſalive eſt ſon baume & ſouvent le ſeul remede, dont elle a beſoin dans ſes plages, &c. Salivæ virtutem balſamicam etiam probat Fridericus Hoffmannus *Diſſ. alleg.* exemplis, & quidem fœminarum Romanarum, quæ Maritorum à telis & haſtis inflicta vulnera labiis & linguâ emendârunt; item exemplô Studioſi cujusdam furcâ adeò graviter vulnerati, ut inferiori labrô perfoſſô gingivisque contuſis Dentes alii exciderent, reliqui omnes vacillarent; qui tamen, neglectis aliis, â ſolâ Salivâ levamen & medicamen intra triduum deprehendit. Ad prius exemplum pertinet etiam illud de Eduardô I. Angliæ Rege, cultrô venenatô lethariter vulneratô, niſi ipſius Conjux ore ſuô venenum omne exſuxiſſet & linguâ demulſiſſet. vid. Ol. Borrich. *de Ort. & Progreſſ. Chem. p. m. 40.* & Th. Bartholin. *Anatom. reform. Lib. 3, cap. 13. p. m. 553.* Quod etiam quotidie experimur, longeque feliciùs in affectibus Oris hæc medendi ratio ſuccedit, ſi læſi ſeu ægrotantes ab aëris injuria defenduntur. Non immeritò etiam de Salivâ & Vulneribus hominis dici poteſt, quod præter quotidianam experientiam, Georgius Erneſtus Stahlius *de Senſ. Natur. circa Curat. incongr. cap. I. §. 7. p. m. 7.* de Canibus ſcribit, ſcilicet Canes vulneratos locum affectum ſæpius lambere, quò fiat, ut Vulnus non purum tantùm mundumque ſervent, ſed vi etiam Salivæ ſuæ ipſius conſolidationem promoveant. vid. etiam Georg. Abrah. Mercklin. medicíniſch. Thier-Buch. *cap. 16. pag. m. 87.*



§. 42. Ad Coitum ciendum conferre plurimum dicitur, ſi Cubebâ maſticatâ ſalivâque madefactâ Virga liniatur. vid. Dan. Beckher. *Microcoſm. Medic. Lib. 1. cap. 3. p. m. 12.* *ad Coitum.*

§. 43. Salivam Serpentes, Scorpiones aliaque Inſecta necare ipſisque infeſtiſſimum eſſe venenum, adeò ut eâ contacta confeſtim intereant, varii teſtantur Autores. Scribit enim Carolus Patinus *Orat. de Remed. ſpecific. p. m. 478.* quod Galeno pollicitus quidam ſit incantationem, quæ ſcorpios interficeret. Ubi illam ſemel dixiſſet, in Scorpium exſpuit; inde rurſus obmurmurans, iterum Scorpium conſpuit; at ubi tertiò dixiſſet, mortuus eſt Scorpius. Id ſcitè Galenus de Salivâ eſurientium & ſitientium interpretatus eſt, nullâ incantationis adhibitâ ratione, quam minùs oculatus ſpecificam admiſiſſet. Marcion Smyrnæus, rumpi ſcolopendras marinas ſputo tradit; item *ad Inſecta necanda.*

item rubetas aliasque ranas; Serpentes, si quis in hiatum earum exspuat, refert C. Plinius *Histor. Natur. Lib. 28. cap. 4. fol. m. 495.* hinc Lucretius *Lib. 4.* cecinit:

Serpens hominis contacta Salivâ
Disperit & sese mandendo conficit ipsa.

Juxta Anton. le Grand *Curiof. Rer. Perscrut. p. m. 305.* Hominum Saliva Scorpionibus infestissimum est Venenum, adeò ut eâ tacti confestim intereant. vid. etiam Casp. à Reies *Camp. Elys. Quæst. 24. §. 10. p. m. 263.* Vim aculei Scorpionis retundi hominis sputô, ita ut obtorpescat & ad infligendum ictum reddatur impotens, inquit Claud. Ælianus *de Animal. Lib. 9. cap. 4. fol. m. 187.* Phthisici sputum virulentum muscas enecâsse refert Dominicus Panarolus *Observat. medicinal. Pentec. 2. Obs. 49. p. m. 57.* scilicet Antonius Landinus Bibliopola phthisicus sputum purulentum exscreabat, quod si leviter muscæ libabant, statim moriebantur. Secundum Henr. Petræi *Nosolog. harmon. Tom. 2. p. m. 50.* Homo in propriô suô Corpore præstantissimum adversus omnia venenorum genera antidotum, mumiam nempe circumfert, mumiam illam balsamicam, quæ tam potens est, ut Serpentes, aspides, Natrices & Scorpiones Salivam ejus, tanquam aquam ferventissimam reformident, & fugiant; quæ si in fauces ingeratur, ipsis est φθοροποιὸς & deleteria v. etiam Sylvest. Rattnay *Adit. ad Sympath. p. m. 50.* Mizald. rediviv. *Memorabil. Cent. 4. §. 63. p. 152.* David. Græbner. *Medicin. Vet. restitut. cap. 1. p. m. 16.* Joseph. Lanzon. *de Saliv. human. cap. 4. p. m. 52.* Othon. Cosmann. *Nucl. Mysterior. Natur. Lib. 2. cap. 26. p. m, 304.* Et Aetius inquit: Saliva hominis reptilium venenatorum generi maximè contraria; ego enim citra omnem Incantationem ex solô jejuni sputo Scorpium pereuntem vidi. Omnibus hominibus contra serpentes inest venenum: feruntque ictos salivam, ut ferventis aquæ contactum fugere, quod si in fauces penetraverit etiam mori: idquè maximè humani jejuni oris; uti ex Aetio allegat Martinus Lister *Differt. de Humorib. cap. 12. p. m. 117. seq.* Qvod autem hactenus de hominis jejuni Salivæ virtute Scorpionem interimendi adduximus, illud, juxta Johann. Rhod. *Emend. & Not. ad Scribon. Lang. ad §. 164. pag. m. 244.* Demetrius Terillus religiosè accipit de Jejunio, quô venereus ardor extingvitur; Et Johannes Pierius *Hieroglyphic. Lib. 14. cap. 30. p. m. 178.* scribit: animadvertendum est, naturam ostendisse nobis, jejuni hominis sputô serpentem necari posse, ex quô tacitè submonuit, venereas voluptates libidinisque ardorem jejuniô identidem extingvi; nam hæc sine Cerere & Bacchô omninò frigent. Hanc tamen salivæ serpentes enecandi virtutem recentiores non immeritò in dubium vocant; inquit enim Justus Cortnummius *de Morb. attonit. cap. 69. § 12. p. m. 333.* Qvis nescit, Nicandrum, Galenum, Plinium, Serapionem, Æginetam, Avicennam & plerosque antiquorum Philosophorum, imò ex recentioribus Ulyssem Aldrovandum, certissimum esse, persvasum habuisse, quòd hominis jejuni Saliva interficiat serpentes? quod tamen jamdudum compertum est fabulosum. Et Franciscus Redi probaturus, an hoc esset verum, inclusit sex Viperas electas in grandiorem scatulam & per quindecim dies horis matutinis secundum ordinem, ab unâ ad alteram, omnibus curavit aperire gulam, & procuravit, ut aliquot homines jejuni illam implerent sputô, & postea ipsis recludendo Os, per vim adegit, ut deglutirent illud, & omnes vixerunt, nec ab ullo morbo unquam fuerunt correptæ, sed per dulcedinem novi & inusitati alimenti excitatæ apparuerunt quasi pulcriores, alacres & præter morem fugitivæ. Et Aldrovandus adhuc scribit, quòd Circumforanei statim, quando comprehenderent Serpentes, ipsos Salivâ adspergant, cujus virtute mansvescant & malignitatem veneni perdant; & in hoc voluit Franciscus Redi experimentum facere, & confirmatus mansit, quod hoc parum vel nihil veritati accedat, quia moriebantur omnia animalia, quæ mordebantur â Viperis similimodô præparatis; & Viperæ per humectationem cum Salivâ ne micam virtutis perdunt, sed per contemtum quasi magis

gis superbæ factæ vibrabant acutum & bipartitum fulgur lingvæ. vid. Fr. Redi *Observat. de Viper. in Experiment. natural. p. m. 232. seqq.* & M. N. C. *Dec. I. An. I. Append. p. 35. seq.*

*ad Ictûs Animalium* §. 44. Non autem tantummodò Serpentes & Natrices fugare creditur Saliva, sed etiam ad ejusmodi animalium ictûs & puncturas sanandas laudatur. Inqvit enim Johannes Frid. Helvetius *Diribit. med. p. m. 109.* tali medicamentô omne venenum ex ictibus Viperarum, serpentum, neparum, aranearum, apum, tabanorum atq; culicum attractum corrigi. Et juxta Marc. Anton. *Zimar. Antr. magico-med. Part. I. p. m. 61.* Tumores dolorificos & inflammationes â virulentis bestiolis, cujusmodi sunt Crabrones, araneæ, scarabæi, bufones & similes, efficaciter discutit Saliva jejuna, v. etiam Zacut. Lusit. *de medic. princ. Histor. L. 15. Hist. 32. f. 902. seq.* Secundum Joh. Verbrugge *Exam. van Laud - en Zee Chirurgie p. m. 414.* Nochter Speeckscl heft kracht om Hagedissen, Slangen ende Scorpionen te dooden; met vvat gemeen Salpher vermenght en een druppet Ol. Succini is nytnemende goot op allerley feny nige qvetsuyren. vid. etiam Edit. German. *p. m. 589.* Contra Ictus serpentum Americanos plantam quandam masticatam adhibere legimus dans le Journal des savans *Tom. 9. p. m. 63. seq.* Les Ameriquains ont une plante, dont la vertu est merveilleuse; c'est qu'en la mâchant & en s'en frottant les mains on peut manier impunement toutes sortes de Serpens. &c. Quod si Plinio, Gellio, Solino, aliisque credendum, immunis a pestifero serpentum morsu Marsorum natio fuit, utpote quæ non nisi Salivam ejuscemodi Vulneribus adhibuit; quam ingenitam virtutem Petrus Antonius Corsignanus medicis herbis, quibus Marsi vescebantur, & ea regio inprimis abundat, adscribit. vid. Act. Erudit. Lips. *Anno 1717. Mens. Maj. pag. m. 225.* Exemplum rarissimum recensetur in Sylvestr. Boccon. *Observ. curios. p. m. 455. seq.* de Fœminâ in Apuliâ, quæ variis Serpentum aliorumque reptilium signis seu notis hinc inde in totô Corpore â nativitate notata naturali quadam Serpentum & Tarantularum ictûs sanandi virtute prædita fuit. Scilicet salivam seu sputum suum in Cyathum vinô plenum exspuit seu exscreavit, vinumque postea ægrotanti jejuno bibendum præbuit: Qvô ter vel quater factô ægroti vel icti reconvaluêre. Rusticus etiam in Apuliâ, dictus Lucius, â Viperis aliisque venenatis animantibus demorsus salivâ suâ vulnus tangendo mox se ipsum sanavit. Qvin & Salivâ aquæ commistâ atque propinatâ contra febres atque venena usus est; Imò armentis quoque morbosis & canibus rabiosis aspersâ salivâ salutem intulit; hacque virtute omnis ejus familia, ipsis quoque fasciis adhuc involuti infantes polluerunt; uti ex Maidalchini libello Italico, delizie, historie e stupori di Natura annotavit Lucas Schrœckius *Schol. in M. N. C. Dec. II. An. 6. Obs. 62. p. 150.* item Joseph. Lanzon. *de Saliv. human. cap. 4. p. m. 58.*



*ad cognitionem Scammonii.* §. 45. Ad cognitionem bonitatis Scammonii â variis Autoribus Saliva usurpari solet: Inter signa scilicet probitatis, scammonium lingvæ tactu lactescens refert Johannes Schrœderus *Pharmacop. med. chym. Lib. 4. Class. 4. p. m. 797.* vid. etiam Sam. Dale *Pharmacolog. pag. m. 256.* Est autem Scammonium Concretum quoddam gummeo - resinosum, valdoperè purgans, ex succo Plantæ Scammoneæ, quæ vel Syriaca vel Italica est; illud Syriacum præstantius habetur, hoc verò ob admixta heterogenea deterius deprehenditur, imò admixtô succô Esulæ vel Tithymali inspissatô adulteratur. Quare vulgò, in selectu Scammonii, illud optimum censetur, quod præter cætera bonitatis signa, (scilicet quod purius & absque rebus admixtis liberum, splendidum & aliquantulum pellucidum sit, quod citò liquescat in aquâ, quod friabile & flavi, si frangatur, sit coloris) etiam hoc habet, quòd ad lingvæ contactum lactescat; uti præter supra allegatum Schrœderum & Dale judicat le Mort *in Collectan. Chym. Leidens. cap. 395. pag. m. 418.* Sciendum verò, hanc Scammonii cum Salivâ lactescentiam minimè fidum esse bonitatis, sed potiùs adulterationis signum; siquidem secundum Sim. Pauli *Qvadripartit. Botan. Class. 3. p. m. 470.* Lactescentia etiam evenit Scammonio adulterato, quod ab admisto

ſtô Tithymali vel Eſulæ ſuccô lacteſcente fieri poteſt. vid. etiam Dioſcorid. *Lib. 4. cap. 165. fol. m. 869.* Deinde etiam non tantùm â Salivâ, ſed ab aliâ quoque aquâ ſimplici Scammonium lacteſcit, teſte Experientiâ. Qvare potiùs ex ſuperiùs recenſitis & aliis ſignis, item ex ſapore judicanda ejusdem probitas erit; quò enim magis eſt acre, eò minùs eſt ſincerum; ſed certius pro indiciô admixti ſucci ex Tithymalô eſt habendum. Id confirmat etiam Georgius Eraſmus Oellingerus; laudatur, inquiens, Scammonium nitidum, rarum, leve, colore qvàm ſimillimum taurino glutini, fungoſum, tenuibus fiſtulis. Nonnulli addunt, ut linguæ tactu albeſcat: Huic notæ fidendum non eſt; hoc enim evenit adulterato, quod admiſtô ſit Tithymali lacte. Hæc autem nota longè certior eſt, nempe ſi guſtatu lingvam non urit, quemadmodum Tithymalus. *vid. Pharmacop. Oellingerian. p. m. 356.* Inter alia laudabilis Scammonii ſigna Caſparus Hoffmannus requirit, ut ſit friabile, nec vehementer linguam exurat; Quod enim tale eſt, Succô Tithymali, Cataputiæ & ſimilium adulteratum eſt. vid. Caſp. Hoffmann. *de Medicament. Officinal. Lib. I. cap. 34. p. m. 83. ſeq.* ubi plura. Correctionem Scammonii, ut abſque moleſtia purget, omnemque ſuum odorem & ſaporem nauſeabundum deponat, ſequentem communicat Johannes Philippus ab Herbodt *Medic. Euporiſt. cap. 6. p. 58.* Rec. Glycyrrhiz. raſæ q. pl. coqv. in aqua pluviali, quousque ſufficienti dulcedine aqua imprægnata ſit, quam à fæcibus decanta, & cum hoc decocto Scammonium crudum leviter in mortario vitreo terito, quod illicò lacteſcit; lacteum liquorem ſepara per inclinationem, & novam decocti quantitatem affunde, idque tertio & ampliùs affundendo & decantando repete, donec nil, niſi fæces in fundo remaneant, liquores poſt reſidentiam filtratos abjice, quod verò in filtro manet, levi calore reſiccato. Doſis a gr. iij. ad viij xij.

*ad Mercurii extinctionem.* §. 46. Mercurium vivum ſeu currentem nomen à mobilitate ſortitum eſſe, cuilibet patet, ſiquidem ex minimis conſtat globulis, quibus copiosè interſperſus æther fluiditatem cauſatur, ut ſine interruptâ agitatione inter ſe aſſiduò volvantur & disjungantur, hinc etiam facillimè aliorum corporum tactui cedunt. Corpuſcula verò ſeu particulæ, ex quibus Mercurius conſtat, exilisſimæ ſunt, & aliis Corporibus adhærere non poſſunt, ſed ſemper iterum, ſe invicem ſi tangunt, in unum globum ſe colligunt. Hinc pro ejusdem fixatione, uti â nonnullis vocatur, ſeu extinctione vel mortificatione, alii pingvia, v. g. axungiam humanam, porcinam &c. item butyrum, alii Terebinthinam, alii ſuccum Citri, alii ſuccum Roſarum, alii etiam ſalivam adhibere ſolent. Huic verò, Salivæ, quidam Autores ob particulas acidas in illâ latentes, uti ſupra diximus, hanc extinguendi vim adſcribunt; alii autem rectius ob viſciditatem, quâ utplurimum prædita eſſe ſolet; quatenus juxta Joh. Bohn. *Diſput. de Menſtr. univerſ. animal. §. 9.* illa Hydrargyri dicta extinctio non niſi ejusdem minimorum quædam diſcontinuatio ac inviſcatio obſervatur, & globuli ejus minores trituratione divulſi à glutinoſitate Salivæ detinentur, ut in maſſam magis continuam non adeò promptè abeant; unde etiam Mercurius reiteratâ trituratione fractis quaſi hamulis iſtis ſalivalibus ad priſtinum fluorem ſe recipit. Ejusmodi autem Salivâ jejuni hominis extinctus Mercurius ad varia Unguenta & Emplaſtra pro variis ſcopis adhiberi ſolet. Qvia tamen eorundem Operatio potiùs a Mercuriô quàm â Salivâ eſt expectanda, de iis hôc locô prolixiores eſſe nolumus. Videri interim poteſt Dan. Beckher. *l. a. p. m. 12. ſeq.* Chriſt. Franc. Paullin. *de Talp. Sect. 2. p. m. 194.* Joh. Dolæi *Encyclop. Chirurg. Lib. 2. cap. 2. p. m. 625. &c.*

*ad Orichalcum.* §. 47. Orichalcum fulgidum inſtarque auri reddendi modum ſequentem communicat Johannes Baptiſta Birelli *Alchym. nov. Lib. 12. cap. 72. p. m. 564.* ſcilicet conterit in mortariô Sal ammoniacum cum Salivâ jejunâ, eaque invicem permiſcet, ut fiat Linimentum molle, quô Vaſa orichalcea perungit, eaque prunis impoſita reſiccat, tandem pannô lineô abſtergit & perfricat.

*pro Medicamento interno.*

§. 48. Qvantum Saliva sana ad Chylificationem conferat, ex superioribus patet, hôc locô saltem ex Joh. Tack. *triplic. Phas. Sophic. Part. 2. p. m. 17.* & ex Fr. Hoffmann. *Disp. all. p. 16. seq.* adducere libet, quod Saliva etiam aliis ægrotantibus non parum emolumenti afferre possit; siquidem Theophrastus Paracelsus, cùm Basileæ nobilem quendam Canonicum â Lichtenfelß, deploratæ valetudinis hominem, restituere vellet, Arcanum suum, Laudanum dictum (quô medicamenti genere in extremâ tantum necessitate utebatur) Salivâ suâ subegit, fortè ut fermentum ægri deficiens suô, quod adhuc sanum erat, erigeret. Huc pertinet etiam Observatio Josephi Ignatii Muschel de Moschau, de Curâ febrium intermittentium mediante Salivâ; quidam scilicet accipiebat modicum panis secalini recentis, salis communis & salivæ hominis sani & jejuni, quantum satis erat ad formandas pilulas; quas febricitanti sumendas porrigebat, atque ita febrem profligabat, hocque remedium felici eventu esse porrectum, se novisse addit Autor allegatus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obs. 232. p. 547. seq.* ubi salivæ virtutem antifebrilem explicat. Equi Saliva limpida post potum ex ore exstillans collecta & epota in Partu difficili præsentaneum auxilium esse dicitur. v. Eman. Kœnig *Regn. anim. Sect. 3. Art. 3. p. 291.*

*ad Fermentationem.*

§. 49. Inservit etiam Saliva Fermentationi, & quidem ratione particularum in eâ latentium; mista enim pastæ, hanc fermentat, succis vegetabilium mista eos facit fervere & in spiritûs inflammabiles mutari. vid. Hermann. Bœrhav. *Instit. medic. p. m. 16.* & juxta Stephan. Blancard. *Oper. med. Tom. I. Institut. Medicin. cap. 7. p. m. 211.* farinam fermentare facit; hinc pulmentum matris Salivâ imprægnatum infanti recens nato admodum prodest atque faciliùs in Ventriculô in chylum ætati huic & temperamento accommodatum abit, quàm si aliûs hominis salivâ humectaretur. Inter alia verò fermentationem imprimis notare licet in Potûs genere, quod ex Miliô grandi, Maiz dictô, Brasiliani sibi parant, dum hujus grana dentibus aut gingivis



givis paullatim atterunt horum vetulæ, eaque Salivâ imbuunt ac macerant, quæ deinde reliquæ massæ fermentandæ in Capulis congruis asservatæ commiscent, ut mediante hôc fermentô potus acidulus atque inebrians prodeat. Simile quid observare quoque contingit in potu, quem Gujanæ Incolæ ex Cassavi radice sibi peculiarem habent, dum quosdam ejusdem taleolos â mulieribus ac pueris bene masticatos & cum Salivâ in pastam redactos aliis, aquâ maceratis, adjiciunt atque sic mixturam hanc in fermentationem concitant. vid. Joh. Bohn. *Disput. de Menstr. univers. animal. §. 9.* Joh. Cornel. Weber. *Anchor. sauciator, seu de Liqvor. styptic. p. m. 47.* Franc. Mercur. ab Helmont. *Observat. de Homin. §. 80. pag. m. 89.* Henr. Meibom. *Disp. de Chylificat. §. 60.* Martin. Lister *de Humorib. cap. 12. p. m. 119.* M. N. C. *Dec. II. An. 6. Obs. 62. Schol. p. 150.* Joh. Frid. Ortlob. *Histor. Part. Dissert. §. 10. p. 29.* Chica est Vinum ex Maizio, quo inebriantur Barbari. Tundunt & moliunt duabus petris Maizium admixtâ aquâ, inde fit massa quædam. Fœmina, quæ molit, sumit per intervalla particulam & mandit, rursus abjicit in massam. Dicunt pro fermentô id esse, & causam jucundæ acedinis. Postea aquâ coquunt & effusa in urceos biduo acescit gratissimus hic potus Indis, nec contemnunt Hispani. Salutaris hic potus, sicut & ipsum Maizium, Renum & Jecoris dolori, Calculi & Urinæ retentioni v. Ant. Colmener. de Ledesma *de Chocolada Inda, à Joh. Aurel. Severin. ex Hispanico Idiomate in latinum translata p. 61.* Barbari Brasiliæ Incolæ etiam è radicibus suæ Mandyuccæ liquorem potulentum conficiunt, quô supra modum delectantur. Has scilicet radices Vetulis quibusdam edentulis tradunt, quæ ore emollitas aquam limpidam continenti exspuunt. Saliva earum pro fermentô est, unde liquori oritur Zymosis, quæ eum jucundum reddit & tantarum virium, ut non aliô debacchentur istæ gentes, quoties mactatô captivô triumphantes festum agunt, vid. Henr. Mundius *de Aere vital. de Pot. cap. 10. p. 344.* Pari modô ex Oryza potum sibi parant Incolæ Insulæ Formosæ, vid. Petri Horns Zweyte

Gesand-

Gesandschafft der Ost-Indianischen Gesellschafft nach Sina *fol. m. 3. seq.* ubi inquit: Wein oder ander starck Geträncke, so sonst an andern Orten in Indien aus gewissen Bäumen gezogen wird, findet man bey denen Formosern nicht; doch haben sie einen andern starcken Tranck, der wohl so bald truncken machet, als der Spanische und Rheinische Wein. Derselbe wird von denen Frauen also zubereitet: Sie lassen den Reiß aufkochen und stampffen ihn zum Teige; nehmen alsdenn Reiß-Mehl, käuen es im Munde und speyen das gekauete in ein Töpfflein, das wird hernach unter den Reiß gethan, mit einander wohl durchgeknätet und Wasser drauff gegossen. Nachdem es also ein paar Monath gestanden, giebt es einen starcken wohlschmäckenden Tranck. Ja ie länger derselbe stehet, ie besser und stärcker er wird, und kan wohl dreyßig Jahr gut bleiben. vid. etiam Joh. Arnold. Montan. Ost-Indianische Gesandschaft in Japan *fol. m. 33.* De ejusmodi potus genere ita scribit Gossen van Vreeswyck *Tract. de Grœne Leewo p. m. 173.* De Indianen macken haren dranck van vruchten onder d'aerde gewassen Pataes genoemt; dese zyin aerd-appelen, seer gœt van smaek. De ouden Wyven sonder tanden kaeuwen die eerst klein in har mond, en spuigen het uit in een vat; en na dat het 10. of 12. Dagen oud is, soo gieten sy daar water op 't welck gekoockt word, en nader hand werkt het in sich selven als bier; en dit is der Indianen dranck, die ook so sterk is, dat men dar wel dronken van word, ale men deselve wat hertelijk drinkt. Deinde Præparata in Pharmacopoliis & apud Conditores, licet bene fermentata, ab admixtô Salivæ momentô facillimè exitium contrahunt; hinc etiam discipulis sedulò inculcatur, ut ejusmodi Salivæ admixtionem præcaveant. Idem etiam experiuntur coqui & coquæ; nec minus Saliva vino per fermentationem jamjam depurato admista novam fermentationem inducere potest.

*Saliva in Peste exspuenda.*

§. 50. Cùm in morbis contagiosis, febribus malignis & pestilentialibus, imò in Peste ipsâ absque dubiô Miasmata ejusmodi



modi mediante Salivâ, si cumprimis nimis viscida fuerit, adstantibus atque medentibus facillimè communicari possint; quod inter alios confirmat Johannes Gottl. Bötticher *Tract. de Peste cap. 1. p. m. 12.* quandoque, inquiens, miasmata venenata ore & naribus excepta, aut Salivâ aut lymphâ sangvini communicantur, sicque turbando Pestem excitant. Non immeritò itaque hactenus Medici, pro præservatione ab ejusmodi malis, Salivam per Medicamenta sublingualia ad Os commotam, non deglutire, sed potiùs exspuere docent, utpote cujus visciditati Miasmata maligna & pestilentialia facilè implicari, probabile valde est, juxta Johann. Bohn. *de Offic. Medic. duplic. Part. I. cap. 16. p. m. 325.* Arridet etiam Georgio Baglivo Opinio putantium, morbos epidemicos & contagiosos mediante Salivâ ac infectô aëre conspurcatâ communicari; Cui pariter experientia suffragatur. Nam in hujusmodi affectibus ex Contagione ægrotantes statim in principiô conqueri incipiunt de Nauseâ, sapore linguæ mutatô & ad vomitum propensione, primaque contagiosorum malorum symptomata circa Ventriculum & Hypochondria, per anxietates, Vomitûs, Cardialgias, Calores viscerum &c. manifestantur. Qvare illi, qui pestilentium seu Peste laborantium curationi inserviunt, si velint esse á Contagiô immunes, procurent, quantum possunt, ut nunquam Salivam deglutiant, cum quâ morbosi ac peregrini Sales infecti aeris intimè mixti in Ventriculô vires suas explicant, & morbum, nisi valida fuerit ægri natura, necessariò inducunt. v. Georg. Bagliv. *de Saliv. Natur. in Tract. de Fibr. motric. p. m. 195. seq.* Eandem cautelam svadet etiam Conradus Barthold. Behrens *Select. Diætet. Sect. I. cap. 6. p. m. 38.* inquiens: Quibus ex officiô vel ob Christianæ Charitatis affectum cum ægrotantibus conversandum est, ii summô studiô halitûs eorundem declinent, quod ipsum, siquidem jejuni accedant, non ita facilè evitari potest; deinde frequenter exspuant ac nunquam Salivam deglutiant; ea enim in Cubiculô infirmi aut in aurâ infectâ deglutita Ventriculum inficit, mox sangvinem ac sensim totum corpus; unde qui inficiuntur,

U tur,

phylacticis deglutita ejiciuntur, in usu fuit Johanni Franco. *vid. ejusd. Herb. Alleluj. cap. 5. p. m. 380.* Et juxta modò citatum Hoffmannum *Disp. de Saliv. & ejus morb. cap. 6. pag. 25.* Miasmata contagiosa, ne contaminent Salivam nostram, quovis modô declinanda: admissa rursus citò eliminanda. Declinantur Miasmata, partim si non admittatur & non deglutiatur Saliva, sed continuâ exspuitione rejiciatur, quô pactô se quosdam â Peste præservâsse Practicus Pragensis Dobercinski testis est: partim verò & majori cum successu, si Saliva particulis balsamicis condiatur, quâ ratione universo simul prospicitur: Gaudet enim Saliva speciali quodam Privilegiô præ cæteris Oeconomiæ microcosmicæ succis, ut non tantum ipsa remediis in ore detentis á contagiô præservari, sed & Machinam nostram præservare queat. Et ut continuus Salivæ fluxus, ita & continuo medicamentorum præservantium fieri potest ac debet permixtio, quò particulis balsamicis imprægnata non admittat Miasmata peregrina foris communicanda. Præservatur hôc pactô ipsa sanguinis massa, dum Saliva ad instar vehiculi naturalis medicamenta in ore detenta successive sangvini infert: Idque vel regiâ ac ordinariâ viâ, quâ deglutita unà cum salivâ in Ventriculum, ex Ventriculô per venas lacteas, Ductum thoracicum & Venam subclaviam Cordi inferuntur: vel proximiori viâ, quâ pitissando quasi per glandularum poros & tracheæ Canales in Vesiculas pulmonales unà cum aëris particulis sanguini communicatis, in sinistrum Cordis Ventriculum per venam pulmonalem effunduntur, & in universum corpus circulationis lege ablegantur. Hinc in morbis contagiosis, malignis præsertim exanthematicis, ut in Variolis, Petechiis &c. Rotulæ, Pilulæ, Morsuli & Trochisci exbalsamicis, bezoarticis & aromaticis conflari & cum successu in ore detineri possunt. &c.

*pro Menstruo Universali.*

§. 51. Salivam quandoque, præsertim circa meliorem ipsius particularum seu elementorum cognitionem labores chymicos experiri, jam hactenus aliquoties monstravimus, interdum etiam



etiam pro aliô scopô Laboratoriis Alchymisticis familiaris esse solet saliva, non quidem, ut ex eô præparentur Medicamenta, sed ut instar Menstrui aut pro aliâ intentione inserviat. Cumque Saliva in Corpore humanô Menstrui universalis officiô fungatur atque maximarum virtutum particulis scateat, quid mirum, quòd alii ex Salivâ Menstruum universale, Alkahest suum seu Mercurium Philosophicum, quævis Metalla solventem, viamque pro impetrandô summo Bonô (imaginariô) pretiosissimô immensarum divitiarum sanitatis & longæ vitæ Thesaurô pandentem, parari posse sibi persvadeant? vid. Ambros. Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obs. 106. p. 223.* Nobilem quendam in Salivâ quæsivisse materiam universalem, indeque Liquorem rubicundum impetrasse, sed ad scopum suum nihil, ex Johanne Tackio refert Josephus Lanzonus *de Saliv. human. p. m. 13.* ubi tamen ista somnia & Alchimistarum Vanitates quemlibet hominem prudentem meritò ridere addit; Neque etiam Johannes Bohnius horum fugitivæ mentis Adeptorum somniis svavioribus subscribere amat, *vid. Ejusdem Circul. Anat. Physiolog. Progymn. 9. p. m. 134.* Inquit etiam Georgius Baglivus *Tr. de Fibr. motric. p. m. 204.* apud Paracelsum, Ludovicum de Comitibus, inter veros Adeptos maximum virum, Helmontium, Kabalam Chymicam, Basilium Valentinum aliosque invenimus, Salivam liquorem esse de Universali Menstruo participantem: sive potiùs elici ex Salivâ Menstruum ferè universale, corpora in suum ens redigens; nec non Sal volatile & fixum magnis usibus ad rem chymicam destinatum; sed longa dies meliora feret. Alii ex Salivâ collectâ cum Calce vivâ Menstruum quasi universale destillant; alii ex eâdem ponderosam Mercurii quantitatem (fortasse post Mercurii inunctionem, quem mihi etiam post Salivationem absolutam in Emplastrô non Merculiali, Tibiæ applicatô videre contigit) impetrasse, alii auri particulam reperisse jactitant. Qvò etiam pertinet Vis aliena Tessæ seu Essentia Salivæ, de qua vid. Godofr. Hennick. *l. a.* Ludov. Hannemann. *de Oscul. cap. 3. p. m. 13.*

 Olai

Olai Borrich. *Conspect. Scriptor. Chemic.* §.71. p.m. 44. ubi addit, Morienum etiam videri posse ad Salivam collineasse, cum ita scriberet: Materia hæc, ô Rex, in Te est, immò a Te capitur. Sic auri folia cum Salivâ diutius trita nigredinem acquirere ex Chymicis celeberrimis se cognovisse refert Fridericus Hoffmannus *l. a. p. 17.* Quanquam etiam Aurum absque Salivâ, & quidem per tritum, in Pulverem fusco subnigrum converti possit, & quidem mediante Molâ Philosophicâ, de qua vid. Joel. Langelotti *Epistol. ad Natur. Curios. p.m. 16. seq. it. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 59. p. 96.*

*ad Curam Sympathicam.* §. 52. Porrò adhuc alia circa Salivæ Usum notanda occurrunt, & quidem de Curâ Sympathicâ, vulgò sympatheticâ, item magicâ aut transplantatoriâ dictâ, quæ â nonnullis pro variô *in Epilepsia.* scopô usurpari solet, v. g. Epilepsiam, morbum adeò rebellem debellari posse credunt, si salivam seu spumam ex epileptici ore egredientem in Tiliam vel Corylum transplantaveris, juxta Gvilelmi Maxvelli *Medicin. magnet. Lib. 2. cap. 19. p. m. 158.* (Non possum quin hôc locô Michaëlis Ettmulleri Judicium de allegatô Maxvellô inseram, quod *Oper. Med. Vol. 1. fol. m. 410.* extat: Maxvellus Samuelis Boultonii Tractatum Anglicum, Medicina Magico-Physica, Anglicô Idiomate inscriptum, tanquam insignis plagiarius in Linguam Latinam de verbô ad verbum, ne nominatô quidem Autore, tulit. Et *fol. 218.* Idem Ettmullerus non Maxvelli, sed D. Boultonii Medicinam magico-physicam allegat.

*in Cephalalgia.* §. 53. In Cephalalgiâ ab humore pituitosô in succum Iridis communis cum spiritu Vini extractum exspuere docet Lazarus Maysonnierus, cujus verba addere liceat: En crachant & se mouchant dans du suc d'Iris commun tiré avec del'Esprit de Vin, le Soleil etant en Aries, exposant la dite racine ratissée à iceluy pendant tout le temps, qu'il sera en ce signe avec de l'eau de vie rectificé. vid. La Pratique des Remedes de Sympathie in Kenelm. Dygb. *Demonstrat. Immortalit. Anim. Rational. App. p. m. 218.*

§. 54.



§. 54. In Anginâ Salivam inspissatam seu mucum lignô idoneô ex Salice paratô â lingvâ abstersum pani aut lardo nonnulli illinunt atque Cani devorandum exhibent, bono nonnunquam effectu. *in Angina.*

§. 55. Contra Tussim sequens â Pliniô narratur: Est rana parva, arborem scandens & ex eâ vociferans. In hujus Os siquis exspuat ipsam dimittat, Tussi liberari narratur. vid. Plin. *Histor. Natur. Lib. 32. Cap. 8. fol. m. 566.* *in Tussi.*

§. 56. Contra Phthisin Salivam ægrotantis nonnulli equo bibendam præbent, indeque ægroto salutem, equo autem mortem prædicunt. Item recipe linteum nitidum album, hôc absterge faciem alicujus moribundi, ut frigidus ille sudor illi inhæreat. Tunc combure hoc linteum et reduc in Cineres. Misce hos cineres cum Vitriolo Hungaricô ac in sole calcinatô tempore Caniculæ-Recipe hujus, quantum mucrone cultri capere potes, projice super sputum Phthisici & depone hoc linteum in loco mundo liberum ab injuriâ temporis, aquæ aut vermium. Eô tempore, quô sputum illud putridum coagulabitur in pulverem, eô tempore mirâ virtute constellationum siccabitur Ulcus; et si æger febri laboret, ponatur illud linteum in aquam, ita ut aqua non elabatur ex ullâ, sic curabitur Ulcus & accessus febrilis. vid. Rosin. Lentil. *Miscell. Medico-practic. Part. 3. p. m. 137.* *in Phthisi.*

§. 57. Si quis in Ignem & Carbones ardentes inspuit, ardorem & tædiosam siccitatem faucium inde acquirere creditur. Quodsi verò in aquam frigidam inspuit, promptissimum auxilium contra ejusmodi ardorem & siccitatem habere dicitur. vid. Kenelm. Digby *de Immortalit. Anim. ration. Part. 2. p. m 219.* *in Oris siccitate.*

§. 58. Ad Mensium suppressionem sequentem Curam sympathicam communicat Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obs. 181. p. 464. seq.* Si Virgo vel mulier menses suppressos pristino fluori restituere, seque ab inde promanantibus & pullulantibus valde molestis, ne dicam periculosis Symptomatibus liberam cupiat, Emmenagoga tamen sive medicamenta flu- *in Mensium suppressione.*

xum

xum lunarem ciere ſolita, reſpuat; illa, miſſis aliis, cibum aliquem duriorem, vel ſaltim panem, a Virgine vel Muliere, reipſa tum menſtrua patiente, præmanſum & manducatum, probeque Salivâ menſtruatæ imbutum & madidum, ex ore illius immediatè ore ſuô propriò accipiat, & extemplò quaſi Voti ſui compos fiet, menſesque rite denuò fluere incipient.

*pro Philtris.* §. 59. Pro Philtris Salivam inſervire docet Fridericus Hoffmannus *Diſp. all. p. 11.* Ex communicatione, inquiens, Salivæ duarum perſonarum Sympathia ſive Conſenſus oritur, iidem nempe affectûs animi, qui ſpirituum animalium fœtûs ſunt. Sic ex iteratis oſculationibus, quibus linguas committunt amantes, ſalivam ſibi invicem communicant & naturali quaſi Philtrò faſcinant, affectûs amoris ardentiſſimi novi productos. Meritò taxatur Lucius Vitellius, Vitellii Imperatoris Pater, qui turpis & infamis libertinæ cujusdam amore irretitus usque adeò fuit, ut ſcorti viliſſimi Salivam cum melle inillitam commiſceret, quô tanquam ſummo Balſamo, inſtaurandæ vitæ opportunò, arterias & guttur crebrò idque publicè, abjectô omni pudore, ad gratiam ejusdem aucupandam perfunderet, ut ex Svetoniò adducit Joſephus Qvercetanus *Diætet. polyhiſtor. Sect. I. cap. 5. p. m. 42.* Cur mutua amaſiorum oſcula labiis impreſſa, tum præcordia, tum genitalia afficiendo, amorem ac libidinem tam facilè irritent, hanc reddit rationem Thomas Willis *Deſcript. Nervor. cap. 22. Oper. p. m. 357.* quia ſcilicet Nervorum quinti paris ramificatio inferior has partes in medio ac imô ventre conſtitutas actuet, ipſasque in parem cum labiis affectionem trahat. Imo Georgio Friderico Rallio, *de Generat. Animal. Sect. 5. p. m. 164.* nullum eſt dubium, quin juvencularum Uterus non rarò ob familiarem ſæpiusque inſtitutam cum maribus converſationem, accedentibus imprimis blandis laſcivisque de rebus venereis confabulationibus, mutuis amplexibus & oſculis, aliisque amoris illecebris, ad maturitatem diſponatur citius etiam, quàm aliàs fieri conſvetum eſt; dum nempe his & ſimilibus de cauſis ſpiritus, aliàs ſopiti commoventur, atque ad partes



partes genitales copioſiùs ruentes, earum temperiem ſenſim immutant, & ad maturitatem debitam easdem perducunt. Idemque maribus etiam adoleſcentulis ſimili modò evenire, nec a ratione nec ab experientiâ alienum eſt. Siquidem Saliva puellæ amatæ Venenum eſt, transfunditur in Corpus amantis, ita ut recrudeſcat luxuries, uti ad verba ſequentia Lucretii *Lib. 4.*

- - - junguntque Salivas
Oris & inſpirant preſſantes dentibus ora,

notat Johannes Baptiſta Pius vid. Joſeph. Lomzon. *de Saliv. human. cap. 6. pag. m. 121.* (§.) Ejusmodi Philtra, mediante Salivâ, quandoque etiam ad beſtias v. g. Canes extendi ſolent, quorum fidelitatem & amorem per crebriorem Salivæ ſeu ſputi in Os injectionem ſeu inſpuitionem aut lambitionem ſibi acquirere multi venatores & alii tentant. Huc pertinet, quod refert Gislenus Busbequius *Epiſtol. 3. p. m. 164.* his verbis: Plena eſt Chios Perdicibus, ubi cum hominibus ſub iisdem tectis hoſpitantur; primô diluculò paſtor publicus eas ſibilò evocat, procurrunt catervatim, congreganturque in via, inde paſtorem, ut apud nos oves, ſecutæ procedunt in agrum, ubi totum diem apricantur paſcunturque, ſub veſperum eodem ſignò revocatæ, factoque agmine, domum & ad nota Cubilia ſe recipiunt. Hanc Conſvetudinem ita fieri memorant, ſtatim ut Ovis excluſæ ſunt, eas ruſtici in ſinum intra induſium transferunt, itaque unâ die & alterâ circumferentes fovent & ori ſubinde admotas Salivâ nutricant; quô beneficiô devinctæ nutricios non obliviſcuntur.

§. 60. Deſpuitione quoque repercuti morbos, & quidem faſcinationes, crediderunt veteres; hinc Plinius *Hiſtor. natur. Lib. 28. cap. 4. fol. m. 495.* ſcribit: Deſpuimus Comitiales morbos, h. e. contagia regerimus: ſimili modò & faſcinationem repercutimus. De hac Deſpuitione contra faſcinationem Johannes Chriſt. Frommannus *de Faſcinat. Lib. I. Part. 1. Sect. 3. cap. 4. p. m. 63. ſeq.* ex aliis Autoribus nonnulla adducit, ſcilicet ex Theocrit. *Idyll. 6. p. 49.* ne faſciô læderer, ter ipſe in gremium meum inſpui; *Deſpuitio contra faſcinationem.*

 Idem

Idem consveverûnt mulieres facere, ne fascinarentur, in sinum ter exspuere, invidiosum amolientes: vid. etiam Jacob. Wolff. *Scrutin. Amuletor. pag. m. 146. 591.* Porrò ex Tibullo *Lib. I. Eleg. 2.*

Ter cane, ter dictis despue Carminibus.

Item: Hunc puer, hunc juvenis turbâ circumstetit arcta
Despuit in molles & sibi quisque sinûs.

ex Aul. Pers *Satyr. 2.*

Ecce avia aut metuens divum matertera Cunis
Exemit puerum frontemque atque uda labella
Infami digito & lustralibus ante salivis
Expiat urentes oculos inhibere parata.

Scilicet Vetulæ in precibus & lustrationibus suis super nepotes & natos superstitiosis ritibus utebantur, nempe liciô, varii Coloris, Cervicem illorum ungebant, postea turbatum sputô pulverem mediô tollebant digitò, & eorum frontem ac labella signabant; uti ex Lubinô allegat Josephus Lanzonus *l. a. p. 123.* Petronius *Arbit. Satyr. pag. m. 57.* ita de Venefica suâ scribit: Illa de sinu suo licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam. Mox turbatum sputô pulverem medio sustulit digito, frontemque repugnantis signavit. Hoc peractô carmine, ter me jussit exspuere, terque lapillos conjicere in sinum &c. Sic etiam Vulgus, quoties ad publicam sedit latrinam, ter despuit in locum, antequam levet anum, vid. Christian. Franc. Paullin. *Cynograph. Curios. p. 134.* mulierculæ interdum infantium frontem fascini tollendi ergo lambunt prima quidem vice sursum, alterâ & sic in modum crucis secundum latitudinem, tertiâ itidem sursum, postea sputum post infantis tergum ex ore projiciunt. vid. Joh. Christ. Frommann. *l. a. cap. 5. p. 67.*

*contra Epilepsiam.* §. 61. Qvantum autem Morbum comitialem seu Epilepsiam attinet, cujus Plinius *Hist. natur. Lib. 32. Cap. 8. fol. 566.* meminit, de hac scribit Hieronymus Mercurialis *Medicin. Pract. Lib. I. cap. 26. fol. m. 120.* Veteres existimâsse, Epilepsiam esse contagiosam & propterea apud ipsos in usu fuisse, ut cùm viderent sibi approximare epilepticum, exspuerent, existimantes, hanc spuitionem præservare, ne contaminarentur ab epilepticis. Inde etiam putat Mercurialis, consvetudinem emânasse, ut, ubi quis audit Epilepsiam nominari, statim exspuat. Prolixiùs de hac materiâ agit Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obs. 213. p. 426. item Exercitat. Medico-Philolog. Dec. 4. Exercit. 8. pag. m. 37. seq. 41.* sub Titulô de Morbô insputato, ubi ad Qvæstionem, an insputandô comitiali morbo fieri medela possit? ita respondet: Plura sanè sunt vulgi in his talibus remedia eaq; euporista, quorum usus & frequens est & experientiæ non rarò respondens. Non rarò offendimus apud Vulgus selectiora & probatiora remedia. Id verò non metuam asserere, utut videatur remedium paulò immundum, leve, si alia gravitate morbi in experimentum vocata cum eodem comparemus. Enimverò cum plurimum situm sit in exsuscitatione Archei, sub epilepticâ Ecclipsi succumbentis & confligantis, insputatio inter alia, licet paulò sordida visa, insigne est remedium, ne subigatur à morbo, sed contra audentior insurgat. Est enim si quis alius hic spirituum morbus, quorum averruncandorum & in externis non leve est remedium. Et leve aliquod visum alia licet pomposa non rarò multis parasangis post se relinquit. Inde verò & pudore suffusus Archeus secum habitare discit magis & contra morbum magis insurgere. Putari enim posset, insputando magicum quid signari, quod & hoc incantamenti quædam sit species, & Morbus hic sacer à non paucis olim ideò dictus, quòd expiationibus curari debeat, quæ omnia tamen solidè elidit & impugnat ipse Cous *Libr. de Morb. Sacr.* Et ipsa simplicitas ævi Veteris pro simplici sputatione videtur militare, ipsâ inspuitione plus juvamenti afferente, quam à Magô expectari posset. Qvod autem apud Medicos id minus scriptum occurrat, nihil impedit, cùm & negligi potuerint ob levitatem protestantibus aliis, & ignorari neq; proponi æquè ob sorditiem. Nihilominus arbitrari fas est successisse in inspuitionis locum perfusionem aquæ salsæ, quæ utraq; Celsus dilaudat *Lib. 3. c. 23.* Hæc Wedelius.

*Inspuitio contra Ranulas.* §. 62. Ranulas solâ in Os infirmi spuitione ab homine quodam idiotâ persanatas recenset Julius Cæsar Baricellus *Hortul. genial. p.m. 88.* Medicinâ superstitiosâ Icterum curare sustinebat Pastor, qui non sine summâ adstantium indignatione & horripilatione ægrum in Culinam deductum tribus vicibus in totidem foveolas, in cineribus totidem digitis paratas, exspuere jubebat, dicendo: Gelbule & Tabes, tu me enecare satagis, ego verò te enecabo in Nomine D. P. F. & S. S. Eô quidem cum successu, ut paulò post & Icterus & æger miserrimè seducti perierint ambo. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Declamat. panegir. 5. p. m. 43.* Si Tussis concitet, salivam in fronte ab alio afflari, scribit Plinius *Natur. Histor. Lib. 28. cap. 6. fol. m. 497.* Varis & Hordeolis Oculorum annulos digitis eximi & sinistræ manus digitis tribus Oculum circumcidendo ter despuere terque dicere jubent: Rica, rica, soro. vid. Valentin. *l. a. p. 40.*

*contra Icterum.*

*Exspuitio in Oculorum dolore.* 63. Annectendum hôc locô adhuc mihi videtur, quòd ternam exspuitionem commendant Mulierculæ nostrates, si quid infantum, puerorum vel etiam adultorum oculis illapsum fuerit; tunc scilicet ægrotantis digitis palpebras a se invicem sejungi aut distrahi, terque in terram & quidem cum vehementiâ ægrotantem exspuere jubent. Qvis verò non videt, si quando post talem trinam exspuitionem id, quod illapsum erat, non amplius sentiatur, illud non æquè ab exspuitione, quàm à motu Capitis vehementiori expectandum fuisse? Sic quando Matres gravidæ, Picâ laborantes, ne fœtui nævum imprimant, juxta Jul. Cæsar. Vanini *Amphitheatr. pag. 71.* salivam exspuere solent, id potiùs ad defraudandam phantasiam, quàm ob auxilium ab exspuitione expectandum, ortum sumsit. Sic contra varia mala præsentissimum, si Diis placet, Antidotum suggerit Plinius *Histor. natur. Lib. 28. cap. 4. fol. m. 495.* Inter Amuleta, inquiens, est in calceamentum dextri pedis, antequam induatur, exspuere: vid. etiam B. Balduin *de Calceo antiqv. cap. 22. p. m. 218.* qui etiam *p. 220. seq.* superstitiosam & ridiculam stuporis pedum Curam refert, quam ipse in muliercula rusticanâ attentus observavit: Cum Parisiis, inquiens, Ambianos petens apud eam prandii causa diversarer, hæc puellum suum ejulantem videns, primùm blanditiis & osculis lenire dolentem satagebat, sed frustra: Ubi verò, ipso, quà signis, quà balbutiente lingvâ, ejulatûs causam aperiente, deprehendit, ipsi pedes poplitesque dolere ex stupore; quòd cibum capiens diu nimium genibus terræ fuisset innixus: ipsum statim brachiis amplexa cæpit ab ore salivam pollice sumere, sicque super utrumque pueri Calceum crucis figuram efformare. Cumque ab eâ, quô fine id faceret, exquireret Balduinus; respondit rustica, se dudum audiisse, præsentissimum hoc esse contra pedum stuporem remedium.



§. 64. Cremsæ Medici cujusdam, Jacobi Horstii uxor pariebat mortuam filiam, quam Pater a mulieribus e Musæo vocatus hinc & inde lividam reperiebat, nihilominus talem infantem, post semihorulam a partu elapsam, in lavacrum ex Malvaticô & aqua mixtum immitti lavarique sensim, & pulverem confortativum, in Cochleari Malvatico pleno dissolutum, in os sumere obstetricem & vehementi ac propiori afflatu in faciem infantis mortui inspuere jubet. Qvo factô statim infans clamat & reviviscit, postea diu vixit, v. Joh. Schenck. *Obs. medicin. Lib. IV. fol. 587.* *ad excitandum fœtum mortuum.*

§. 65. Contusiones, quæ manibus fiunt, aggravari seu plus doloris excitare, si ante Contusionem Saliva in manum exspuatur, præter quotidianam experientiam Plinius *l. a.* testatur, ubi etiam addit: Si quem ictûs eminus cominusve poeniteat, & ille statim in mediam manum, quâ percussit, exspuat, levatur illicò percussus â pœnâ, &c. ubi adhuc plura ejusdem farinæ reperies. *ad Contusiones.*

§. 66. Apud Catholicæ Religioni addictos tempore Elevationis in terram spuere tam grave delictum esse, quàm sputum in ore continere, dicit Johannes Wierus *de Præstig. Dæmon. Lib. 2.* Item in Baptismatis Sacramentô apud Catholicos Salivâ liniri pueros ad Aures & ad nares, res nota est. vid. etiam Joseph. *tempore Elevationis.*

Joseph. Lanzon. *de Saliv. hum. cap. 6. pag. m. 124.* Inter reliquas Russorum Baptismi Ceremonias post abnegationem seu renunciationem Diaboli ejusque Operum & ante Exorcismum seu expulsionem Satanæ susceptores Infantis cum Pastore baptizante ter in terram exspuere solent, juxta Adam. Olear. Itinerar. *orient. fol. m. 182.* Item Christiani adulti apostatæ vel etiam Ethnici Religionem suam tanquam hæreticam abnegantes, atque Russorum Religionem accepturi ante Baptismum ter exspuunt, seque pristinam suam Religionem nunquam iterum reassumpturum esse jurant. *vid. ibidem f. 184.* Papicolas etiam sputum sanctorum aliis osculandum præbere, refert Christianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Dissert. proœmial. Sect. 2. §. 26. p. m. 139.*

*in Congregationibus.* §. 67. In Congregationibus & Conviviis procul spuere, Eminentiæ & Arrogantiæ, e contra verò, in sinum proprium spuere modestiæ atque humilitatis signum non solùm veteribus, sed nostrô quoque tempore habetur. Alterum inspuere vel Salivam seu sputum in alium immittere, imprimis in alterius faciem injicere, maxima semper injuria maximusque contemptus fuit & adhuc est: Videmus etiam, lege divinâ Devteronom. *cap. 25. v. 9.* sancitum esse, ut vidua defuncti mariti fratri, qui eandem in uxorem ducere, fratrique suo nomen in Israële excitare recusavit, in faciem inspuere debuerit. Præter omnia ludibriorum & opprobriorum genera Milites Romani Salvatorem nostrum tempore Passionis suæ, in majorem centemptum etiam conspuerunt. Imò Judæos adhuc viventes in abominandam Redemptoris nostri contumeliam seqventia verba, Schehem coreim unischtachavim lehevel varik umitpallelim lelo jockia, in oratione quâdam contenta habere, atque dum hæc pronunciant exspuere & â locô aliquantisper resilire, referunt Domini Collectores Novor. Literar-German. *Hamburg. Collect. Anno 1703. Mens. Novembr. p. m. 401.* ubi tamen Serenissimum & Potentissimum Borussiæ Regem Judæis, Berolini & in aliis suis Provinciis degentibus, ut hæc verba



in posterum omittant, nec liberos eadem unquam doceant, sub pœnâ exilii imperasse addunt. De Virgine maniacâ Medico & Ecclesiæ Ministro in faciem exspuente vid. Joh. Freitag. *De Opio pag. m. 8.* Cùm Imperatoris Heraclii prima Conjux mortua esset, & funus ornatu regiô per forum ad sepulturam efferretur, puella quædam barbara per fenestram exspuens elatum cadaver sputo attigit. Nullâ morâ interpositâ innocens illa puella Imperatoris jussu comprehensa rogo imposita viva cremata est: quæ sané fuit immanis crudelitas vid. Christian. Matthiæ *Theatr. Histor. p. m. 783.*

*Saliva resectio.* §. 68. Denique Aniculæ nostrates circa Infantum dentitionem ratione Salivæ magnam fovent superstitionem. Notum scilicet est cuilibet, Infantibus Dentitione laborantibus utplurimum Gingivam atque Labia Salivæ irrigatione madere (unde etiam Persio *Satyr. 2.* Uda labella vocantur) quod pro bonô signô Medicis habetur, quia talis Salivæ affluxus Gingivam emollit atque ad meliorem dentium perforationem disponit. Nonnullis verò Vetulis largior ejusmodi Salivæ effluxus sæpissimè maximè est tædiosus, hinc Salivam illam, instar filorum crassiorum satisque longorum protensam forcipe resecare solent, (sie verschneiden den Geifer, ut loqui amant) sicque ulteriorem Salivæ proventum impedire conantur. Quod utut cuilibet ridiculum aut superstitiosum non immeritò videatur, sæpius tamen (sive Dei permissu, sive Diaboli auxiliô, aut casu fortuitô factum id sit) cum desideratô effectu, utplurimum etiam subsequentibus variis periculosissimis Symptomatibus v. g. Tussi convulsivâ, tumore Parotidum, Epilepsiâ &c. factum id observavi.

*Exspuitio Lingvæ.* §. 69. Ad Historiam medicam pertinet etiam, quod de Lingvæ exspuitione refert Thomas Bartholinus *Histor. medic. Cent. 2. Hist. 22. p. m. 180.* Salmuri, inquiens, ex Variolis quidam exspuit lingvam totam, nec tamen loquendi promptitudinem amisit, quanquam exactè aliqua literarum elementa proferre nesciverit. Hujus exempli meminit etiam Philippus Jacobus Sachs

Sachs â Lewenheim & quidem non solum ex allegatô Bartholinô, sed etiam sequentia addit. Propter raritatem hujus Galli in loquelâ edidit integrum Tractatum Jacobus Rolandus Chirurgus Salamuriensis juratus, cujus Titulus Aglossostomagraphia, sive Os absque Linguâ, quod perfectè loquitur, ubi agitur de mirabili Casu cujusdam è Pictaviâ inferiori oriundi, qui puer quinquennis Linguam Sphacelo â Variolis tum temporis ibi locorum epidemialiter grassantibus totam corruptam & putrefactam amisit, ut nihil prorsus in buccâ remanserit, omnes tamen quinque functiones, quæ huic parti tribuuntur, ut sunt loqui, screare, gustare, cibos in ore inter masticandum volutare & eosdem denique deglutire bene & distinctè omnium cum stupore & admiratione potuit obire. *v. M.N.C. Dec. I. A. 1. Obs. 35. Schol. p. m. 119. seq.* Totum Tractatum Jacobi Rolandi de Belebad de Aglossostomographiâ, e Gallicâ in Latinam â Carolô Reygerô versum reperies *ibid. An. 3. p. 559. seqq.*

## CAPUT V.
## DE
# SALIVÆ EFFECTIBUS MORBOSIS
## ITEM
## MORSIBUS ET ICTIBUS ANIMALIUM.

§. 1.

*Salivæ Effectûs morbosi.*

MEdiante Salivâ quandoque Variorum Morborum labem aliis affricari seu communicari facillimè posse, tum autoritas, tum Exempla probant. Inquit enim Johannes Tackius *Triplic-Phas. med. Part. 2. Chrydogon. animal. & mineral. p. m. 16.* Saliva hominum ægrorum uti qualitate peccat, ita quoque ipsa fermentationi inepta est: aut si fermentationem efficit, vitiosam tamen parit. Venerei inde venenatam habent, quemadmodum & leprosi, & qui veneno pascuntur, aut Peste infecti sunt, ut vel contactu possint similem introducere morbum. Et Fridericus Hoffmannus *Disput. de Saliv. & ejus Morb. cap. 6. §. 1. p. 20.* ita scribit: Saliva miasmatibus contagiosis & particulis peregrinis morbiferis quibusvis facilè recipiendis apta nata est. Quemadmodum enim alimentosis & medicamentosis quibusvis se facilè permiscet: ita subtilissimas ejusmodi particulas, queîs miasmata constare necessum est, longè faciliùs admittet. Ipsa remedia præservativa cum successu in ore detenta, & hînc contagiosas particulas aut alterantia aut non admittentia, satis id evincunt. Ex hôc ergò fundamentô quivis morbi contagiosi tam maligni, quàm benigni optimè deduci possunt ac debent. De malignis v. g. febribus & Peste ipsâ, nemo dubitabit, quin hac viâ tantopere disseminentur, suique multiplicativæ fiant. Cumque talismodi effluvia contagiosa in affectibus exanthematicis, Variolis puta, Morbillis atque Petechiis in majori copiâ protrudantur foràs & hinc dictô modô pluribus aliis communicentur, quid mirum, tales affectus præ reliquis magis esse contagiosos? Benignos autem quòd attinet morbos, sæpiusculè cum Salivâ communicari & radicales in sanguine fieri non est, quòd dubitemus; præsertim si quis assiduus, accubuus & indivulsus contagiosô morbô laborantis comes sit, & peregrinæ Salivæ particeps fiat. Hucque pertinet, quod in Capite antecedente de præservatione a morbis malignis & ipsâ Peste per salivæ rejectionem seu frequentiorem exspuitionem prolixiùs adduximus.



*Epilepsia.*

§. 2. Inter alia autem per Salivam communicata mala occurrit Epilepsia: Spumam enim Epilepticorum contagiosam in duobus militibus, qui post epilepticos, spumante ore ex amphorâ potantes, biberunt, atque derepentè epileptici facti sunt, se observasse refert Carolus Raygerus Schol. *in Paul. Spindler. Obs. 54. p. m. 100.* ubi addit, mulieres non libenter concedere, ut una eademque nutrix epileptico & sano infanti alterna-

ternatim ubera præbeat, eò quòd poſtbibenti Virus epilepticum communicari non vanâ ſuperſtitione, ſed certô ſæpe eventu credant. De Puerô epilepticô, qui cùm minimè valetudinarius ex eodem cyathô, ex quô paulò ante æger epilepticus potum hauſerat, bibiſſet, protinus eodem malô fuit correptus atque epilepticus corruit, vid. Vit. Riedlin. *Obſ. 33. p. m. 73. ſeq.*

*Phthiſis.* §. 3. Huc pertinet Contagium Phthiſeos mediante Salivâ communicatum, quando ſcilicet Conjuges, Parentes, Liberi & cohabitantes ex eodem Vaſe edunt aut bibunt, ubi Saliva ægrotantis phthiſici, Cochleari aut urceo adhærens, facillimè aliis communicari poteſt; cujus Salivæ, â phthiſicô acceptæ, particulæ acres & corroſivæ, vel ſani hominis Salivæ commiſcentur, vel unà cum aëre per inſpirationem pulmonibus impelluntur, ibidem circulantibus humoribus eundem motum, figuram & magnitudinem imprimunt, vaſa corrodunt, ſicque Phthiſin producunt. v. Joh. Bernhard. Gladbach. *Prax. med. p. m. 430.* Si juxta Dominic. Panarol. *Pentecoſt. 2. Obſ. 49. p. m. 57.* Sputum phthiſici virulentum muſcas enecavit; ſi juxta Joh. Schenck *Obſervat. medicin. Lib. 2. fol. m. 256.* ille phthiſicus evaſit, qui ſputo â phthiſicô rejectô nudis pedibus inambulavit; item, ſi Medicus, teſte eodem Autore, ſputa tabidi cujusdam prunis injecta ſubinde olfaciens Phthiſicus factus eſt; cur non etiam ſuperiori modô, per Os videlicet, mediante Salivâ, præſertim etiam per oſcula contagium phthiſicum propagari potuerit? Exemplum Phthiſeos contagioſæ recenſet Lazarus Riverius *Cent. I. Obſ. 35. p. m. 24.* de Viduâ viginti quinque annorum, quæ fluxione tenui & acri in pectus delabente graviter afficiebatur, cum Tuſſi ſiccâ ferè perpetuâ, macie, febre lentâ & genarum rubore, quæ vitia per Contagium contraxerat, ex maritô ſuô, qui ante duos menſes phthiſicus perierat. Et *Obſ. 99. p. 97.* aliud exemplum incipientis Phthiſeos communicat, de ancillâ, quæ Dominæ ſuæ, Phthiſi defunctæ, per aliquod



quod tempus diu noctuque miniſtrârat. Fœminam minimè ad Phthiſim prædiſpoſitam, ab accumbente maritô phthiſicô Phthiſi defunctam, noviſſe ſe refert Johannes Dolæus *Encyclopæd. med. Lib. 2. cap. 4. pag. m. 300.* Qvidam Vir, nomine Luff, poſtquam matrimonium cum Virgine phthiſicâ (quæ etiam intra annum â matrimoniô completô Phthiſi vitam finivit) ex contagiô poſt paucos menſes elapſos in Phthiſin incidit, teſte Richardo Morton *Phthiſiolog. Lib. 3. cap. 5. p. m. 294. & Oper. med. Tom. I. p. m. 136.*

§. 4. Non autem tantummodo per Salivam, ſed etiam per ſolas exhalationes atque vapores Phthiſicorum aliis ejusmodi malum mediante inſpiratione atque ſalivâ communicari notum eſt; hinc incertus quidam Autor apud Nicolaum Blegny *Phthiſis à ſola exhalatione.* *Zodiac. Medico-Gallic. An. IV. Jun. cap. 8. pag. m. 224.* inquit: ſi quis cum pthiſicô commercium habuerit diuturnum & conſvetudinem proximam, ocyus ſeriùs in Phthiſin prolabi compertum eſt, quia è pulmonibus ulceratis continui efferuntur tabifici vapores vel corpuſcula acria & acuta, quæ pulmones penetrantia proximi, cum aëre, quem inſpiratione haurit, decurſu temporis, eandem labem imprimere ſolent &c. Et Joh. Jacobus Waldſchmid *Prax-Med. p. m. 398.* inquit: Phthiſis eſt morbus contagioſus, qui per Miaſmata facilè transplantatur, hinc, qui vivunt cum phthiſicis, ſe invicem inficiunt, uti Conjuges; ſi enim maritus eſt phthiſicus, facilè Conjux inficitur, & contra &c. vid. etiam. Caſpar. Theoph. Bierling. *Theſaur. theoret. pract. Caſ. 58. Schol. §. 5. p. m. 758. ſeq.* Notabile exemplum Phthiſeos contagioſæ recenſet Philippus Salmuth *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 64. pag. m. 142.* his verbis: Tres Marchiones Brandenburgici Adoleſcentes ex Phthiſi moriuntur, & brevi quidem temporis intervallô, unus nimirum poſt alterum. Cauſa fuit relata in Præceptorem phthiſicum, quocum dies noctesque vixerant, & eâdem menſâ perpetuò uſi fuerant. Non ineptè igitur hîc quidam eos admonent, qui Phthiſicis



adſtant,

adſtant, ut ſemper Theriacam vel ſimile quid in ore teneant & nares illinant. Si enim Coryzæ halitu ſunt contagioſæ, & præterea Vulgus in Germaniâ non ex eô poculô, è quô eâ laborantes potum hauriunt, bibit, atque illos quoque, quorum Capita infirma ac pituitoſa ſunt, illâ affici experientia teſtatur, quid eſt cur miremur, ſi phthiſici fœtidis ſuis exhalationibus & cadaveroſô ferè odore aërem Cubiculi, in quo degunt, cibum & adſtantes ipſos inficere poſſint? Ejusmodi exhalationibus, vaporibus, vel ipſi etiam Salivæ ſeu ſputo exſiccato adſcribendum eſt mirum Phthiſeos contagium, quod Johannes Schmidius *M. N. C. Dec. I. An. 9 & 10. Obſ. 45. pag. 120.* annotavit. Uxor ſcilicet cujusdam Viri Senatorii, Phthiſi miſerè divexata, tandem moritur. Maritus ampliſſimus ut & doctiſſimus illius veſtes, lintea, lectos ſtatim in loco ſeparatô aſſervari jubet. Annuô ſpatiô elapſô ad ſecunda vota tranſit, & ne ſponſa priori affectu contaminaretur, modis præcavet ſollicitus omnibus, pretioſas veſtes Uxoris defunctæ nuptam noviter induere prohibet: illa etiam ob periculi metum lubens obſecundat. Habent autem contra frigus munimentum aliquod mulierculæ noſtræ, quod Vernacula linguâ Muff appellant, cui manum utramque imponunt; nihil exinde maritus mali metuens, cùm pellibus Zobellinis obductum, & propterea pretioſa valde res eſſet, uxorem hac veſte uti conceſſit. Ipſa ſtatim tuſſire incipit, tuſſisque aucta tandem in Phthiſin, hæc denique in mortem, adhibitis licet mille remediis, deſiit.

*Scorbutus.* §. 5. Scorbutum pariter Salivâ per Oſcula mutua & pocula communia contagioſè communicari poſſe ſtatuit Gvernerus Rolfincius *Epitom. Method. cognoſc. & cur. Lib. 3. cap. 12. p. m. 252.* Et juxta Gregor. Horſt. *Tract. de Scorbut. §. 18. Oper. Tom. II. Lib. 7. Obſ. 34. fol. m. 373* Redditur in Scorbiticis plerumque cruenta Salivatio, propter Gingivarum ſangvinolentiam, quarum ichores exſudantes cum Salivâ commiſcentur. Manifeſtum hinc eſt, in quonam potiſſimùm Scorbutici mali contagium conſiſtat, & in alios, diſpoſitos tamen, propagetur, nimirum oſculis mutuis poculorumque commerciô; illis alterius halitus oris fœtidus, inſtat beneolentis Moſchi, trahitur, quô Spiritus, omnis actionis autores, inficiuntur: hôc ſaliva fœtida communi potûs materiâ diluta ebibitur. Qvid ergo mirum, quòd in Hollandiâ malum ſcorbuticum facillimè ſerpat & in exteros etiam hoſpites graſſetur, cùm ibidem tot Oſcula, quot ſalutationes, præſertim apud fœminas, easque non ſolùm juvenculas (â quibus exoſculatis fortè minor expectanda noxa, tum quòd malo dicto non admodum obnoxiæ, tum etiam, quòd, ſicut Poëta dicit: mollia ſemper oſcula delectent: at quò quid jucundum ac delectabile magis, eò minus noxium, propterea quòd appetitus ſequatur imaginationem, cujus in humores & ſpiritus vis maxima non contemnendis rationibus ſtatuitur,) ſed proh dolor, etiam vetulas, exſuccas, exſangves, ſolo aſpectu infantibus, æſtimativæ facultatis operatione deſtitutis adhuc, horrendas; quæ, ſi absque oſculô ſalutarentur, de maximâ injuriâ contemptuque inſolitô conquererentur? Qvid mirum, quòd in Civitatibus Anſaticis & inferiori Saxoniâ tam uberi proventu Scorbutus ſeminetur, cùm rariùs in unâ menſâ Convictores aliquot inveniantur, inter quos non quidam ſint Scorbutici; at hoc non obſtante, mos nihilominus communis obſervatur, ut pocula ſint communia, plerumque tantæ magnitudinis, ut vix impletione ſecundâ ſit opus, in quæ, non ſemel, ſed multoties inter bibendum Saliva ſcorbutica deponitur & â vicinô ad vicinum unà cum potulentâ materiâ communicatur &c. Hactenus Horſtius, vid. etiam Joh. Michael. *Prax. Clinic. Special. Caſ. 17. p. m. 504.* Dicit etiam Daniel. Sennertus *Prax. med. Lib. III. Part. 5. Sect. 2. cap. 3 p. m. 568.* ad Scorbuti cauſas referri pocula ægrotantium uſu, in bibendô præcipuè, inquinata, oſcula etiam & aërem exhalationibus, exſpirationibus & fœtidis halitibus ægrorum infectum, inſpiratione

tione attractum, communicari posse; & paulo post inquit, Contagium scorbuticum sive per Salivam, sive per halitum &c. sanguinem inficit. Et juxta Michael. Aloys. Sinap. *Absurd. ver. siv. Paradox. medic. Part. 2. cap. 3. p. m. 13.* contagium hoc sive mediantibus eduliis, poculis, lectis, sive communi Cohabitatione, halitu & afflatu frequenti, sive quacunque Conversatione communicatum, scorbutum propagare valet. vid. etiam Casp. Horn *de Scorbut. p. m. 36.* & Valentin. Möllenbroc *de Varis Cap. 4. §. 19. seq. p. m. 59.*

*Lues venerea.* §. 6. Luem veneream per Salivam communicari, docet fœmina illa, cujus meminit Johannes Muys *Prax. med. chir. rat. Decad. 7. Obs. 10. Oper. p. m. 292.* hæc enim Arnhemii novarum puerperarum lac è mammis sugendo victum quærebat, morbo Gallico contaminata, sicque Salivâ suâ morbosa per papillas calidè intrante sanguinem miserarum puerperarum tam horrendo afficiebat malô, ut infantes etiam hunc affectum ex mammis matrum exsugerent. Ex Osculorum etiam commerciô, quô micantem linguam intra labia amatorum vibrant amantes (quod basiorum genus olim Græci ob mutuam & alternatam linguarum insertionem κατὰ γλώττισμα, Latini Columbarum osculum nominabant, vid. Henr. Salmuth in Pancirol. *Part. I. Tit. 46. p. 214. &c.* Galli vocant baiser â la Florentine, eò quòd hæc oscula fœminis Florentinis maximè sint consveta) cum uvulæ & vitæ amissione in duobus exemplis contractam legimus apud Joh. Michaelis *l. a. Cas. 22. pag. 561.* Puellam quandam â Sacerdote hôc malô contaminatô per oscula infectam ex Horstio refert Lossius *Disp. de Lue vener. cap. 2. §. 3.* Luis venereæ per osculum mediante halitu & Salivâ propagatæ exemplum non modò ex Petrô Forestô allegat G. Wolffg. Wedelius *Disput. de Vener. medic. & morbos. cap. 3. p. 29.* sed etiam tale contagium his verbis describit: dum amator Conjugem, Scorbuto, Phthisi, imprimis Scabie & Lue venereâ seu Gallicâ fartam, agminatim ingestis basiis leniter pressam



sam & pectori admotam suo, animæ velut in parte & flore locat, mutuô interim Corporis amplexu, ut hedera Cupressum alligat, iisdem cum eâ radicibus jungi cupidus, imò proprias naturæ vires communicare adeoque totam in Coitu osculis sitienter sorbillare ac absorbere & labra labris pressulè accolumbatim conferens, inde tanquam ex alveari mel colligere tentat, illaque ori suo pariter osculum collabellat. admorsisque labellis dentium & Salivæ vestigia imprimit, mutuoque coitu alligata corpora utriusque mixturam faciunt, facilè tum materiali contactu salivæ, tum per halitum porosque Cutis, motu & agitatione reclusos, adeoque excretione vel insensibili vel sensibili μίασμα contagiosum communicari alteri & in mariti corpus lympham in Corpore inquinando & fermentando ulterius Massæ sangvineæ traduci posse, non improbabile est. Dicit etiam Eduardus Maynwaringius *Histor. & Myster Luis vener. cap. 7. pag. m. 73.* quod si contagium hoc recipietur per Osculum, ut si inficiens scabiosa habeat labia, vel os ulcerosum, tunc genitalia salva evadant & infectus Characterem primò in ore vel labiis accipiat: ideoque audax quædam & temeraria est consvetudo salutandi per oscula quosvis peregrinos & hospites & miscere pocula cum ulceratis labiis periculosum, & quamvis aliqui liberi evadunt ab infectione, sine ullo valetudinis suæ præjudicio, alii tamen experti cautiùs mercari discant in posterum, suoque malô felices reddant alios. Non immeritò hac de causâ hortatur Kempius Gallos, ut in actu osculandi, ratione consvetudinis urbanæ, non apponant Os ori, ne halitus & saliva commisceantur, sed potiùs ore genas contingant; hoc enim modô consvetudini satisfacient, & infectionis periculum evitabunt. vid. Joseph. Lanzon. *de Saliv. human. cap. 6. p. m. 120.* De ejusmodi Contagiô per salivam scribit etiam Conradus Victor Schneiderus *de Catarrh. Lib. 3. cap. 11. p. m. 415.* Qui Lue venereâ infectus est, is lambente lingvâ morbum propagare potest, quòd serum non aliunde, quàm de Massâ sangvineâ prodeat.

§. 7.

§. 7. Imò non modò Morborum malignorum, sed etiam benigniorum Contagia, juxta Frid. Hoffmann. *Disput. de Saliv. & ejus Morb. cap. 6. p. m. 26.* declinari possunt, Consortium nimiamque familiaritatem, quin & Oscula (imprimis meretricia, â quibus sibi caveat, cui sanitas & castimonia cordi) talismodi morbis obnoxiorum vitando; imprimisque ab eorum Salivâ, tanquam â sanguine viperinò, abhorrendo. De hoc autem Contagio jamdudum scripsit etiam Plinius *Histor. Natur. Lib. 26. cap. 1. fol. m. 463.* Non sensere id malum fœminæ, aut servitia, plebsque humilis aut media, sed proceres veloci transitu osculi maximè, fœdiore multorum, qui perpeti medicinam toleraverant, cicatrice, &c. Qvem Plinii locum Conradus Johrenius *Disput. de Mentagr. pag. m. 47.* ita explicat: Patet hinc, Contagium Morbi & Contagii modus, osculô nimirum fuisse traductum: Romani Cives benevolentiæ & humanitatis osculô, ad Judæorum, Persarum aliarumque Nationum morem, sese obvios non solum, sed & advenientes hospites excipere & salutare consveverant; quò collineat Martialis *Lib. 7. Epigrammat. 94.*

Bruma est; & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvius hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.

& Hieronymus: Vinum nunquam redoleas, ne fortè illud Philosophi audias: Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. Italis, Gallis, Hispanis nec non Germanis honoratioribus hodiè illud perquam familiare & receptum est. Plebs verò & inferioris notæ nil de hoc laborant? inde est, quòd Romani Proceres maximè contagio parerent, plebs humilis aut media, medio cessante, non item, cùm ejusmodi oscula salutativa istis non curæ, nec his permissa erant. De fœminis, cùm svavia maritorum evitare nequiverint, quomodo ab istâ infectione liberæ evaserint, majus restat dubium: nos



nos opinamur, cùm Viri barbam sæpius radi soliti fuerint, eapropter patentibus â novacula poris virulentum illud fermentum aut incentivum toxicum faciliùs sese insinuare & Characterem suum imprimere; imberbes contra fœminas, glabritie Cutis resistente, porisque minùs patulis sospitari potuisse, uti liquorem è viperinorum dentium vaginis depromptum, neque integræ cuti illitum, imò neque intrò haustum, ullam noxam, vulneratis verò aliquô modô partibus præsentem inferre mortem, Experimentis Francisci Rhedi in *Observationibus de Viperis p. 171. seq.* edocti sumus &c.

§. 8. Puellam quandam Venenô nutritam, tanquam rem venenatam halitu & amplexu alios venenâsse, imò hujus puellæ ope Reges Persarum alios interimisse, ex Ruffo & Avicennâ recenset Hieronymus Mercurialis *de Morb. venenos. & venen. Cap. 9. pag. m. II. a & b.* Id quod absque dubiô non modò mediante halitu, sed longè potiùs mediante Salivâ per Oscula communicatâ factum est. Refert etiam Cælius Rhod. *Lection. antiqv. Lib. II. cap. 13. fol. m. 409.* hanc puellam educationis ratione ita venenosam evasisse, ut sputo ac quovis humore alio perimeret appropinquantes, evestigio etiamnum exspirantibus, qui cum eâ coissent. De hac puella scribit Joannes Langius *Epist. medic. Lib. I. Epist. 69. p. 368.* Aristotelem Alexandrum Regem fuisse hortatum, sibi ut à Coitu puellari Veneris decore venustæ, sed napello nutritæ, caveret, quam Rex Indorum, ut illius contagione inficeretur, Alexandro dono miserat. Nec enim falsò ista ex scintillantibus & serpentium more nictabundis puellæ oculis Aristoteles prævidit: nec omnino eventus defuit. Nam quicunque cum puellâ ab Alexandro repudiata concubuerant, ejus contagione infecti perierunt. Hujus puellæ Napellô nutritæ concubitu homines venenô infectos, & animalia ejus Salivam degustantia interfecta fuisse, refert Zacutus Lusit. *de Medic. Princip. Hist. Lib. I. Qv. 16. fol. 47. vid. Lib. 5. Hist. 24. f. 873.* Inquit etiam Rodericus a Castro *Medic.*

*Venenum & Mors.*

*dic. polit. Lib. 2. cap. 13. p. 101.* Atheniensem vetulam cicuta nutritam legimus, ac puellam veneno pastam, ut per eam interficerentur Reges Æthiopiæ, tanto veneno perfusam, si Avicennæ credimus, ut ejus Salivâ animalia perirent.

*Saliva matris sana bona.*

§ 9. Sicuti etiam sanæ Matris Salivam pulmento vel aliis eduliis admixtam fœtui seu infanti minime nocere, sed potius ejusdem Chylificationem promovere, testantur Medici, v. g. Ludovicus Bellefontaine *dans la Medecine dogmatique Physiol. Exerc. 7. p. m. 26.* La bouillie, inquiens, impregnée de la Salive de la Mere est si bonne pour le petit enfant, qu'elle se reduit plutôt en Chyle dans l'Estomac de ce petit Corps & s'accommode mieux à son temperament, que si elle etoit humectée par la salive d'autres personnes; vel juxta verba latina Johannis Jacobi Waldschmiedii *Institut. med. cap. 3. pag. m. 16.* Pulmentum matris saliva impraegnatum infanti tenellulo admodum prodest, atque facilius in Ventriculo in chylum ætati huic & temperamento accommodatum abit, quàm si alius hominis Salivâ humectetur. Ita econtra à nutricibus & vetulis varios affectûs variaque Symptomata v. g. Scelotyrben, Luem veneream & alia sexcenta mala, mediante Salivâ, pulmento immixtâ, in Infantes propagari, quotidiana Praxis testatur. Quidnam enim Infantibus, etiam sanis & à sanis parentibus natis, magis commune est, quàm proventus Aphtharum in ipsorum linguâ & faucibus? quarum causam in Salivâ seu lymphâ acescente & humoribus circulantibus quærendam esse docet Johannes Jacobus Waldschmidius *Prax. med. Colleg. ad Casus Bald. Timai à Güldenklee Lib. 5. Cas. 9. p. m. 986.* Hanc autem aciditatem à nutricibus & vetulis, quæ ipsis à ministeriô sunt, mediante lacte vel pulte cum Salivâ permixtô ipsis communicari, nullum est dubium. Pessimâ enim Consvetudine ejusmodi personæ pulmentum & alios Cibos primò proprio ori ingerunt & singulum præbium linguâ circumvolutant, salivâque suâ infectâ imprægnant, dein demum pravô fermentô inquinatum ori infantis immittunt; inde hæ lacrymæ. Id quod testatur Vitus Riedlinus; notum est, inquiens, quantum Oris Aphthæ divexent nostros filiolos, sic ut inter decem vix unus reperiatur, qui in infantiâ ab hoc malô immunis vixisset; has verò non rarò ab hac Salivâ ortum suum traxisse, ipsemet observavi aliquando, præsertim in primarii cujusdam Civis filiolô, cui id infortunii contigit, quod brevi temporis spatio tribus diversis nutricibus concreditus fuerit; quoties verò nova accessit, toties aphthæ, quæ antea evanuerant, rediere. vid. Vit. Riedlin. *Linear. medic. An. 1697. Mens. August. Obs. 17. pag. m. 544.* Notatu digna est etiam Observatio à Samuele Ledeliô *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obs. 62. p. 149.* communicata. Pusio scilicet trium septimanarum, vegetus sanique habitûs derepente corripitur singultu, calore, vigiliis, inquietudine, dum singultit, crebra sternutatio adest. Quæritur Consilium, inquiritur in causas, & re perpensâ nulla invenitur, nisi hæcce: Vetulam, quæ erat â ministeriô puelli, invaserat quartana, hæc pulmentum infanti subministrans priùs ori proprio & deinde febrili fermentô inquinatum infantuli ori immiserat. Ex quibus & aliis exemplis patet, quàm evidens noxa â Salivâ variis morbosis particulis refertâ atque pulmento infantibus præbendo permistâ in tenellulum ipsorum corpus transfundi queat. Hinc non immeritò Parentes & Medici, quantum quidem in ipsis est, illam Nutricum & Vetularum Salivæ communicationem & masticatos ab aliis Cibos infantibus exhibendos impedire debent. Unde etiam Fridericus Hoffmannus *Disp. de Saliv. & ejus Morb. cap. 6. pag. 26.* inquit: Cùm infantes semetipsos præservare nesciant, Parentum cura ipsis quoad hæc prospiciat oportet: saniores eligendo nutrices & servas, illisque interdicendo, ne masticatos aut prælibatos Cibos propinent (cum solum lac possit sufficere & pulmenta, donec ipsimet dentibus sufficienter armati masticare discant) nec sæpius tenellos osculentur.

*Vetularum noxia.*

*dic. polit. Lib. 2. cap. 13. p. 101.* Atheniensem vetulam cicuta nutritam legimus, ac puellam veneno pastam, ut per eam interficerentur Reges Æthiopiæ, tanto veneno perfusam, si Avicennæ credimus, ut ejus Salivâ animalia perirent.

*Saliva matris sana bona.*

§ 9. Sicuti etiam sanæ Matris Salivam pulmento vel aliis eduliis admixtam fœtui seu infanti minimè nocere, sed potius ejusdem Chylificationem promovere, testantur Medici, v. g. Ludovicus Bellefontaine *dans la Medecine dogmatique Physiol. Exerc. 7. p. m. 26.* La bouillie, inquiens, impregnée de la Salive de la Mere est si bonne pour le petit enfant, qu'elle se reduit plutôt en Chyle dans l'Estomac de ce petit Corps & s'accommode mieux à son temperament, que si elle etoit humectée par la salive d'autres personnes; vel juxta verba latina Johannis Jacobi Waldschmiedii *Institut. med. cap. 3. pag. m. 16.* Pulmentum matris saliva impraegnatum infanti tenellulo admodum prodest, atque facilius in Ventriculo in chylum ætati huic & temperamento accommodatum abit, quàm si alius hominis Salivâ humectetur. Ita econtra à nutricibus & vetulis varios affectûs variaque Symptomata v. g. Scelotyrben, Luem veneream & alia sexcenta mala, mediante Salivâ, pulmento immixtâ, in Infantes propagari, quotidiana Praxis testatur. Quidnam enim Infantibus, etiam sanis & à sanis parentibus natis, magis commune est, quàm proventus Aphtharum in ipsorum linguâ & faucibus? quarum causam in Salivâ seu lymphâ acescente & humoribus circulantibus quærendam esse docet Johannes Jacobus Waldschmidius *Prax. med. Colleg. ad Casus Bald. Timai à Güldenklee Lib. 5. Cas. 9. p. m. 986.* Hanc autem aciditatem à nutricibus & vetulis, quæ ipsis à ministeriô sunt, mediante lacte vel pulte cum Salivâ permixtô ipsis communicari, nullum est dubium. Pessimâ enim Consvetudine ejusmodi personæ pulmentum & alios Cibos primò proprio ori ingerunt & singulum præbium linguâ circumvolutant, salivâque suâ infectâ impraegnant, dein demum pravô fermentô inquinatum ori infantis immittunt; inde hæ lacrymæ. Id quod testatur Vitus Riedlinus; notum est, inquiens, quantum Oris Aphthæ divexent nostros filiolos, sic ut inter decem vix unus reperiatur, qui in infantiâ ab hoc malô immunis vixisset; has verò non rarò ab hac Salivâ ortum suum traxisse, ipsemet observavi aliquando, præsertim in primarii cujusdam Civis filiolô, cui id infortunii contigit, quod brevi temporis spatio tribus diversis nutricibus concreditus fuerit; quoties verò nova accessit, toties aphthæ, quæ antea evanuerant, rediere. vid. Vit. Riedlin. *Linear. medic. An. 1697. Mens. August. Obs. 17. pag. m. 544.* Notatu digna est etiam Observatio à Samuele Ledeliô *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obs. 62. p. 149.* communicata. Pusio scilicet trium septimanarum, vegetus sanique habitûs derepentè corripitur singultu, calore, vigiliis, inquietudine, dum singultit, crebra sternutatio adest. Quæritur Consilium, inquiritur in causas, & re perpensâ nulla invenitur, nisi hæcce: Vetulam, quæ erat à ministeriô puelli, invaserat quartana, hæc pulmentum infanti subministrans priùs ori proprio & deinde febrili fermentô inquinatum infantuli ori immiserat. Ex quibus & aliis exemplis patet, quàm evidens noxa à Salivâ variis morbosis particulis refertâ atque pulmento infantibus præbendo permistâ in tenellulum ipsorum corpus transfundi queat. Hinc non immeritò Parentes & Medici, quantum quidem in ipsis est, illam Nutricum & Vetularum Salivæ communicationem & masticatos ab aliis Cibos infantibus exhibendos impedire debent. Unde etiam Fridericus Hoffmannus *Diss. de Saliv. & ejus Morb. cap. 6. pag. 26.* inquit: Cùm infantes semetipsos præservare nesciant, Parentum cura ipsis quoad hæc prospiciat oportet: saniores eligendo nutrices & servas, illisque interdicendo, ne masticatos aut prælibatos Cibos propinent (cum solum lac possit sufficere & pulmenta, donec ipsimet dentibus sufficienter armati masticare discant) nec sæpius tenellos osculentur.

*Vetularum noxia.*

*Armorum intoxicatio.* §. 10. Arma seu tela jejuni hominis Salivâ infici posse, nonnulli tradunt. vid. Dan. Beckher. *Medic. Microcosm. cap. 3. pag. m. 11.*

*ad Venenum.* §. 11. Inserere hoc locô etiam liceat Arcanum seu Methodum cum Salivâ, more Italorum, Venenum præparandi potentissimum, uti ex Discursu cujusdam Chymici communicat C. H. E. seu Christianus Henricus Erndt *Relation. de Itiner. suo Anglic. & Batav. pag. m. 47. seq.* Scilicet misero homini ad patrandum facinus ære conducto exhibeantur per aliquot septimanas locô alimentorum nil nisi saccharata, ut Lympha & Salivæ fontes septicâ virulentiâ probè imbuantur; his substituatur ultimis diebus Conserva Rosarum, cui paucissima Mercurii sublimati portio admixta fuerit; quô factô brevi temporis spatiô ad salivationem disponetur vivens illud veneficii subjectum. Salivâ fluente applicandæ hominis illius Parotidibus & Cavitatibus subaxillaribus Viperæ, quæ haberi possunt, venenatissimæ, quarum applicatione prius non cessandum, quàm probè vexatus ab his miser intumescere incipiat, Salivâ venenatâ interim ex Ore & faucibus copiosiùs erumpente, quæ in Vasculô sollicitè colligenda, & ad usum servanda. Coëunt sic in unum Concretum pravorum humorum sentina, Mercurii sublimati Virulentia & Viperarum Venenum, quale magna ad perpetranda certissimi eventûs scelera efficacissimum esse, nullus dubitat allegatus Autor.

*à Morsu varia Symptomata.* §. 12. Tandem â Salivâ & morsu hominis tam irati, quàm rabidi, varia Symptomata & ferè eadem, quæ â Canis rabidi aut aliorum animalium morsibus aut ictibus proveniunt, v. g. inflammatio, tumor, dolor, exulceratio cum subsequente Gangrænâ & Sphacelo; item Rabies & Hydrophobia excitari aut propagari solent. De ejusmodi autem morsuum, ab animalibus inflictorum, variis Symptomatibus, eorumque signis & Curâ, varia Autores Medici annotârunt, & quidem de variorum Insectorum & animalium ictibus & morsibus in genere videri possunt Hieron. Mercurial. *de Morb. venenos. & venen. Lib. 2. cap. 1. 2. seq. pag. m. 31. seqq.* Joh. Michaël. *Oper. med. pag. m. 343. seq.* Casp. Theophil. Bierling. *Thesaur. theoret. pract. Cas. 1. pag. m. 15. seq.* Eberhard. Gockel. *de Pest. & Venen. Part. 2. cap. 14. pag. m. 76. seqq.* Ejusd. *Consilior. & Observat. medicin. Decad. sex. Consil. 19. pag. m. 213. seqq.* Johann. Laurent. Fehr. *de Scorzoner. pag. m. 124. seqq.* Johann. Rhod. *Analect. & Not. in Ludov. Septal. Animadvers. pag. m. 609. seq.* Ambros. Paræi *Oper. Lib. 20. per totum fol. m. 432. seq.* Johann. Caspar. Wiezelii *Disputat. inaugural. de Morsib. & Punctur. Animal. cap. 6. pag. 14. seqq.*



*Morsus Serpentum & Viperarum.* §. 13. In specie autem de Serpentis, Aspidis & Viperæ Morsu pluribus agit Hieronymus Mercurialis *l. a.* ubi de ipsorum differentiâ, nominibus, colore, temperamento, generatione, ictu seu morsu venenoso, indeque exortis Symptomatibus & curâ varia reperiuntur. De Morsu Viperarum disputationem scripsit Michael Ettmüllerus, vid. *Ejusd. Oper. Med. Vol. II. fol. m. 1658.* ubi varia utilia. v. etiam *Zacut. Lusitan. de Medic. princip. Histor. Lib. 5. fol. m. 788. 793. seqq. 796. 807. 810. seq.* Johann. Jacob. Harderi *Aviar. Obs. 5. Schol. p. 12. seq.* ubi Symptomatum, morsum subsequi solitorum, rationem â Salivâ, quæ ad iram concitati insecti morsu acerrima juxta communicari potest, peti debere existimat; præterquam enim, quod acrimonia fibras nerveas pungendo intumescentiam pariat insignem, sangvini immista desuper, fundendo crasin ejus non rarò maximopere pervertat. De variis Serpentum Generibus eorumque Morsibus vid. Johann. Jac. Saars Ost-Indian. Reise *fol. m. 68. seqq.* it. Georg. Marggrav. *Histor. Rer. natural. Lib. 6. cap. 13. fol. 239.* & Jac. Grevin. *de Venen. cap. 7. sq. pag. m. 51. sq.* Ex Relatione historicâ de Insula Ceylon Roberti Knox sequentia referunt Autores Act. Erudit. Lipſ. *Supplement. Tom. I. Sect. I. pag. m. 38.* Serpentis genus memoratur, nomine Pimberah, tantæ magnitudinis, ut viri medii crassitiem adæquet, &, cum Cervis maxime insidiari soleat, hinnulos quandoque integros deglutiat, sic ut horum acuta cornua dein ventrem ipsi perforan-

forantia mortem afferant. Alius porrò Serpens, Carowala dictus, in domibus ferè habitans & venenô acerrimô præditus, qui tamen felibus passim in prædam & escam cedat; itemque alius, Noya, eam habens indolem, ut mediâ se parte erigat, & caput sic elatum per bihorium vel trihorium continuum circumportet, præterea speciem præbeat, ac si ante oculos par Conspicillorum gestet. De Serpente magno Indiæ Orientalis, Urobubalum, & fœminam gravidam deglutiente vid. *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 7. pag. 18. seq. 22. seq.* Serpentis, Ibiracua Americanis dicti, Virus tam vehemens censetur, ut homini, quem momorderit, quantocyus sanguinem ex oculis, auribus, naribus, gutture & inferioribus partibus corporis expellat, tantâ copiâ, ut nisi statim subventum fuerit, emoriatur. vid. Georg. Marggrav. *l. a. fol. m. 240.* De Serpente cum Attiliô Regulô pugnante, centumque & viginti pedum Corium habente, vid. Georg. Hier. Velsch. *de Vena Medinens. cap. 3. pag. 99.* De Serpentum Antro Romano, vid. Ephemerid. Acad. N. C. *Cent. 7. & 8. App. p. 129. seq.* Item de Serpentibus stupenda hæc refert Johannes Wolffius *Lection. memorab. Tom. II. f. m. 561.* In Pannoniâ, cùm Viperæ ac Lacertæ in hominum corporibus nascerentur, magna hominum copia, cum remedium deesset, cruciatibus ac doloribus multis extincta est. Quidam demum ad Solem expositi, serpentes calorem naturalem sentientes evomuerunt ac liberati sunt. Inventa est etiam magna hinc inde serpentum copia in ædibus, qui cùm fustibus & flammis interficerentur ab incolis, serpentum unus, aliorum nomine, voce humana apertisque verbis dixisse fertur: nihil efficietis contra ultionem divinam pugnantes. De Anatomia Viperæ v. Joh. de Muralt. *Vad. mec. sive Clav. Medicin. p. m. 29. seq.* De variis Serpentum speciebus vid. Theor. Halbmair. *de quattro Elementi Discors. 12. p. m. 112. seq.* ubi *p. 115.* scribit: Nella Germania vi è una spezie di Serpente detto Podera, che è grosso, come un braccio, ehà il ventre di Colore d'oro, e'l dorso verdeggiante. Il suo fiato è nocivo di tal maniera, che, se si pone alla



alla bocca di esso una spada risplendente, l'avvelena col fiato, e la fà divenire di Colore ceruleo, come se fosse stata posta in una fornace ardente. Questo Serpente mordendo l'huomo nel piede, il veleno scorre subito per tutti gli altri membri, per lo troppo eccessivo calore, che è della medesima natura del fuaco, onde come stesso sempre ascende in alto, e quando è salito tanto, che tocchi il cuore, allora subito l'huomo cade morto. In Johannis Joachimi Bockenhofferi *Musæo Brackenhofferiano pag. 23.* reperitur serpens quidam Americanus octo pedes & duos digitos longus. Item Sceleton illius Serpentis, qui per triennium in Corpore Adolescentis cujusdam Argentoratensis delitescens tandem per Os ejus exivit, puerumque misere necavit. De quo Casu peculiarem Discursum edidit Melchior Sebizius Junior, ubi hujus Serpentis Iconem apposuit.

§. 14. Quamplurima etiam Morsûs Serpentum & Viperarum exempla, interdum cum annexis Symptomatibus & Curâ annotârunt hinc inde Medici, v. g. Villicus quidam in fœni seciô â Serpente circa talum pedis sinistri demorsus fuit, cujus Curam vid, Bald. Timæi â Güldenklee *Lib. 7. Cas. 18. pag. 323. vid. etiam Lib. 5. Epist. 16. p. m. 824. seq.* De puellâ rusticâ natâ annos tredecim, quæ, cùm unà cum Matre in agrum discalciata absque calapodiis exiret, & messoribus, vigente æstate, cibum deferret, incautè in mediô itineris â viperâ in pede dextrô morsa fuit, de cujus curâ vid. Amat. Lusitan. *Curat. medic. Cent. I. Curat. I. fol. m. 20.* qui Autor etiam *Cent. 3. Curat. 14. fol. 230. seq.* aliud morsûs exemplum recenset: Duo, inquiens, Juvenes Anconâ Auximum Civitatem proficiscebantur, quorum alter, quum ab itinere mejendi gratiâ divertisset, viperam prope arboris cavernam offendit, magnô tamen applausu, sed infelici successu. Contendebat autem is altero cum sociô, se viperam manu absque offensâ aliquâ capturum, gloriabaturque, nonnullis murmuratis verbis, serpentes omnes, tanquam stupore affectos illi obedire. Alter verò hunc deridebat; demum ad sponsiones res devenit,

*Morsus exempla.*

venit, ſed Vipera plus juſtô audax, truculenta, immota ſemper manſit. Demum quum is manum porrexiſſet, ut illam caperet, illa rabidô & venenoſô furore percita, elevatô collô, ipſum in manûs digitô momordit; qui cùm ſic commorſus doleret, citisſimè ori digitum admovit, fortè ut ſangvinem, dentibus compreſſô digitô, ſugeret, non verò ut mortem ſibi aſciſceret; brevi autem infelix hic ſuâ culpâ mortuus fuit, neque medica auxilia illum quicquam juverunt. Evaſiſſet tamen, ni Serpentis venenum ori admoviſſet. Studioſus artis Pharmacevticæ inſectans viperas morſum dolorificum perſentiebat, quem varia inſequebantur Symptomata, ſcilicet poſt duas horas Vomitus, per ſex horas continuans, manus & brachium intumeſcebant, dolor, tremor artuum & ſingultus accedebant; dehinc brachium ad nigredinem vergebat; Medicamentis tamen â Daniele Crügerô ordinatis per Dei gratiam ſalvus evaſit; *vid. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 65. pag. 143.* ubi dictus Autor inter alia Medicamenta ibidem præſcripta laudat Emplaſtrum de Diachylo ſimplici & Spermate Ranarum, ex cujus effectu ranarum forſan naturam viperis adverſari putat. Sic Chirurgus quidam Gallus, nomine Henry, Viperas ſuas, quas ſemper ad paranda juſcula reſtaurantia in promptu habebat, inſpecturus, cùm ex iis unam pennâ tetigiſſet, illa ſubitô revoluta atque aſſurgens Chirurgi digitum circa articulum mordet; arripit is ſtatim viperam, truncatôque Capite lacerat ejus ventrem, corculum mox & hepar devorans, ſumit alia antidota, ſal cumprimis viperarum volatile, profundâ partem ſcarificatione ſcindit, intumeſcit brachium, nox inquieta ſequitur, admoventur quoque ligaturæ, brevi tamen convaluit &c. vid. Eliæ Camerar. *Diſſertat. Taurinenſ. Epiſtol. phyſ. med. Diſſ. 2. pag. m. 18.* ubi varia de Viperis reperies. Anno 1636. puella Sementi intenta præter ſpem à ſerpente in calcaneo mordetur, unde virus ad univerſum corpus ſerpebat, ut totum intumuerit. Parentes filiam ad fontem quendam medicatum S. Helenæ ſacrum adduxerunt, atque non aquæ tantum immerſerunt, ſed aliquot etiam Cyathos ipſi propinârunt. Subſe-



ſubſedit illicò tumor, dolorque Corporis ſedatus, & quieti reddita continuatôque aquæ lavacrô, poſt aliquot dies excoriata fuit cutis illis locis, quò venenum penetraverat, maculæque parvæ, quales ſerpentum eſſe ſolent, conſpiciebantur. Cæterum ſanitati priſtinæ reſtituebatur. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. V. Hiſt. 15. pag. m. 27. ſeq.* De ruſticô, cui â ſerpente in ſtomachô vulnus fuit inflictum & Verbaſci foliis contritis ſanatum, vid. Petr. Borell. *Obſ. med. phyſ. Cent. I. Obſ. 27. pag. m. 36.* Pharmacopœus Patavinus, dum manum vaſi indiderat, in quod viperarum capita, quæ ante horas duodecim circiter fuerant abſciſſa, immiſerat, â vegetô quodam beſtiæ hujus detruncatæ capite digitus morſu petitus fuit, unde, neglecto etiam ictu, ſummos ſtatim cruciatûs expertus eſt, qui cum aliis ſymptomatibus ipſi lethum attulerunt, vid. Joh. Jacob. Wepfer. *de Apoplex. p. m. 25.* Gangrænum â morſu viperæ obſervavit Johannes Rhodius *Cent. 3. Obſ. 85. p. m. 168. ſeq.* Aliquot ejusmodi exempla annotavit etiam Paulus Renealmus, & quidem primum de mulierculâ ſexagenariâ morti proximâ, cui, ob viperæ morſum, in indice digitô, jam â tribus diebus, totum brachium, adeoque maxima pars pectoris livebat, aderat ſingultus, cardialgia & frequens Syncope, nauſea inanis, pulſus parvus admodum, cum intercidentiâ frequenti, & conclamata videbatur. Curationem aggreſſus Renealmus, ex Verbaſco & cortice Sambuci internô decoctum paravit, additâ Acatalidis baccarum ſextâ parte &c. Secundum exemplum idem Autor refert de ſeipſo: Cum enim â pagô quodam rediens prata rivulumque attentis oculis luſtraret, plantis obſervandis affixus, Cenchridem, ulnæ ferè magnitudine, aquæ innatantem videt; ad eam capiendam ſe accingit; junci aliæque herbæ aquis innatæ manum ab ejus collô paululum divertunt. Illa vibrante Capite medium momordit digitum, nec aliis pepercifſet, niſi alterâ manu ſubito in collum injectâ eâ ſtrinxiſſet induſtriâ, ut ab illius dentibus eſſet tutus. Mox morſum digitum ſcarifican-

 dum

dum socio præbet, Bardanæ foliis succum expressum immittendum curat, tusisque insuper ejusdem foliis involvit; Vix horæ quartâ parte exactâ dolor omnino disparuit, nihilque postea inde mali sensit Renealmus; Qui ibidem tertium exemplum de pauperculô quodam puerô recenset; ille scilicet juxta malleolum demorsus â viperâ summis doloribus cruciabatur &c. vid. Paul. Renealm. *Observat. & Curation. Observ. 155. seqq. p. m. 118. seqq.* vid. etiam Joh. Schenck. *Obs. medic. Lib. 7. fol. m. 862. seqq.* Puella quatuordecim annorum cùm rus abiret, â serpente, quem calcaverat, morsu in digitô mediô dextri pedis excipitur; â quô statim nec stare, nec pedibus incedere valebat, sed domum portari necesse habebat; præterlapsis præter propter tribus vel quatuor horis accersitus Medicus, Johannes Victor Jægerschmidt inveniebat illam febricitantem, langventem, Lypothymiis subinde obnoxiam, pedem valde tumentem dolentemque habentem; postmodum totus pes mirum in modum intumescebat, ita ut duplici magnitudine sanum superaret, ater erat & lividus, cum continuô ferè Lipothymiæ & Asthmatis paroxysmô. Insistendo autem Alexiteriis & Bezoarticis, & toti pedi emplastrum, Apostolorum dictum, imponendo, Asthma atque Lypothymiæ penitus remittebant, totusque pes tumorem, livorem atque nigredinem deponebat. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 2. Obs. 151. p. 240.* Item Venatori vipera in medii digiti articulum primum in parte externâ duo vulnuscula vel potiùs rimulas, oculis vix cognoscibiles, dentibus infixit. Venator ipse venenum extracturus sangvinem ore ex vulnusculis exsugit; quô factô actutum lingva intumescit, ac si pomum in ore teneret, loquela & deglutitio impeditur, oritur obnubilatio visûs cum Capitis tumore & gravedine. Sanitati tamen restitutus est a Johanne Georgiô Sommerô. *vid. ibid. An. 3. Obs. 152. p. 271.* Sic circa vipretum Servus quidam avellanas quærebat, sed ex foramine una è viperis ejus brachio se circumvolvens sinistro statim morsum perficit & resilit. Occupato illô, pro more, ut statim



tim aliquid terræ recentis pro deligatione vulneris acquireret, ecce, alia vipera exsilit, circumvolvit se itidem brachio & Venam medianam mordet. Terra adaptata nihil solatii fert ægro, brachium tumere, rubere & inflammare incipit cum gravi dolore. Confugit ad Balneatorem, qui rescindendi brachii svasor erat, sed renuit patiens, accurrit ad Medicum, & acceptis octo, ex Spiritu terræ coagulato, pilulis longô sudore ferè exanimatus, detumescens brachium postridie exhibet, Cute per totum brachium decedente, & sic Dei gratia restitutus domum petit, juxta relationem Andreæ Cnœffelii *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obs. 62. p. 52.* Monspessuli in Pharmacopolæ Fargii officinâ, in quâ tum Theriaca splendido apparatu parabatur, Ambrosii Paræi extremum indicem, quô inter ungvem carnemque hiat, vipera morsu prehendit, unde statim subortus est acer dolor, tum partis exquisitissimo sensu præditæ, tum veneni efferi occasione. vid. *ejus Oper. Chir. Lib. 20. cap. 16. fol. m. 441.* ubi curam per Theriacam reperies. v. etiam *cap. 22. seq. fol. 443. seq.* Ancilla rusticana in pagô quodam serviens, ab Alpibus ad Lares domesticos defert Lac, butyrum, &c. in viâ repentè assilit serpens, ejusque pedi ad malleolum dextrum morsum infligit; pes totus ad genu usque horribiliter intumescit, mittitur ad Medicum, Adamum â Lebenwald, pro auxiliô, qui Theriacam & spinas serpentum pulverisatas in Aquâ Ulmariæ præscribit, præcaventur sic symptomata interna, tumor pedis tamen non remittit: Accedit Empiricus, svadet ut Oleum Petræ fundatur super ferrum ignitum, ejusque fumus ad locum affectum excipiatur, dictum factum, sensim remittit tumor & serva in integrum restituitur. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obs. 69. pag. 161.* Et *An. 8. Obs. 210. pag. 519.* Christianus Schuchmannus sequentem communicat Observationem: Ludovicus Rebhun, Civis & Chirothecarius Salfeldensis, acerrimus serpentum perscrutator, cuique ex reptilium genere plures in prædam cesserant, unà cum comite quodam dumetum prætericns apricantem reperit viperam, quam

quam continuò dextrâ deprehendit manu, vitâ illam mulctaturus, sed ausu penitus infelici; Vipera siquidem justo longiùs a capite prehensa collum intorquet, interioremque partem pollicis ad marginem ungvis, non obstante Chirothecâ, quâ manus munita erat, commordet. Morsu perceptô, vitâ illam privat, brevi tamen post lethalis ferè hujus morsûs persentiscit effectûs. Continuò siquidem videt intumescere pollicem, manum, brachium, cum respiratione singulis quasi momentis magis cohibitâ. Periculô igitur admonitus Civitatem repetit, dicti Schuchmanni subintrans ædes rem gestam exponere contendit, sed loquelâ penitus inperceptibili, adeò ut valdè ebrium Medicus judicaret hominem: sic enim lingva jam intumuerat, ut non solùm statum causæ ex eô cognoscere non potuerit, sed & palatum lingvæ continendæ fuerit impar. Medicus statum curatiùs examinans vidit, illum holosericis lemniscis laxô nodô supremas indusii oras ad manuum carpum ligâsse, ut tuuc temporis moris erat: Ligaturæ verò, laxioris primitus licet, vestigia ob supervenientem tumorem tam profunde tamen carni impressa erant, ut tumentibus utrinque stricturæ lateribus vinculum cultrô discindere quàm difficillimè potuerit. Aderat simul tanta præcordiorum compressio, ut spiritum vix ac ne vix quidem trahere posset, sudoris aderant stillæ frigidissimæ, tormina Alvi, secessûs & in thoracis parte dextrâ tumor ingens ad palmarum duarum magnitudinem. Nihilominus tamen dictus Chirothecarius per Dei gratiam sanitati est restitutus; quibus verò medicamentis, reperies *l. a.* ubi adhuc plura de viperarum morsu, venenô & curatione extant. Antonius Brassavola vidit quendam, ab Echiduâ, vulgò Marussio ictum, qui trium horarum spatiô ab ictu vitam cum morte commutavit & totus maculis affectus est luteis, violaceis, nigris, citante Christianô Fridericô Garmannô *de Miracul. Mortuor. Lib. 2. Tit. 1. §. 53. p. m. 336.* Brachii putrefactionem seu sphacelum ex serpentis morsu annotavit Gilbertus Anglicus; Noctu scilicet quidam dor-



dormiens a serpente morsus est, cui cùm servus, dominum â somnô excitaturus, brachium traheret, caro omnis putrilagine consumpta corruit, moxque & ossa corruerunt omni carne exuta, juxta Ambros. Paræi *Oper. Lib. 20. cap. 5. fol. m. 434.* Aulico cuidam â viperâ mordicus arrepto contigisse observatum est, ut corporis totius color in porraceum commutaretur. vid. Lud. Cœlii Rhodig. *Antiqu. Lection. Lib. 6. cap. 13. fol. m. 204. seq.* Aliud exemplum de Nobili quodam a viperâ commorsô, recenset Moses Charas *Nov. Experiment. Viperæ p. m. 155. sqq.* it. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 4. Sect. 10. Append. fol. m. 1683.* Refert etiam Casparus Henneberger admodum tragicum exemplum de pœna divina ingrati contumacis filii, qui verberibus in parentes sævierit & propterea ex imprecatione eorum a serpentibus, & quidem in tali loco, ubi antea nulli conspecti essent, corrosus & occisus fit. Præsertim autem serpens cæteris grandior & immanior ipsius dextram, quâ parentibus plagas inflixerat, plane corroserat. &c. vid. Philipp. Camerar. *Horar. subcisiv. Cent. III. Cap. 36. p. 125.* Gregorius Archi-Episcopus Armeniæ a Theridate in fœdum & serpentibus repletum lacum conjectus quatuordecim annos in eô illæsus vixisse, torturæque atrocitatem patientiâ & constantiâ vicisse dicitur, uti ex Antonio Maria Bonucci recensent Act. Erudit. Lips. *Ann. 1719. Mens. Jan. p. 239.*

*à Viperis læsa animalia.*

§. 15. Non autem tantummodò homines, sed etiam alia animalia, & inter hæc Canes a Serpentibus & Viperis commorderi solent; qualia exempla & experimenta in Canibus facta communicat allegatus Charas *l. cit. p. m. 161.* & Theophil. Bonet. *l. a. fol. m. 1681. seq.* De Cane venaticô â viperâ in caput demorsô, per aquam tamen certi fontis, Civitatis Noceræ, iterum liberatô, vid. Sylvestr. Boccon. *Obs. 20. pag. m. 436. seq.* Evolvi etiam meretur Franciscus Redi *Experiment. circa varias res natural. pag. 3. seqq. & circa Observationes de Viperis.* Experimentum de Cane a Viperâ admorsô & mediante lapide serpentis pileati iterum sanatô annotavit Carolus Raygerus *M. N. C.*

*N.C.Dec. I. An. I. Append. à pag. 1. seq. 12.* ubi idem Tractatus Francisci Redi de Observat. ex viperis etiam extat. Huc pertinent etiam experimenta in Columbis & pullis gallinaceis circa viperarum morsum tentata, de quibus præter Franc. Redi & Theoph. Boneti loca allegata, evolvi etiam potest Joh. Jacob. Harderi *Apiar. Obs. 23. p. 95. seq.* de Viperarum morsu ad Franciscum Redi *p. m. 95. seqq.* De Signis & Curâ morsûs Viperarum vid. Eberh. Gockel. *de Venen. cap 14. p. m. 76.* & Joh. Mich. Fehr. *de Scorzoner. pag. m. 124. seq.* ubi etiam refert, Cleopatram Ægypti Reginam, ne augustum Augusti Imperatoris triumphum augustiorem suâ præsentiâ redderet, quod infinitis mortibus acerbius ducebat, vivam se Aspidi interimendam dedisse, frustratâ quoque Psyllorum operâ, opeque omni. De cujus tamen Historiæ veritate alii dubitant. v. Thom. Brown. *Pseudodox. epidemic. Lib. 5. cap. 12. p. 814.*

*à Vipera mortuâ læsi.* §. 16. Mirabile etiam, a mortuæ Viperæ capite læthalem læsionem infligi posse, quale exemplum recenset Johannes Faber: Pharmacopæi famulum a viperæ capite, jam post tertium diem abscisso & inter sordium quisquilias jacente, cùm is hoc pede priùs protrusisset, deinde manibus quoque apprehensum projicere tentâsset, lethaliter in digito morsum, & efficacissimis vix tandem theriacalibus medicamentis sanatum fuisse, v. Simon Pauli *de Febrib. malign. §. 85. pag. 133.* ubi ex eodem Fabro ita pergit; Quòd autem hoc caput tam diu vixerit, mirabile est, sed mirabilius, quod Recchius in hoc opere Mexicano, de serpente atrocissimo Teuthlaco Zauhqui, quem Hispani indigenæ viperam, ob lethalem morsum vocant, commemorat: Audio â multis, inquit, qui eum serpentem domi alere solent, atque educare, annum integrum durare absque cibo ullo potuque; abscissumque caput, decem aut amplius dies ferunt apud Panucenses in femoris crassitudinem & longitudinem adolescere. Est & hoc non minùs insolitum aliis serpentibus, huic vero proprium & naturale: Quot annos natus est, ait idem Recchius, tot accedunt caudæ perstrepentia sonalia, in postremâ parte caudæ, ventebrarum instar connexa. Et Franciscus Redi *Observat. de Viper. p. 204.* scribit: Clarescit Baldum Angelum Abbatium & Schrœderum ex propriô Cerebellô, non verò ab experientiâ edoctos scripsisse, quod dentes viperæ mortuæ interficiant; itaque vulgus certus esse poterit, esse illud inventum fabulosum, quod quotidiè narratur de morte Pharmacopæi, qui contrectando caput sæpissime viperæ, ante annum interfectæ, improvidè se punxerat. Fabula tamen, quod referam, non est, & ego testari possum, me vidisse, nimirum caput viperæ, dimidia parte horæ post detruncationem, dum adhuc quidam motus superest, &, ita loquendo, quædam scintillula vitæ, si mordet, occidere, non aliter ac si corpori adhæreret. &c. Pharmacopæi Patavini, Makop dicti, dum manum vasi indiderat, in quod viperarum capita, quæ ante horas duodecim circiter abscidit, immiserat, â vegetô quodam bestiæ hujus detruncatæ capite digitus morsu petitus fuit, unde ipse neglecto ictu summos statim cruciatus expertus est, qui, juxta alia symptomata hos morsus comitantia, ipsi lethum attulerunt, juxta Joh. Jacob. Wepfer. *Observ. de Apoplex. p. m. 25.* Alio tamen modo hanc Observationem recenset Johannes Rhodius *Obs. med. Cent. III. Obs. 89. p. 168. seq.* Anno 1629. Pharmacopæo, inquiens, Germano, in Officina Francisci Macopii Brugensis, in Vico D. Francisci, serpentinum pulverem alexipharmacum ambitiose jactanti, qvum incautior esset, â viperâ demorsus, brachium repente intumuit, cum nigredine Gangrænam comminante. Itaque sangvis ex eodem brachiô ultra libram illicò extractus, exhibitaque simul Theriaca, locus oleo Scorpionum illitus: Qvibus præsidiis recte habuit. Eventu longè diversô Johannes Knips Coloniensis, Caroli Macopii Peste sublati gener & successor elegans ac peritus, juvenis optimi habitus ac temperamenti sangvinei Anno 1638. Mense Majo qvum liberiùs viperarum capita versaret, pollicem dextræ manus animalis ictus

ictus invasit. Caput igitur firmius adhærens qvum vi avellisset, adsumptô sponte alexipharmacô per urbem ad sudorem concitatius incessit. Inde febris continua & Convulsio, tandemque lingvæ ac latere corporis dextrô Paralysis, dehinc febre correptus cis paucos dies occubuit Patavii. Eandem historiam his circumstantiis describit Johannes Mich. Fehr *de Scorzoner. p. 108. seq.* Macop junior Pharmacopœus solertissimus in solenni viperarum pro Theriacâ præparatione, quâ in præsentiâ aliquot Medicorum Studiosorumque coronâ caput & cauda viperis amputaretur, cùm caput quoddam abscissum de tabulâ dejicere vellet, & morsu ejusdem tantillum in pollice læderetur, in febrim statim incidit, & licet a præsentibus Medicis præsentissimis remediis nonnihil levaretur, lentâ tamen tabe paulò post in Thermis Aponitanis exspiravit. Ab ipsis autem occisæ viperæ dentibus vulnus periculosum infligi posse statuit Joannes Veslingius *Obs. anat. 4. p. 36. seq.* in dentibus, inquiens, formaliter venenum consistere, argumentum est, quòd dentes exempti & vetusti armis aut telo affricti similem iis perniciem communicent, qua superstite bestiâ præditi dicuntur: Adde quod dentes quatuor oblongi, summè tamen acuti & exiles facilè aliquam nervo subter partem pungant: unde illa symptomatum repentina exacerbatio. Quod autem de læsione a dentibus viperæ mortuæ hactenus allegati Autores referunt, idem etiam de Serpente magno Indiæ Orientalis, Urobubalum deglutiente, confirmat Andreas Cleyerus, *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 7. p. 18. & 20.* ubi post descriptionem serpentis tam monstrosi ita pergit: Cùm ex tali serpente emto Sceleton conficere animus esset, meique famuli carnes serpentis aqua cum Calce vivâ mixtâ in magno aheno excoquerent, accidit, ut administrantium quidam caput serpentis a carnibus coctione liberatum mundificare studens forte digitum aliquem ad mandibulam serpentis & ejus dentes majores acutos saucium redderet. Hinc tumor in ista manu ingens cum inflammatione, febre continuâ, delirio amentiaque paulo post subseqvebatur, nec priùs cessabant symptomata, quàm serpentinus lapis (quem Patres Jesuitæ componunt) vulneri adaptatus omne venenum extraheret. Plura de dentibus & vesiculis venenatis ibidem p. 22. reperies.



*a Viperarum morsu immunes.*

§. 17. Quamvis autem hactenus multa a Serpentibus & Viperis tam mortuis quam vivis cum periculo læsorum exempla adduxerimus, dantur tamen etiam personæ, quæ vel ob assumptum serpentum & viperarum pulverem, (uti credunt) vel ob peculiarem quandam opem & proprietatem seu Idiosyncrasiam, vel etiam ob singularem nonnullorum audaciam atque insignem eosdem tractandi dexteritatem, ab ipsorum læsione immunes sunt, quod memorabili historia ex avtopsia & ore Johannis Veslingii confirmat Johannes Zwelferus *in Pharmacop. August. Animadv. fol. 273.* scilicet Alexandriæ Ægyptiorum sponte sese obtulit quidam Mahometanus, Vir insignis authoritatis, qui summopere gloriatus est de singulari hac dote & gratiâ divinâ, sibi totique suæ familiæ a Mahomete Prophetâ concessa, quòd nimirum ab omnium venenatorum animalium, ipsarum etiam Aspidum, illis locis familiarium, maximè lethiferorum, morsibus liberi ac immunes essent, ipsorumque venena omnimode spernerent: cujus rei experiendæ exemplum fecit, & effectu ipso ejus veritatem in gratiam Illustrissimi Legati Veneti, qui tum præsens fuit, comprobavit & stabilivit. Actutùm enim Aspidem obviam illis venientem nudis manibus apprehensam, satis diu ad libitum tractavit, tandem caput ori suo immissum demordit, idemque exspuitione unà cum sangvine rejecit, insigni cum admiratione Legati omniumque adstantium.

*An ex morsu sexus viperæ cognoscendus?*

§. 18. Credunt etiam nonnulli veterum imprimis Autorum, ex ejusmodi morsu mordentis viperæ sexum dignosci posse, signum scilicet, an mas, an fœmella hominem momorderit, â numerô foraminulorum seu læsionum desumentes; siquidem fœminas quatuor, mares verò duobus tantum

tum dentibus mordere ſtatuebant. v. Hieron. Mercurial. de *morb. venenoſ. & venenis Lib. 2. cap. 2. pag. m. 31. & cap. 3. p. 33.* Inquit etiam Jacobus Grevinus *de Venen. Lib. 1. cap. 10. pag. m. 60.* ubi de differentiâ ſexûs viperarum agit, fœminas ingingivis quatuor dentes habere, quibus morſum infligent, mares verò binos tantùm caninos habere dentes, reliquis omnibus in gingivis deliteſcentibus. Et Amatus Luſitanus *Curat. medicin. Cent. I. Curat. 1. fol. 20.* ex duobus nigerrimis ſignis in Tarſo ſeu pedis raſetâ puellæ, â viperâ demorſæ, talem morſum a maſculô fuiſſe illatum, judicat, qvum duos tantùm caninos vipera maſculus habeat dentes, fœmina verò quatuor, unde etiam maſculi morſum non tantum periculi, quam fœminæ inferre addit. v. etiam Thom. Brown. *loc. alleg.* it. Frider. Hoffmann. *Diſp. de Saliv. & ejus morb. cap. 5. p. 18.* Cum quibus Autoribus, ratione hujus numeri, equidem adhuc alii conſentiunt, alii tamen tam maſculo quàm fœmellæ tantum binos, alii tres, alii quatuor dentes adſcribunt; ſiquidem Albertus Magnus affirmat, viperam marem habere duos dentes in ſuperiore maxillâ, & duos in inferiore, ſibi invicem ex adverſo oppoſitos; Et Marcus Aurelius Severinus aſſerit, in unaquaque maxillarum ſuperiorum ſe vidiſſe ad minimum tres, quatuor, atque etiam quinque. vid. Franc. Redi *Obſerv. de Viper. p. m. 199. ſeq.* ubi, quod ipſe plusquàm in trecentis viperis viderit, addit: Viperas ſcilicet unius æque ac alterius ſexûs habere tantummodò duos dentes caninos, quibus mordent, firmos & ſolidos, emicantes ex oſſe maxillæ ſuperioris, ſingulos pro latere, &c, Juxta Joann. Vesling. *Obſ. anat. 4. p. m. 36.* Vipera dentibus utraque maxilla peracutis triangularibus, ſed valde exiguis armata eſt: inferior tamen quatuor inſignes dentes habet, quorum in utroque latere duo, alter alterô major & humilior, figura falcata, magnitudinis notabilis, ſi gingivis denudentur, in quarum ſpongioſâ & laxâ carne quaſi quadam vaginâ reconduntur & furiis exagitatâ beſtiâ recluduntur. Efficaciam vulneris â Viperarum morſibus



bus inflicti, vix ac ne vix ſenſibilis, magnam eſſe, monſtrat Robertus Boyle *de Utilitat. Philoſoph. Experiment. Exerc. 5. cap. 16. §. 5. p. m. 323.*

§. 19. Non autem tantummodo morſu, ſed tactu quoque Serpentem quendam enecare, partim ex Avicenna narrat Andreas Matthiolus *Comment. in Lib. 6. Dioſcorid. fol. m. 972.* de Serpente, qui â milite quodam haſtâ infixus virulentam vim per haſtam transmiſit ad manum, quam primùm infecit, & deinde totum corpus prorupit; partim etiam pro firmandâ fide, proque hujus rei confirmatione id, quod in agrô Tridentinô eveniſſe novit, recenſet. Nempe cùm ruſticus quidam eſſet in ſuis Vinetis, ad collis pedem magnum & horrendum vidit ſerpentem, cujus capiti ſupernè haſtam ſatis longam infixit: at dum fixam feram ſe hinc inde fortiter contorqventem & haſtæ circumvolutam, pro viribus teneret, magnô ſtatim tremore correptus eſt; quô maxime deterritus vociferans viatores & circumſtantes colonos ad ſe ire rogabat. Qvam vociferationem audientes, qui non longè aberant, ruſtici, eò curſu velociter contenderunt & ipſum fere ſemimortuum invenerunt. Cognitâ tamen, ex occiſô ſerpente, ſui infortunii causâ, per medicamenta ad vitam eum revocârunt. Veruntamen duobus annis poſtea is univerſi ferè corporis ſtupore in lectô ſemper decumbens ægrotavit, & eô præſertim brachiô, quô pernicioſum animal haſtâ occiderat.

*Serpentes tactu nocent.*

§. 20. Viperas verò non ubique terrarum æquè venenatas eſſe, tum aliorum ſerpentum hiſtoria, tum propria experientia Eliæ Camerario fere perſvaſit. v. *ejusd. Diſſertat. Taurin. Epiſtol. phyſ. med. 2. pag. m. 21.* meminit enim, ſe viperam noſtratem modis omnibus irritatam coëgiſſe ad mordendum canem, idque repetitis etiam per plures dies vicibus, adactis in ventrem ejus, cum mordere aliquando non vellet, dentibus, nullô inde malô cani eveniente, è vinculis tandem iterum dimiſſo; quod de Tarantulis & Scorpionibus itidem ex Georgio Baglivo & Franciſco Redi ibidem adducit. Qui plura

*Viperæ non ubique æquè venenatæ.*

plura de Viperis & Serpentibus desiderat, evolvat Baldi Angel. Abbat *de Viperæ natura*, Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. 2. Disp. 3. fol. m. 1658. seqq.* Hier. Mercurial. *de Morb. venenos. Lib. 2. cap. 3. p. 32. b. seq.* Franc. Redi *Observat. de Viper.* Sam. Hafenreffer *de Cut. Affect. Lib. 3. cap. 8. p. 461. seq.*

*Scorpionum ictus.* §. 21. De Scorpionum generibus, ictu ejusque symptomatibus & Curâ vid. Jacob. Grevin. *de Venen. Lib. I. cap. 24. p. m. 106. seq.* Hieron. Merculial. *de Morb. venenos. & Venen. Lib. 2. cap. 4. p. m. 34. seq.* Eberhard. Goekel. *de Venen. cap. 14. p. m. 77. & Consil. 19. pag. m. 215.* De scorpionum ictu ejusque curâ ita scribit Robertus Boyle *de Utilit. Philosoph. experiment. Exercit. 5. cap. 18. §. 20. p. m. 334.* Cùm scorpii venenatæ Creaturæ sint, eorum suffocatio & in Oleum infusio Oleum ipsum virulentum reddere videri possit, nisi, experientiâ magistrâ, Oleum hoc Morsûs scorpionum venenatos sanare sciremus, qvem effectum experimentis comprobatum Medici rationi congruum confitentur, eumque tribuunt attractioni Veneni recepti in Corpus externè vulneri applicatum. Et Piso docet apud Brasilienses, qvorum Regio venenatis animalibus scatet, usitatissimam hanc esse curam, ut corpora bestiarum morsum infligentium contusa vulneri applicentur. Itali qvoque scorpii hominem morsu lædentis contusi applicationem ad partem affectam, citissimum & certissimum hujus mali remedium experiuntur. Senex in Anglia, qvi sæpissime viperas, bufones, &c. venales exponit, mihi recensuit, qvòd â viperis periculosè læsus, vulnere ob venenum intumescente, tanqvam primariam Curæ partem applicet creaturam virulentam, ad consistentiam scopo huic idoneam contusam. Et Theodorus Albmair Tractatu Italico *de qvattri Elementi, discorf. 12. p. m. 125.* inquit: Gli scorpioni confaccia lusingeno, e con l'estremità delle Coda danno alle vòlte mortifere punture, alle qvali giova mirabilmente l'istesso scorpione ammacato, & applicato sopra di esse, overo ungendole con olio, dove siano stati in Infusione gli Scorpioni. Chi vuol pigliarne gran qvantità per



per farne l' Olio, pigli un manipulo di Basilico con dieci Granchi di fiume, ò di mare, e pesti ogni cosa insieme, che vi concorreranno tutti gli scorpioni vicini. Thom. Bartholinus *Dissert. epistol. de Transplantat. Morbor. in Hermann. Grub. de Arcan. Medicor. p. m. 9.* inquit: Similia cum similibus facilè conspirant. Ruber pannus sangvinem ad exteriora provocat. Scorpio contritus vulnus â scorpione illatum sanat, qvod remedium in Italiâ frequens. Bufones exsiccati manuque retenti læsos â bufone curant. Et hic & ibi & illic similia similibus sociantur bono ægrotantium: vid. etiam Jacob. Wolff. *Scrutin. Amulet c. 2. Sect. 1. p. 319. it. Sylv. Boccon. Obs. curios. 16. p. m. 354.*

§. 22. An acumen aculei scorpionum foramen aliquod habeat, per qvod humor venenatus, pungente scorpione, transire possit, negat eqvidem Galenus *de Loc. affect. Lib. 6. cap. 5. f. 39.* admiratione, inqviens, dignus est scorpionis ictus, qui breviori admodum tempore gravissima infert accidentia, quippe cùm sese implicat aut perquam exiguum est, qvod injicitur, aut nihil omninò, nullô apparente foramine in ipsius aculeô: Cui tamen contradicit Franciscus Redi *de Generat. Insector. p. m. 124. seq. & p. 197.* ubi refert, se in acumine minutissimam & ferè invisibilem guttulam aquæ candidæ vidisse, idque sæpius observari, cùm irritatus motu scorpio ferire niteretur. Cui assentit Claudius Ælianus *de Animal. Lib. 9. cap. 4. fol. m. 187.* in scorpii aculeô, inqviens, meatus quidam sinuosus replicatur, adeo angustus, ut visu non percipiatur: in eoque venenum gignitur, contineturque qvod, cùm ille ferit, mox per foramen id quoque minus, quàm cerni possit, emanat. Et juxta Joh. Muraltum scorpii aculeus est recurvus, pilosus & cavus, venenô pollens. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 1. Obs. 66. pag. 166.* In Scorpionibus, in Insula Ceylon, leviter compressis observavit Hermannus Nicolaus Grimm, quod liquidi quid ex iis effluat, qui deinde liquor sulphureum lumen exhibet veneni sui ardentis sulphurei indicium, ut quis ab iis ictus, tanquam ab aquâ forti, vel oleô sulphuris, aut Vitrioli vel

*An Scorpii aculeus sit perforatus?*



cau-

cauterio actuali fuisse læsum se putet. *v. M. N. C. Dec. II. An. 1. Obs. 172. p. 407.* Oligeri Jacobæi verba de Scorpionum aculeô ita sonant: Apex seu acumen aculei durum valde & crustosum, an pertusum, microscopio armati oculi vix assequi potuerunt, adstipulante quoque Æliano, aculeum Scorpionis adeò insensibiliter perforatum, ut aciem oculi vel acutissimam eludât. Cuspide tantum velut acu ferire Scorpionem, Galenus dixit, sed experientiâ refragante, cum guttulam inde expressam vulneribusque post ictum immissam sæpius observaverim. In Spondylo seu articulo caudæ extremô vesica latet, qua ictu Scorpionis compressa venenum ejaculatur. vid. Act. Hafn. *Volum. V. Obs. 99. p. m. 263.* ubi variæ de Scorpione Observationes reperiuntur. Prolixè de hac materiâ agit Franciscus Redi *de Generat. Insector. pag. 124. seq.* Magna, inquiens, inter Scriptores Controversia est, an acumen aculei foramen aliquod habeat, nec ne, per quod transire humor venenatus, pungente Scorpione, possit: & certè acumen hoc usque adeò dextrè & tenuiter terminatur, ut impossibile sit oculis dijudicare, an ferè perforatum sit hoc acumen, nec ne. Galenus *Lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* foramen ibi nullum esse dicit. Plinius, Tertullianus, S. Hieronymus, Basilius, Ælianus & Græcus Nicandri Scholiastes Gorræus, Aldrovandus, multiq; alii moderni econtra pertendunt, Scorpiones non ferire tantùm Cuspide aculei, sed excernere etiam & in vulnera infundere liquidum quoddam venenum, & Magister Dominicus affirmat, venenum aculei Scorpionis liquorem esse candidum & tenuissimum. Poetæ tamen nigrum esse ajunt. Quare ut de veritate ejus rei mihi constaret, ex plurimis Microscopiis duo selegi, quorum subsidiô fretus, aperturam cuspidis aculei scorpionum Tunetanorum, Ægyptiorum & Italorum detegere conatus sum, sed frustra; Ac si fidem adhibere voluissem illis, quæ exquisitissima hæc Microscopia mihi amicisque meis exhibebant, non sine ratione aperturam ibi nullam esse affirmâssem: sed non contentus vidisse aculeum



um scorpionis Tunetani, premere occœpi, nullo fructu, cùm aculeus durissimus, & substantiæ crustosæ, qualis locustarum marinarum, tactui non cedat, nec ullâ ratione ita comprimi possit, ut quod cavitate aculei continetur foras prodeat. Incitatum irritavi scorpionem, ut ferri laminam sæpiùs percuteret; sed nullum ibi liquoris vel humidi signum reliquit. Cæterum cum in eô essem, ac jam ante fuissem, ut crederem, veram esse opinionem Galeni, casu accidit, ut in acumine minutissimam & fere invisibilem guttulam aquæ candidæ viderem, qualem postea multoties vidi, cùm irritatus motu scorpio ferire nitebatur. Et hinc colligit Franciscus Redi, verum esse, quod Ælianus & Græcus Scholiastes Nicandri dixerunt, affirmantes, aculeum scorpionis usque adeò insensibiliter perforatum esse, ut omnem oculi aciem foraminis illius structura effugiat. Antonius Leewenhoeck in Continuatione Arcanorum Naturæ detectorum repræsentat aculeum scorpii aperturâ quadrata præditum, eâ geminâ. v. Act. Erudit. Lips. *An. 1719. Januar. p. 14.* An vero scorpius post inflictum vulnusculum, relictô in plagâ aculeô, aufugiat, fieri non credit Simon Pauli *Digress. de Febrib. malign. §. 34. p. m. 60.* De foramine aculei in scorpione Africano videatur Observatio Antonii Valisnerii *Ephem. Acad. N. C. Cent. II. & IV. Obs. 31. p. 58. sq.*

§. 23. Exempla Scorpionum ictu læsorum varia hinc inde apud Autores extant, quorum nonnulla tantum allegare libet. Refert scilicet Antonius Benivenius *de abdit. morbor. caus. cap. 56. p. 215.* se famulum habuisse, qui â Scorpione ictus tam subitô ac tam frigidô sudore totô corpore profusus est, ut algentissimâ nive atque glacie sese opprimi quereretur. Verùm cùm algenti illi solam Theriacam ex vinô potentiore exhibuisset Benivenius, illicô curatus est. Sic meminit Marcellus Donatus *de Histor. medic. mirab. Lib. 1. cap. 9. p. m. 74.* quendam Campegium Bononiensem Scorpionis ictu maculis nigris conspersum, expellente naturâ unà cum malâ veneni qualitate nigram

*Exempla Ictus Scorpionum.*

gram bilem, quâ illius corpus affluebat, quod in multis aliis â Scorpionibus ictis nunquam se observâsse dicit. Scripsit etiam Johannes Pagnius in Academiâ Pisanâ Medicinæ Professor ad Franciscum Redi Tuneto, Mauros illius regionis constanter affirmare, nullum annum verti, quin ictu Scorpionum haud pauci numerò homines intereant, & venenum illorum terribilissimum esse, nec velocissimè modò, sed violenter etiam, & non sine gravissimis symptomatibus operari; Id quod ante aliquot annos mercator expertus est, qui in pede sinistrò ab istiusmodi animalculô percussus, non in parte modò læsâ, sed per omnem quoque coxam ad humerum usque punctiones sensit atrocissimas: & quanquam dolor esset acutissimus, totum tamen latus sinistrum stupere, deperditis viribus, conquerebatur, &c. Sequentem Observationem de Ictu Scorpionis lethali verbis Francisci Evangelistii communicat Josephus Lanzônus *M. N. C. Dec. III. An. 1. Obs. 20. p. 39. seq.* Elisabetha de Thirsanis sub fine Mensis Junii 1692. cum sese ad latrinam s. h. in locô præhumido sitam contulisset, â Scorpione, ibidem latente, icta fuit circa ultimas recti Intestini plicas. Atre inopinatâ perterrita me accersitum voluit, ut prædicta narrarent. Petii ab eadem, num esset certa, quod verè ictus Scorpionis fuisset, quem statim mortuum mihi ostendit, quia ad inflicto vulnere istum calceamentis contriverat. Interea ut mortem, quam imminentem arbitrabatur, evaderet, medica poscebat præsidia; Unde præcepi, ut locum sauciatum cum eodem Scorpione optime tritô fricaret, quod non permisit. Quapropter suffumigium, cum eodem animali perficiendum commendavi, quod factum fuit; quamvis pudibunda dilationem puncturæ, operâ Chirurgi peragendam, renuisset. Interea nulla seviora accidentia apparebant. Post duas horas â maximâ viscerum commotione, vomendi stimulo, sudore frigido, & quadam veluti lipothymia infestata denuò ad visitationem adstantes me vocant. Ego indicatione sumptâ à veneno



venenô repente ad superiora, hirudines ad locum sauciatum, unam post aliam, apponendas consului, & interim specifica alexipharmaca assumenda præscripsi, quæ omnia integrè peracta fuerunt. Post sex horas incidit in adeò perversum Intestinorum malum, ut omnia, quæ per os assumebat, statim evomeret. Unde cùm per superiora non posset dari medelæ locus, clysteribus, fomentis & unctionibus alexipharmacis & spiritus refocillantibus usi fuimus. Primus clyster vix injectus fuit, cùm jam per superiora redderetur, de certitudine Volvuli nos certiores faciens. Interea pluries animi deliqvia ipsam apprehenderunt, & post horas aliquot convulsa obiit. Ante triginta aliquot annos Virgo quædam Nobilis ex Prosapia de Schleiniz ex Domo Mückenbergensi, non procul a patriâ meâ Haynâ, tunc temporis desponsata Generoso Domino ab Erdmansdorf, Venatori summo Aulico nostri Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ, paucis ante institutas nuptias diebus ex improvisо â Scorpione, quorum quampluri-mos ipsius frater ex Italia redux secum apportaverat, in malâ seu gena sinistra paulò infra oculum ictu lædebatur, a quô intra paucarum horarum spatium mortis præda evadebat. Plures Observationes de Scorpionum ictu & alia notatu digna vid. Zacut. Lusit. *de Medic. princip. Histor. fol. m. 800. seq.* Sylvest. Boccon. *curiöse* Anmerckung. *Obs. 12. pag. m. 300. seq. & Obs. 13. p. 321. seqq. & hinc inde.* Johann. Schenck. *Observat. medic. Lib. 7. fol. m. 869. seq.* & Ambros. Paræi *Oper. Lib. 20. cap. 25. fol. 445.*

§. 24. De Aranearum & Phalangiorum generibus & morsu seu punctura vid. Eberh. Gockel. *de Venen. cap. 14. pag. m. 78. seq.* Hieron. Mercurial. *l. a. cap. 5. p. m. 35. seq.* Jac. Grevin. *de Venen. Lib. 1. cap. 23. pag. m. 98. seqq.* Sylvestr. Boccon. *l. a. pag. 285.* Epilepsiam ab aranei puncturâ in Nobili quodam annotavit Philippus Salmuth *Cent. 3. Obs. 35. pag. m. 127.* Fœmina quædam ribesia comedens inter manducandum ictu quodam supra maxillam superiorem in sinistro latere afficitur, hinc *Aranearum.*

Cc mox

mox assumta rejiciebat ex ore, inter quæ conspexit araneam minorem viridem, quam cum ribesiis non admodum probè purgatis assumserat. Post octiduum vocatus Medicus, Godofredus Schulzius, invenit faucium dolorem insignem, ardentem & fere intolerabilem, inflammationem Palati, rigorem totius corporis, cum Calore continuô, tinnitu & surditate auris sinistræ atque vigiliis, &c. v. M. N. C. *Dec. III. An. 2. Obs. 73. p. 89.* Ab araneâ demorsos duos observavit Dominicus Panarolus, quorum primus cùm per septem dies totus frigidus esset, nihil interim juvantibus alexipharmacis remediis, octavô die mortuus est; secundus vero, cùm internè ureretur, externè frigesceret, motumque quendam convulsivum pateretur, septimô die judicatus est. v. Dominic. Panarol. *Pentecost. I. Obs. 45. p. m. 27.* Araneæ ictum lethalem observavit etiam Salomon Reiselius, & quidem in Virô robustô, qui, dum in hortô esset, in Collo aliquid titillans sensit atque eò delapsam araneam tetigit & compressit, unde ardere & pungi sentiebat. Talia verò non advertens alterô die abiens ruri hilariter bibit, tertiô inflammatio Colli, quartô etiam pectoris accedit cum deliquiis; cui Tonsor Nutritum Lithargyrii imposuit; quintô accedens Medicus sudores præcipit & Theriacam imponit; sextô moritur. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 87. p. 176.* Aranei ictum foliô Salviæ nobilis, cujus fruticis superiori parti hoc insectum antea insederat, in seipsô sanavit Georgius Hieronymus Velschius *vid. M. N. C. Dec. I. An. 8. Obs. 35. p. 66.* In Sardinia reperitur Araneæ genus, Solifuga dictum, patriô nomine Bargia vel Vargia. Dum tales araneæ hominem pungunt, corpus totum intumescit cum inquietudine & tremore spasmodicô. Medela est defossio in fimum calentem aut in clibanum immissio, quoad calor tolerari potest. Quod ni maturè fiat, intra paucas horas moriuntur. vid. Sylvestr. Boccon. *Observ. curios. 12. pag. 352.* Plura ictûs aranearum exempla vide etiam Joh. Schenck. *Observat. medic. Lib. 7. fol. m. 871. seq.* Sylvest. Boccon. *l. a. pag. 239.* De araneô,



neô, Democulo, tam crasso corpore pollente, ut pugnum hominis magnitudine referat v. Act. Erudit. Lips. *Supplem. Tom. I. Sect. 1. p. m. 39.*

§. 25. Datur adhuc alia Aranearum species in Apuliâ, *Tarantulæ.* quam Tarantulam vocant, & quidem exinde, quia hæc aranei species præcipue circa Tarentum, Apuliæ civitatem, reperitur, atque utplurimum inter segetes & campos latet. v. Jac. Grevin. *l. a. p. 103.* Reperitur etiam Tarantula in Siciliâ, Neapoli vicinisque locis, atque morsu suo, nisi trita quoque confestim imponatur, Tarantismum inferr. Ab hoc demorsi mirabilia patiuntur symptomata & ferè omnia, quæ ab aliis araneis & scorpionibus excitantur; præter illa autem adhuc aliquod peculiare, scilicet quòd, quando Tarantula momordit aliquem, in eô statu & opere, in quo invenit, semper eum conservet, usque quò venenum è corpore pulsum sit; ita ut si mordet aliquem ambulantem, semper ille ambulet, si tripudiantem, semper tripudiet, si ridentem, semper rideat. vid. Hieron. Mercurial *de morb. venenos. & venen. cap. 6. p. 36.* ubi ita pergit: Utrum hoc verum sit, ego affirmare non audeo, sed qui in Apuliâ versati sunt, illud pro certô affirmant, & aliquando vidi quendam, qui perpetuò saltabat & dicebat, sese commorsum â Tarantulâ; sed cùm a Prætore esset captus & funi alligatus, curatus fuit. Tarantulam araneam majusculam magnitudine superare, sed formâ esse simili, nigris maculis distinctam, scribit Thomas Bartholinus *Histor. medic. Cent. 6. Histor. 35. p. m. 258.* ubi quoque refert, Monachum quendam Capucinum â Tarantulâ morsum semper lætum fuisse & ignarum antè artis gladiatoriæ, eô tamen paroxysmô etiam Magistros in arte vincere visum fuisse. De Tarantulâ ejusque venenô sequentia refert Autor du Journal des sçqvans *Tom. 6. pag. m. 434. seq.* La Tarantule est une espece d'Aragnée, qv'on appelle ainsi du nom du Territoire, de Tarante, qui la produit. Le Venin, qvecet Animal communique par sa morsure produit. Des effets si surprenans & si con-

ſi contraires entre eux, qu'on auroit de la peine à les croire, ſi une infinité d'experiences neles rendoient tres-aſſeurez. Parmi ceux, qui en ſont piquez, les uns ne ſçauroient dormir, on ne ſçauroit éveiller les autres, les uns forment de continuelles plaintes, les autres rient toûjours, quelques-uns grincent des dents & viennent juſqu'a la rage, quelques autres au contraire chantent & danſent ſans ceſſe. Aux uns ce Venin cauſe des Vomiſſemens, aux autres des ſueurs abondantes, &c. & à quaſi tous une forte paſſion pour les couleurs, mais differements, ſibien que le rouge plaiſt à l'un, le verd contente l'autre, le jaune en réjoüit pluſieurs. Mais ce qu'ilya de bien particulier en ce Venin, c'eſt que comme il eſt gluant n'eſtant que l'humeur ſalivaire de cette aragnée, il fixe d'abord l'imagination, que l'on a, quand on eſt piqué, de ſorte, que ſi un homme ſ'imaginoit d'eſtre Roy en ce moment, cette agreable imagination ne le quitteroit qu' avec le venin. Par la même raiſon dela viſcoſité, ce venin ne fait pas d'abond reſſentir aucun mauvais ſymptome, mais dans la ſuite, qui eſt quelque fois d'une année entiere, ce venin caché eſtant ſubtiliſé & eveillé par la chaleur du Soleil acquiert du mouvement & de l'action & produit differens effets ſouvant les parties, qu' il infecte. Si ce venin bouche par ſa viſcoſité les Nerfs dans leur concours au cerveau, les Eſprits animaux ne pouvant deſcendre aux Organes, ils demeurent endormis, au contraire ils cauſent des veilles continuelles, ſi ce venin par ſon activité tient toujours les Nerfs ouverts, par an cès mémes Eſprits peuvent deſcendre ſans discontinuation. En corrompant la Bile ce Venin cauſe les fievres ardentes, & ſe joignant avec les Eſprits à l'origine des Nerfs il picote extraordinairement les Muſcles, & par ſe picotement parte le malade à geſticuler & a danſer, lors principalement que ces Eſprits y ſont excitez par quelques airs de Muſique convenables au temperement du malade & à la qualité du Venin. Et c'eſt par là



là que la Muſique eſt le ſouverain & l'unique remede pour ce mal. Car le malade danſant avec violence au ſon de l'Inſtrument & même avec juſteſſe quand il ne l' auroit jamais appris, le Venin ſort avec la ſueur. Que ſ'il en reſte quelque petite partie, c' eſt un levain, qui cauſe periodiquement les mêmes Symptomes, d' où vient, qu'on voit des perſonnes, qui en ſont incommodée les 40. & les 50. années &c. vid. etiam Joh. Mich. Fehr *d. Scorzoner. p. m. 127. ſeq.* & Georg. Chriſtoph Petr. *de Cardwo bened. p. 221. ſeq.* ubi ſcribit: Tarantula Tarenti accolas dentibus, non aculeis, ut apes, infeſtat: ex morſu venenum per totum corpus usque ad Cor diffunditur: unde ſtupendi affectus emergunt: ſiquidem alii perpetuò discurrunt, clamitant & ſaltant, alii rident, alii plorant: alii dormiunt, alii vigilant: alii ſudant, vomunt, tremunt, pavent: alii phreneticis, lymphaticis aut maniacis ſimiles evadunt. Qualium affectuum diverſitas non tam à vario horum animalium veneno, quàm ex diverſo ictorum temperamento provenit. Mirabile eſt, venenum hoc non ſtatim, ſed poſt anni revolutionem ſuam ἐνέργειαν exſerere. Videas hic honeſtisſimos viros pudicisſimasque matronas, ſcurrarum & inſanorum inſtar, poſthabitò omni pudore, ſciſſis & abjectis veſtibus indecorè ſaltare. Paulò ante hæc tripudia appetitus dejicitur, febres ardentes & artuum dolores læſum invadunt, atrophia, cachexia & ictericius in facie color apparet. Nonnulli flavum, rubrum, viridem aut alium colorem durante hoc ſaltu affectant: alii pedibus penduli fiunt; alii proni in terram procumbunt & mille aliis modis inſaniunt, &c. A Tarantula demorſos morte per lethargum occupari, inquit Hieronymus Cardanus *de ſubtilitat. Lib. 9. fol. m. 277.* unde etiam contra ejusmodi ictum Muſicam commendari addit, ſeu quod illâ dormire prohibeantur, ut tubarum ſtrepitu, ſeu, quod optimum eſt, ad ſaltandum incitentur icti; nam ſaltando Veternus discutitur, ac cum eô ſimul venenum, quod naturâ frigidisſimum eſt. &c. Licet etiam diverſimodè, & quidem fortaſſe ex

ex diversitate Temperamenti. In ictis ab hoc animalculô varia observantur symptomata, nempe cantus, risus, ploratus, saltus, somnus, vigiliæ, sudor, tremor, pavor, vomitus & super omnia mania, tamen communiter, ut docet experientia, Musicis Instrumentis sanantur juxta Dominic. Panarol. *Pentecost. 5. Obs. 44. p. 172.* Hujus veneni etiam proprium esse, ut aquæ aversationem inducat, inquit Daniel Sennertus *Institut. medic. Lib. 2. Part. 3. Sect. 2. Cap. 4. p. m. 430.*

*Differentiæ Tarantularum.* §. 26. Varia etiam de Tarantula annotata legimus in Sylvestr. Bocconis *Observat. curios. 12. pag. m. 284. seq.* siquidem, uti refert, duæ imprimis aranearum maximè noxiarum species in Insulâ Corsicâ deprehenduntur, quarum altera ictu, altera morsu hominem lædit; hæc corpus habere rotundum, nigrum maculisque rubicundis ornatum, atque interdum Ciceris magnitudinem superans: Morsusque hujus araneæ omnibus Corporis partibus frigus intolerabile cum dolore & spasmô, ut & totius Corporis tumorem inducit. Illa verò, quæ ictu lædit, telas non conficit, sed in locis infœcundis, arenosis & lapidosis repit. Corpus ipsi est instar majorum formicarum, rubrum maculisque nigris & albis notatum, & pedibus pilosis & parvis præditum. Qvi ab hac araneâ læditur, statim in cute pruritum aut ardorem percipit; paulò post verò venenum hoc se magis extendens ad nobilissimas Corporis partes permeat, carnemque reddit cœruleam & maximum causatur spasmum, adeò ut totum corpus externum instar glaciei gelascat. Quandoque totum corpus cum dolore intumescit: nounullis etiam Urinæ & alvinarum fœcum excretionem supprimit. Plura de his araneis *ibidem p. 94.* reperies. *it. Obs. 14. p. 325. seq. & Obs. 15. p. 338.* Venenum a Tarantulis communicatum majores dolores majusq; periculum efficit redeunte tempore vulnerationis, juxta Joh. Nic. Martii *Tr. de Magia natur. cap. 2. p. 34.* Alia de Tarantulâ & Tarantismo vid. Dan. Sennert. *Pract. Medic. Lib. I. Part. 2. cap. 17. p. m. 444. seqq.* Casp. Theoph. Bierling. *Adversar. curios. Obs. 82. p. m. 214.*



*214. seq.* Balduin. Ronss. *Epistol. medicin. 15. p. m. 59.* Philipp. Camerar. *Hor. subcisiv. Cent. II. cap. 81. pag. 317.* Musæum Calceolarian. *Sect. 6. f. m. 666. seq.* Integrum caput de Tarantismo, ejusque signis, causa, Curaque per certum tonum Musicum, Introductioni suæ in Universam Medicinam *Patholog. Sect. 10. cap. 8. p. 416. seq.* inseruit Michael Alberti. Et Benjam. Scharffius *Descript. Juniper. cap. 15. pag. m. 212.* inquit: animal venenô homini nocens est Tarantula, veteribus Phalangium dicta, cujus venenum exiguâ qvantitate ex ipsius ore primò quidem in superficiem, deinde verò in totum corpus defertur, illudque afficit, variasque insuper & admirandas noxas excitat, vitamque ipsam qvandoque adimit. Quæ autem sit ratio, ob qvam venena Tarantularum tam varios in corpore humanô producant effectûs, meritò consideratione dignum est. Nonnulli enim â Tarantulâ demorsi cursitant, nonnulli saltant, alii rremunt, alii sudant, alii insaniunt, quidam plorant, quidam rident, hi dormiunt, illi vigilant, pleriqua certò quodam colore delectantur, omnesqur nullô aliô medicamentô felicius, quâm Musicâ, curantur. Dicta autem symptomata allegatus Autor a diversis hominum temperamentis & constitutionibus naturalibus & â diversis venenorum Tarantularum qualitatibus deducit. &c. vid. etiam Jul. Cæs. Scalig. *de subtilitat. Exercitat. 85. p. m. 580. seq.* De hoc Tarantulæ ictu ita scribit Georgius Abrah. Merculinus *de Transfus. sangvin. cap. 7. p. m. 96.* Tarantula morsu, cum virosô humore, quandam potentiam animæ suæ, quæ ibidem ad habitudinem materiæ divisibilis habetur, in hominem simul transfert, hincque ei non modò amorem ejusdem rerum coloris, quô mordens bestia nitet, ingenerat, sed & facit, ut Tarantismô affectus eodem Musicæ modulo delectetur, & ad choreas invitetur, ad quem Tarantula, quæ morsum inflixit, tripudiare solet. Exemplum Tarantismi refert Simon Aloysius Tudecius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obs. 116. p. 281.* Anno, inquiens 1656. Mense Juliô, dum cum Serenissimâ Christina, Reginâ Sveciæ, Marsiliam proficisci

cisci parâssem, in portu Civitatis Veteris (vulgò Cività Vechia) hominem veluti mente captum, ad certum Citharæ & fidium sonum, gladiò evaginatò, varia Corporis agitatione & ridiculâ jectigatine saltantem conspexi, ita ut risum mihi meisque sociis, rei ignaris, excitaret: ast â quodam saltatoris familiari commiseratione potiùs, quàm ludibrio hunc miserum dignum esse admoniti labiis commorsis cachinnos compressimus. Causam ex illô virô hujus tam lepidi saltûs sciscitantibus, pluribus eum spectantibus, nobis exposuit. Ex multis â Casparô Schottô recensitis, quæ hos miseros, post coactam defatigationem jamjam in Lipothymiam cadentes refocillare solent, huic objecta fuit vestis rubri panni, sive subucula, & vasculum aquâ plenum; ab his enim ferè exanimis novas ad saltum recuperabat vires, & invitus calamitosus usque ad occasum solis, subinde refectus, ducebat choreas; Qvibus finitis, post aliqualem quietem, cibò & potu vires aliquantum restaurabat, nocteque somno sat placidô fruebatur. Mox sole suprà Horizontem ascendente ad consvetum saltum & dictum Tarantismum redibat; quem integrô triduô continuabat, quô demum elapsô dissipatoque sic venenô, mente præsens ad sua obeunda munia iterum accessit; Paroxysmô singulis annis, circa illud nimirum tempus, quô demorsus fuerat, redeunte. Fuit vir ille, propriâ Confessione, ex Provincia Apuliâ, Patriâ Tarentinus, quintum jam Paroxysmum perpessus, qui solùm in Apuliæ incolas has bestiolas sævire, illosque suo mirabili venenô infestare ex maledictione cujusdam Presbyteri asserebat. Hic enim cùm ad moribundum quendam S. S. deportaret viaticum & incolæ Choreas in forô ducentes ad modestiam & cultum diuinum admoniti se componere nollent, iis imprecatus ipsis est, ut pœnam irreverentiæ commissæ triduanô saltu petulci luerent; & culpam hanc avorum suorum posteri in hodiernum usque diem luere coguntur; uti ex Kirchero & Schottô refert. Integrum etiam Tractatum de Ictu Tarantulæ scripsit Her-

*Tarantismi ortus.*



Hermannus Grube, in quô varia, imprimis de vi musices, in ejus curatione reperies. Richardus Mead de venenis sequentia de Tarantulis refert: Tarantulæ ex ore prominent bina jacula instar forcipum hamatarum, vel chelarum cancrinarum, quæ venenum in vulneratam Cutem immittunt, qvod sangvini ex Climatis calore exaltato admistum, texturam atque crasin ejus alterat, & impetum ad partes auget, in specie fluidum nerveum in varios undulatorios motûs cogit, similes illis, quos variæ objectorum impressiones excitant: hinc modò lætabundi, modò tristes observantur ægri. Sub quâ alteratione coagulatur certo modô sangvis, quemadmodum fœminæ, quæ in calidâ hac regione Chlorosi, i. e, arteriarum infarctu & circulatione sangvinis tardiore laborant, eadem patiuntur symptomata, eâdem iterum, ac tarantati, methodô sanitati restituuntur. Musica, præterquam, quòd voluptatem excitet & mentem disponat, ut copiosiores spiritus animales ad partes ableget, hasque ad motûs & saltûs cogat, qvibus per sudorem magna partium inflammabilium copia eliminatur; ex eô etiam capite â tarantulâ ictis opem fert, quod repetitæ aeris percusſiones Corporis membranas, imprimis aurium, afficiunt & Cerebri his continui membranis & vasis communicant; unde Cohæsio partium sangvinis p. n. dissociatur & coagulatio solvitur, ita ut, calore per sudores temperatô & coagulatione per fibrarum muscularium contractiones destructâ, æger pristinæ conditioni restituatur: ad quod determinatus impulsus & particularis modulatio, per harmoniam Instrumentorum musicorum inducta non parum tribuit. Quemadmodum enim in omnibus hominibus non eadem est membranarum tensio, ita non ad omnes singuli sed ad determinatas afficiuntur modulationes, eôdem modô, ac una chorda percussa non omnes, sed æquè tensas ad undulationem perducit, & vitra non ad omnes, sed determinatas voces diffringuntur. vid. Act. Erudit. Lips. *An. 1704. Mens. Mart. p. m. 132. seq.* Hæc tamen Richardi Mead sen-

 tentia

tentia Eliæ Camerario displicet, qui *Dissertat.Epistol.phys.med. Epist.2,p.m.22.* ita scribit: non diffiteor, me non videre evidentiam illam in modis agendi venenorum a Dn. Mead assignatis, qualis quidem conveniret principiis mechanicis ac Geometriâ nixis. Venenum Tarantulæ situm globulorum sangvinis dicitur pervertere, qui inter se conhærentes motum ejus turbent, sic sangvinem inæqualiter ad partes deferri, ad cerebrum cumprimis, istasq; turbas spiritibus communicari, qui se in omnes mox, quas actuent, partes diffundant; Hinc ɛta, levissimam aliàs in sensibus factura impressionem, spiritûs adeò agitatos tam vividè percellere, ut omnes alias negligant impressiones. Sunt verò ista generalia; aliæ sanè tam singularis delirii rationes inquirendæ. Quoties quæso globuli sangvinis cohærent, quoties ejus motus turbatur, istiusque turbatio ad spiritûs extenditur, sine subsequente ullô deliriô; nec clariora illa sunt, quæ circa Musicæ in hôc malô efficaciam profert. De Musicæ virtute contra viperæ & Tarantulæ ictum vid. Zacut. Lusitan. *de Medicor.princip.Histor. Lib.5.fol.m.790.* Edidit etiam I.W. Sengwerdius Tractatum de Tarantulâ, in quô præter ejus descriptionem, effectus Veneni Tarantulæ, qui hactenus fuere occultis qualitatibus adscripti, rationibus naturalibus deducuntur & illustrantur. v. Henr. Oldenburg. *Act. Philosoph. Anglic. Mens. April.1668.pag.m.547.seqq.*

*Cura Tarantismi.* §. 27. Robertus Boyle *de Utilit.Philosoph.experiment.Exercitat. 5.§.5.seq.p.m.318.* ita de Curâ Ictus Tarantularum scribit: Utut symptomata illa tremenda, quæ morsum aranearum virulentarum, Tarantularum, seqvuntur, morbique inde resultantes formidabiles, omnia cæteroquin remedia reddant irrita, veneno tamen huic Musica optimô cum successu opponitur. Tonus enim determinatus, aut alius naturæ corporis ægrotantis speciali conveniens, venenô talem motum producente aut motus spirituum vel humorum vel utrorumque determinante, spiritus qvasi in nervos & musculos commotioni membrorum destinatos conducens, ægrotantem saltare & chore-



choreas agere impellit, donec obruatur sudore, qui exspirat plurimum materiæ, ejectioni probabiliter idoneæ, per mutationem quandam Texturæ motûs vel sangvinis Musicæ beneficio elicitam. Si enim sudor duntaxat & Exercitatio, quà tales, subsidio sint laboranti, quare sudorifera quædam & saltatio sine musicâ fidicium vices subire non possint, non video; quorum tamen tanta est necessitas, ut referente Kircherô *Musurg. Lib.9.cap.4.* Apuliæ Magistratus reficiendis hôc malô affectis, Musicos ordinarios Stipendiis publicis alere soleat. Neque ille solus narrat Historiam Roberti Pantari, Nobilis, Tarantulæ morsu læsi, cujus morbus, causâ incognitâ, nullis remediis sanari potuit, donec mortis è faucibus, Musicâ auditâ, subitaneâ & firmâ curâ ereptus fuerit; sed insuper Epiphanius Ferdinandus in Observationibus suis de Ictibus Tarantularum, Matthiolus etiam aliique Autores, testes oculares plenissimam hujus rei fidem faciunt. Tonum autem, pergit idem, quendam, non simplicem quidem, sed modificatum, in spiritus & sangvinem potenter operari posse, ipse ego, Musices Cultor insignis, sæpissimè ad notarum certarum auditum meô exemplô expertus sum. Idem probabile redditur & ex iis, quæ prius de Dentium & Gingivarum motu stridore quodam concitatô dixi, & ex ipso saltandi affectu, quem non quivis, utut sonorus, sed determinatus sonus, in ægrotô â Tarantulis morsô excitat: quod ut clarius appareat, audiamus Kircheri Testimonium, quo ipsas Tarantulas non minus, quàm ab ipsis læsum, sonitu constitutioni suæ consentaneô ad saltationem commoveri asserit: Ubi sonatores, qui Musicâ suâ hoc malum etiam publicis Magistratûs stipendiis ad pauperum remedium solatiumque conducti curare consveverunt, ad curas patientium certius faciliusque accelerandas, primò ex Infectis quærere solent, ubi, quô locô aut campô aut cujus coloris Tarantula erat, â quâ morsus ipsis sit inflictus. Quô factô indicatum locum protinus, ubi frequentes numerô atque omnis generis Tarantulæ

 retium

retium texendorum laboribus incumbunt, accedere solent Medici Citharœdi, variaque tentare harmoniarum genera: ad quæ (mirum dictu) nunc has, nunc illas saltare, non secus ac duorum polychordorum æqualiter concinnatorum, personatione illæ chordæ, quæ similes sibi fuerint tonô, & æqualiter tensæ moventur, reliquis immotis, ita ut pro similitudine & conditione Tarantularum nunc has, nunc illas, saltare comperiant. Cùm verò ejus coloris Tarantulam, quæ â patiente indicata fuerit, in saltum prorumpere viderint, prò certissimô signô habent, modulum se habere verum & certum, humori venenoso τῦ ταραντίζοντος proportionatum & ad curandum aptissimum, quô si utantur, infallibilem curæ effectum se consequi assueverunt. Ex allegato Epiphanio Ferdinando ibidem dictus Boyle etiam refert, virum quendam nonaginta quatuor annorum, senectutis infirmitate citra scipionis fulcrum incedere nescium, Tarantulæ morsu affectum immediatè ad Musicum tonum capræ instar saltâsse; item affirmat, Citharæ, Fidiculæ, Tympanuli puerilis &c. sonitu Tarantulas ipsas ad saltationem concitari; sed hocce credere recusantes ad αὐτοψίαν provocat, additque, jucundô & memorabili exemplô, non solos homines, quorum phantasiæ multa accepta ferri possunt, sed bruta etiam morsu hoc infecta, eâdem prorsus ratione ad saltationem incitari: se enim vidisse assueverat Vespam, quæ dum Citharœdus fidibus caneret, â Tarantulâ mordebatur, ludicrô spectaculô unà cum Tarantulâ ipsa saltare susceperit: Gallos venenô Tarantularum læsos idem facere testatur. Hactenus Boyle. De Musices contra Tarantularum morsum effectu, & de ipsis Tarantulis varia recenset Georgius Francus *Differt. de Music.* §. *37. seqq. v. Ejusd. Satyr. med. p. m. 495. seqq.* Plura ex Athanas. Kircher. Mund. magnet. refert Cornelius Stalpart von der Wiel *Observat. rarior. med. Cent. I. Obs. 100. Sch. p. m. 424. seqq. it. alia p. 438. seqq.* Ubi Tarantulas depingit. De Anatome, morsu & effectibus Tarantulæ dissertationem edidit Georgius Baglivus, ubi non modo



do varias historias, sed alia etiam curiosa reperies. Negant equidem nonnulli morsûs Tarantulæ effectum; quem tamen defendit Martinus Lister *Exercitat. medicin. de Morb. Chronic. p. m. 151.* his verbis: Ab aranei Pulicis morsu, Tarantula dicti, assidua oritur saltandi cupiditas; neque istiusmodi araneorum gressus alius est, quàm, more pulicum, de locô in locum saltatio. Illud quidem non ignoro, â quibusdam etiam doctis viris pro fabulâ haberi; at mihi certè non ita, cui araneorum mores, cœteris paulò diligentius perspecti sunt: imò, id genus araneorum in fervidis, Calabriæ puta, regionibus, dari posse, â quibus perniciosissimi morsus inferri possunt: Rerum equidem naturæ historia tantum incepta est, adeoque nihil miror illud & id genus infinita alia phænomena nos latere & non sine injuriâ suspecta esse. Ex Adami Olearii Itinerariô Moscovitico-Persicô meminit etiam Robertus Boyle *l. a. Exercit. 2. §. 36. p. m. 145.* Insecti cujusdam venenati apud Persas, ab Incolis Encurek dicti, quandamque Tarantulæ speciem habentis; siquidem hæc bestiola figurâ & maculis aranéam imitatur, quamvis mole suâ pollicis magnitudinem bis excedat: Insectum hoc aculei aut morsûs locô venenum sub guttulæ aqueæ formâ emittit, quô repentè excitantur dolores intolerabiles in parte læsâ; quinimò venenum concitatô cursu ad ipsum stomachum penetrando, vapores exinde ad caput demittit, qvibus rursum, (secundum dictum Autorem) omnibus laborantis hôc malô membris somnus inducitur adeò profundus, ut suscitari inde nullô remediô valeat, unicô, duntaxat exceptô, quô scilicet aliquod ex hisce Insectis super ipsô vulnere contusum omne venenum exhaurire solet. vid. etiam Sylvest. Boccon. *Observat. curios. 12. pag. m. 299. seq.*

§. 28. De Apum, Muscarum & Vesparum ictu seu punctu- *Apum, Muscarum & Vesparum Ictus.* râ variæ apud Autores occurrunt Observationes, dum Apes Vespæ & Crabrones aculeis suis dolorificè pungunt, ac liqvore, instar aqvæ fortis acri, poris summè disproportionatô partes

partes sensiles summè vellicant, ut spasmus, tumor & inflammatio oboriatur. Exempli gratia, incauti pueri ad solem circa alvearia decumbentis Apis aculeô pungit supercilium. Secutô dolore pars in tumorem & inflammationem ingentem est elevata, tandemque malô usque ad tempora serpente, Gangrænâ est occupata, teste Zacutô Lusitanô *de Prax. medic. admir. Lib. 3 Obs. 83. Oper. Tom. III. fol. m. 115.* Mercatorem Monspeliensem quinquagenarium, cùm summô manè ex urbe egressus esset, peregrè discessurus, & mille passuum iter ab urbe perfecisset, examen apum in aere volitans subitò invasit, & totam faciem ac cervicem infinitis aculeis compunxit; unde statim dolores gravissimi exorti sunt, qui eum domum repetere confestim coegerunt. Post varia medicamenta, imprimis theriacalia, frustra ferè adhibita, reqvisitus Medicus, Lazarus Riverius, animô revolvens, non solum apes parti admotas venenum attrahere, & dolorem sedare, sed etiam alia Muscarum genera, existimavit, Cantharides dupli ci nomine conferre posse, tum quòd inter Muscarum species numerentur; tum etiam, qvòd attrahendi vi potentissimâ præditæ sint. Et cùm Emplastrum Vesicatorium, quod in officinis habetur, magnam Cantharidum copiam in suâ compositione recipiat, ex eô paratum Emplastrum auri admovet, quod intra horæ quadrantem dolorem omninò submovit, vesicis non excitatis propter moram exiguam. v. Lazar. River. *Obs. med. Cent. 3. Obs. 14. p. m. 195.* Georgius Hieronym. Velschius æstate quadam Vespam grandiorem circa caput in Musæo obvolitantem pileolô percussam ita prostravit, ut volare ulterius non posset, sed tamen viveret, mox autem arreptâ forficulâ, quæ ad manum erat, crura, ales, caput & corpus ἔντομον discidit, atque partem unam post alteram acui microscopicæ infixum diu contemplatus est; postrema pars venter erat, cui inerat aculeus, quem cum attingeret, nullô periculi metu, hunc digito indici dextræ manûs statim infixit integrum, ut ingenti dolore sub cute cerni potuerit; tumor statim



statim & inflammatio, non cessatura, antequam aculeus extractus esset, cum magnô dolore sequebantur. Quæ tamen symptomata, applicatô Salviæ nobilis foliô unô alterove disparuere. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 8. Obs. 35. p. m. 65. seq.* De se ipso scribit Petrus Pacheqvus, quòd, cùm Vespa ipsius manui aculeum fixisset, dolor adeò sævus exortus sit, ut impar esset ad ferendum malum, qui tamen cruciatus admotâ Theriacâ in momento cessavit. v. Lazar. River. *Observ. a Pacheqvo communicat. Obs. 6. p. m. m. 262.* De admirando affectu ex ictu Vespæ exorto v. Gvil. Fab. Hild. *Cent. 6. Obs. 87. seq. Oper. fol. 613. seq.* Ab ictu Vespæ in Metacarpiô sinistræ manus, Uxor Baldassaris Timæi â Güldenklee dolore adeò vehementi afficiebatur, ut noctes aliquot insomnes duceret; accessit & brachii totius tumor & rubor cum pustulis parvis & mordicantibus. Impositô, suasu hortulani, muscô terrestri, dolor equidem remittebat, materiâ scilicet illâ venenatâ per muscum frigidum & adstringentem ad interiora repulsâ, in Pleuritidem ejusdem lateris & febrim malignam incidebat cum insigni præcordiorum angustiâ, respiratione difficili, vigiliis, siti inexplebili, aliisque symptomatibus gravissimis, â quibus tamen liberabatur. v. Bald. Timæi â Güldenkl. *Lib. 7. Cas. 17. p. m. 322. seq.* Cùm Matrona quædam â Vespâ punctionem circa Carpum sinistrum accepisset, protinus dolor ingens in locô affectô exortus est, qvi, superveniente Lipothymiâ, per totum corpus expansus & acerbior factus est, teste Gvilielmô Fabriciô Hildanô *Observ. Chirurg. Cent. 4. Obs. 77. Op. f. 349.* item Ulcus insanabile ex puncturâ Vespæ circa juncturam Mandibularum consecutum idem annolavit *Obs. 78.* Præter dolorem & inflammationem insignem â puncturâ Vespæ circa Metacarpium in Matronâ nobili supervenit febris ardentissima & Phrenesis &c. *Observat. 79.* Imò Gangrænam ex Vespæ punctione *Observat. 80.* idem Autor observavit; Philippus Ludovicus Kuczerus ex improvisô â Vespâ ictus insigni tumore manûs & brachii cum intentissimô dolore affectus, non nisi ab Oleô scor-

ſcorpionum Matthioli compoſitô levamen ſenſit, juxta Eberhard. Gockel. *Conſil. & Obſ. medicin. Decad. 6. Conſil. 19. p. m. 445. ſeq.* Ruſtica quædam fœmina â Veſpâ puncturam in facie ſub oculô dextrô paſſa eſt, ex quâ protinus natus eſt dolor & inflammatio; quæ non ceſſavit, niſi per abſceſſum; quô ruptô ortum eſt ulcus, quod difficulter ſanatum eſt, & non niſi trium menſium ſpatiô; annotante Joſepho Lanzono. *v. Ephemerid. Academ. Natur. curioſ. Cent. I. & II. Obſ. 64. p. m. 135.* Durlaci vidit Roſinus Lentilius æſtate mulierem capite & oculis prætumidis, in mediô frontis obſervabatur punctura Veſpæ; ſumma aderat inflammatio cum dolote vix tolerabili. Dabantur intus alexipharmaca, theriacalia, & quæ febribus inflammatoriis, qvarum typum morbus præ ſe ferebat, opponi ſolent: Foris Gangræna jam præſens cura Chirurgi fuit ſublata. Cutis totius frontis intra paucos dies ad Cranium usque vel oſſa frontis abſcedebat, & multis abinde ſeptimanis demum ex orci quaſi faucibus eripiebatur ægra, relictis tamen in fronte fœdis Cicatricibus. v. Roſin. Lentil. *Paralelism. ad An. 8. Dec. 1. M. N. Cur. Obſervat. 35. in Ephemerid. Academ. l. a. Append. pag. 204.* ubi ita pergit: Eodem tempore petitus ictu tali laterum coctor juvenis in dextrâ colli parte; Tumor ſurgebat immenſus, totam dextri pectoris regionem occupans, valdè terribilis. Idem eodem tempore ruſtico cuidam contigit. Omnes tamen per Dei gratiam, licet ægré, cute ſemper abſcedente, curati. Credibile eſt, per certos annorum circuitûs Inſectorum morsûs magis noxios ac venenatos eſſe, quaſi tunc præditi eſſent Sale volatili acriori & magis corroſivô. Nos in ea ſumus opinione, creata cumprimis â ſapientisſimô mundi Conditore plura Inſecta, ut atomos deleterias & impuras, Contagiones peſtiferas alioqni producturas, ceu conveniens ſibi pabulum attrahant ex aere, ſicque ab ejusmodi miaſmatis äerem purificent, ut innoxia ſit ejus in hominem juxtim atque pecudum Corporibus reciprocatio: ſic ut curioſius inquirere deſinant in cauſſam, cur Deo

ſit



ſit viſum, inſecta, quorum adeò nullus ſit in orbe uſus, ut multis potiùs modis noceant, creare? Cauſa autem, cur ab ictu Veſpæ pesſima hactenus recenſita & alia emergant ſymptomata, Johannes Dolæus hanc reddit, quia â tali ictu ſolæ læduntur fibrillæ ramoſæ, vid. ejusd. *Epiſt. 2. ad Waldſchmid. p. m. 68.* De Veſparum & Erucarum morſu vid. etiam *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 194. p. 314. ſeq.* Paræi *Oper. Lib. 20. cap. 26. fol. m. 445.* Eberh. Gockel. *Conſil. 19. p. 214. ſeq.* Sylveſtr. Boccon. *Obſ. 12. p. m. 313 ſeq.* De aculei apum cavitate ita ſcribit Johann. Muys *Prax. Chirurg. ration. Decad. 2. Obſ. 2. p. m. 96.* Apum aculeos cavos eſſe, nemo mirabitur, qui unquam vidit tubulos vitreos arte confectos, quibus utuntur ad ſangvinem aliosque liquores per Microſcopium examinandos & conſpiciendos, quandoquidem illi, licet pilô tenuiores ſint, cavitate tamen aliquâ notantur. De morſu Apum vid. etiam Zacut. Luſit. *Medic. princip. Hiſtor. Lib. 5. Hiſt. 10. f. 836.* & de Cantharidum veneno, idem *l. a. Hiſt. 9. f. 835.*

§. 29. Ex Acarô non modo gravisſima orta ſymptomata, ſed ipſam quoque mortem, annotavit Gvilhelmus Fabricius Hild. *Cent. 1. Obſ. 96. p. m. 121.* Annô, inquiens, 1599. diebus Canicularibus honeſtus ac pius quidam Civis Colonienſis quadragenarius, robuſtus ac ſangvineæ Complexionis, Acarum habebat in Metacarpio, circa digitum auricularem. Cùm autem manum fricuiſſet, ſubitò exorta eſt inflammatio, dolor acerbisſimus, phlegmone, febris, Lypothimia aliaque graviora ſymptomata, quæ Gangrænam ſignificabant non procul abeſſe. Quæ tamen manus Dei gratiâ in integrum reſtituta fuit. Deinde etiam annectit D. Bezam cognoviſſe hominem magni nominis, qui hoc modô ex Acarô interiit. *Acari.*

§. 30. Lacerti morſum venenatum obſervavit Petrus Borellus *Hiſtor. & Obſerv. med. Cent. 1. Obſ. 43. p. m. 50.* ſcilicet cùm quidam ludentes lacertum laceſſerent, unius genu morſu lacertus petiit adeò venenatô, ut nunqnam curari potuerit. v. Zacut. Luſit. *de Medic. princ. Hiſtor. Lib. 5. Hiſt. 27. f. 875.* Lacerti ſeu *Lacerti.*

Lacertæ Chalcidicæ morsum percusfis corporibus putredinem inferre, item percussos humorem pellucidum consequi veluti nigrore in ambitu plagæ relucente, legimus in Musæi Calceolariani *Sect. 6. fol. m. 657.* Anno 1549. in Pannonia ortas esse passim in humanis corporibus viperas & lacertas, quæ singulis diebus mille homines post cruciatus maximos intersiciebant, nec ulla arte vel remediis interimi vel expelli poterant, uti refert Baptista Codronchus *de Rab. Hydroph. cap. 6. p. 58.*

*Anseris.* §. 31. Ab Anseris morsu periculosa satis symptomata in fœmina quadam annotavit Matthias Tilingius: Cùm scilicet fœmina quædam circa diem Martini anserem mactare vellet, eumque manu dextrâ teneret, ab illô in pollice sinistræ manûs circa primum articulum parùm dentibus sauciata fuit, unde statim vehemens dolor, totius manûs & brachii inflammatio, febris continua, Corporis inquietudo, Lipothymiæ frequentes, intensus Capitis dolor, Gangræna incipiens aliaque gravissima symptomata sequebantur. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 75. p. 179.* Item Adolescentem quatuordecim annorum ab Ansere domesticô in digitô commorsum paulò post ingenti dolore, tumore, inflammatione ac variis abscessibus eodem in brachiô ortis miserè interiisse, refert Eberhardus Gockelius *Consil. & Obs. med. Decad. ex Consil. 19. p. m. 214.*

*Galli gallinacei.* §. 32. Galli gallinacei morsus seu ictus non modò periculosus, sed quandoque etiam lethalis evadit. Honesta enim quædam Matrona à domesticô Gallô gallinaceô, in manu gallinam tenente lædebatur, & ex improvisô morsu impetebatur, adeò ut vulnusculum mediocri pisô impleri potuisset. Morsa hæc primum leviculum sentiebat dolorem. nihil mali metuens, post paucas autem horas dolor ita exacerbabatur, ut nec manum nec digitos movere valeret; imo dolor in ipsam axillam usque protrahebatur, paulò post sequebatur tumor dolorificus â digitis extremis ad ipsos usque humeros cum intensâ inflammatione, laboriosâ Cordis angustiâ & calore febrili: Quibus tamen symptomatibus per interna & externa medicamenta obviam ibatur, ita ut dicta matrona post quatuordecim dies omni malô, per Dei gratiam, libera totum brachium novâ cute, priori secedente, indutum nancisceretur, teste Johanne Georgiô Sommerô *M. N. C. Dec. II. An. 10. Observ. 82. p. m. 155.* Scribit etiam Johannes Petrus Faber Lynceus, se in felibus, canibus, & gallis gallinaceis, iracundiâ flagrantibus, sæpius animadvertisse, quod vulnera tunc infligant cacoëthea prorsus & ægrè sanabilia, cùm tamen, quando placidè nobiscum agunt & fortè nos sauciant, vix quicquam detrimenti inde percipiamus. v. Sim. Pauli *de Febrib. malign. §. 85. p. 133.* Olitor in Italiâ correptus improvisô insultu à veteri Gallô gallinaceô, rostrô atroci, ac rubris pennis, morsu in sinistrâ manu, sangvineis guttis profluentibus visus. A primâ vulneris die ringens ore inventus, nec igne nec ferri ullis præsidiis juvantibus, pugnacis galli instar decumbens tertiô die exspiravit, uti ex αὐτοψία Everhardi Vorstii recenset Thomas Bartholinus *Cent. 5. Histor. 52. p. m. 119. seq.* A Gallô gallinaceô Germanæ mulieri Romæ inflictum vulnus, tantæ malignitatis, ut secutum inde fuerit Cacoëthes ac tantum non lethale ulcus, vidit Johannes Faber, secundum Paul. Spindler. *Obs. 98. Schol. p. m. 174.* Quidam â Gallô gallinaceô pugnante leviter læsus in rabiem venisse dicitur, vid. Cœl. Aurelian *de Morb. acut. & Chronic. Lib. 3. cap. 9. pag. m. 219.* Gallus item gallinaceus vetus rostrô atroci sinistram Domini manum adeò læserat, ut sangvinis guttæ aliquot effluerent, unde tertiô die hic interemptus fuit, qvod vidit Baccius, qui sequens hac de re distichon composuit:

Dum furit in Dominum Gallus perimitque venenô
Commorsum, ergo alius non Basiliscus erit.

vid. Cornel. Stalpart. van der Wiel *Observat. rar. Cent. I. Obs. 100. Schol. p. m. 403.* vid. etiam Robert. Boyle *de Utilitat. Philosoph. experiment. Exercit. II. §. 33. p. m. 142.* & Joh. Georg. Sommer. *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obs. 107. pag. 216.* Ubi etiam Galli Uri seu Tetra-

traonis vel Tetracis rabiosi, æstuante æstate mediâ, Virorum in sylvâ quadam negotia sua tractantium Capitibus aut humeris insidentis, eosque Ungvibus & rostrô impetentis meminit. Quæ quidem avis, quamvis nullum sauciaverit, quia tamen hoc sæpius factitârat, â Comite de Schwarzburg cædi impunè vulgo exposita est. Et postquam vertici arboris non altæ (citra solitum hujus avis) insideret, vir quidam ejusdem arboris caudicem securi suâ irritationis causâ pulsabat, ad quod Tetrax irâ excandescens in viri caput & humeros citò involabat; hic alios duos viros in subsidium vocabat, qui sub tam furiosâ violentiâ tetragem manibus prehendebant & Illustrissimo Comiti vivum extradebant, cui alas ligato in Viridario deambulare permittebatur, sed brevi post moriebatur. Ex quibus, secundum verba Sommeri, apparet, hanc avem ad dictos conatûs insolitos itidem rabie fuisse adactam, æque ac, imprimis circa urentem syrium, in hominibus & aliis brutis fieri assolet.

*Hirudinum usus in Cephalalgia.*

§. 33. Hirudines ad varios equidem affectûs non sine emolumentô diversis corporis humani partibus applicari, Praxis medico-chirurgica testatur. v. g. in Cephalalgiâ Hirudinum usum commendat Joel Langelottus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obs. 8. p. 18. seq.* ubi solas sangvisugas Archimagirum quendam ab immani Cephalalgiâ liberatum fuisse meminit. Item *Obs. seq. p. m. 19.* Hirudinum, inquit, usum hisce in oris minimè frequentem adeò salutarem reperi, ut sævissimas quasque Cephalalgias non aliô remediô promtiùs curaverint. Ex multis, quas novi, historiis unam deligam, eamque accuratiùs observatam. Anicula ferè integrô mense dies noctesque gravissimâ conflictabatur Cephalalgiâ, dumque omnia adhiberentur remedia, adeò & spe & successu sum frustratus, ut tandem ad infrequentem, sed perspectum mihi hirudinum usum, confugere necesse habuerim; hacque sanguisugarum applicatione dicta vetula ab indomitâ cæteroquin Cephalalgiâ est sanata; & in remedii quidem usu hoc se expertum jactabat anicula, quòd quamdiu sangvis traheretur ab hirudinibus floridus, nullam senserit morbi remissionem, sed cùm continuatô tractu sangvinem emungeret nigricantem, viscosum, â doloribus, ceu fascinô liberata fuerit. Item Generalis Militiæ Præfectus, Johann **von der Wyck**, cùm dies noctesque sævissimâ excruciaretur Cephalalgiâ, adeò ut mentis quoque alienationem pateretur; tandem, frustra adnitentibus Medicis, ipsi, de salute suâ sollicito, incidit remedium, nimirum Hirudinum usus, itaque ultrò applicationem illarum ad arterias temporales vehementiùs efflagitat, nec mora, applicatis illis sangvinemque trahentibus melancholicum, dolor omnis est consopitus & suavissimi somni successu tot dierum vigiliæ pensatæ. Item in serenissimâ quâdam Principe Cephalalgiâ internecinâ per octodecim & ultra septimanas laborante, exquisitissimis remediis nil juvantibus, eandem hirudinum applicationem juvisse, refert. A molestissimâ Hemicraniâ Generosum quendam virum per hirudines esse liberatum, testatur Valentinus Andreas Möllenbroccius *de Varis cap. 9. p. m. 133.* ubi addit, sangvisugas in Plethorâ minore cum molestiâ, quàm cucurbitulæ sangvinem exhaurire, cùm hirudines naturaliter sangvinem appetant, nec parvas solùm, sed & magnas tàm arterias, qvàm venas, quibus apponuntur, aperiant. Temporum immanem dolorem Hirudinum suctu curari fidissimô experimentô â se compertum esse, testatur Zacutus Lusitanus, in ipsis temporibus decem aut duodecim circulariter imponendô; sic enim extractô sangvine crassô & multô, â svavô cruciatu ægros levari atque securius Arteriotomiâ esse auxilium. v. Zacut. *de Medicor. Princip. Hist. Lib. 1. Histor. 4. Obs. 4. fol. m. 6.* Hirudines circa aures applicandas svadet Johannes Dolæus *Encyclop. med. Lib. 1. cap. 1. p. m. 18.*



*in Apoplexiâ.*

§. 34. In Apoplexia Hirudinum usum proficuum annotavit Valescus de Taranta, scilicet Medicus quidam, cum in Apoplectico obesô nullas venas observare potuisset, cuti per totum fere corpus hirudines applicuit, sicque ægrum pristinæ sani-

ſanitati reſtituit, uti ex Valeſco refert Fridericus Hofmannus *Method. medend. Lib. 1. cap. 15. p. m. 240.* ubi idem â Conrado Gesnero adductas Hiſtorias affirmare addit. Sangviſugas apoplecticorum lumbis, ſcapulis, venis jugularibus, inferioribusque partibus affixas commendat Johannes Dolæus *Encyclop. med. Lib. I. cap. 10. p. m. 150.* Item de hirudinibus temporibus & poſt aures ad ſugendum applicandis *v. p. 152. & 154.* Virgo ſcorbutica viginti annorum laborabat dolore dentis concavi, huic ſvadebat Samuel Ledelius, ut admitteret hirudinem, quæ gingivæ adhibebatur, & dolor omnis abibat. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 19. p. 51.* In contumacisſimô lingvæ tumore ſingularem effectum hirudinum expertus eſt Generalis quidam militiæ Præfectus; cui ſcilicet induruerat lingva ad partem ſui dimidiam, ita ut aridi inſtar ligni immobilis in ore hæreret, vixque ulli uſui ſufficeret. Huic malo profligando tribus inſudatum ſeptimanis, Venæſectio cùm in brachiô, tum ſub lingvâ incaſſum inſtituta; verum ſolis hirudinibus, lingvæ admotis humor ille craſſus viſcoſusque fuit eductus & æger opportunè liberatus, teſte Joele Langelottô *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 9. p. m. 20.* Exemplum Tineæ, Hirudine ſuper partem affectam impoſitâ, curatæ ex Raſio recenſet Zacutus Luſitanus *de Medicor. Princip. Hiſtor. Lib. 1. Hiſtor. 4. fol. m. 5.* ubi etiam, puſtulas in facie inveteratas, hirudinibus in ipsâ impoſitis, ſanari poſſe probat exemplô Juvenis cujusdam, qui puſtulis ulceroſis in facie diu importunèque vexatus multiplicia expertus fuit auxilia; in quorum numerô fuerunt præter evacuantia, balnea, fontanellæ in brachiis & crure dextrô apertæ, ungventa mercurialia parti ipſi & toti corpori adminiſtrata (erat enim Gallicæ virulentiæ ſuſpicio) ſerum caprinum. Sed cum neque refrigerantia, neque ſiccantia medicamenta poſſent eſſe ex uſu, quater applicitis quadraginta hirudinibus in facie, & extractô craſsô, multô & fœdô ſangvine, ita levatum eſt malum, ut paucis poſt diebus, puſtulis evaneſcentibus, nunquam recrudeſceret. Poſt varia irrita

*in Odontalgiâ.* *in lingvæ tumore.* *in Tineâ.* *in puſtulis faciei.*



rita medicamenta in Guttâ roſaceâ ſangviſugis faciei applicatis ſangvinem vitioſum per vices cum fructu extraxit Timæus â Güldenklee *Lib. 6. Caſ. 20. p. m. 281. ſeq.* Item juxta Gverner. Rolfinc. *Ord. & method. medicin ſpecial. Lib. 4. Sect. 4. cap. 11. p. m. 407.* ad ruborem faciei puſtuloſam poſt aures utrinque commendantur ſangviſugæ. Qvas etiam juxta locum allegatum in Lethargô, Maniâ, Melancholia aliisque morbis quidam venis retrò aures, item ad venas quasdam in oſſe coronali, quæ locô rasô & confricatô apparent, applicant. Inquit etiam Samuel Ledelius, Phyſicus Grünbergenſis, in illâ civitate plures dari ſcorbuticos & ſpleneticos, ob vina pendula & minùs defœcatam cereviſiam, hosque, ſi non ſingulis annis ſemel aut bis adhibuerint hirudines, plurimis correptos fuiſſe ægritudinibus. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 19. p. 51.* Item, Nobilem quendam â Stentſch in Melancholiâ hypochondriacâ, poſt uſum aliorum remediorum, Hirudines proficuas ſenſiſſe, addit. Phrenitidis ex puerperiô retentô, Hirudinibus internæ Uteri parti applicitis, curatæ exemplum recenſet Zacutus Luſitanus *Loc. ſupra alleg. Obſ. 5. f. 6.* fœminam, inquiens, a partu, ex menſtruô retentô orta febris invaſit, quæ nec Tali ſectionibus, tibiarum coxarumque ſcarificationibus, aut apertis hirudinum mariſcis aut aliis auxiliis miteſcens, in Phrenitidem abiit. Et cùm totius curationis Cardo in provocandâ ſuppreſsâ vacuatione verſaretur, & omnia revellentia jam eſſent celebrata auxilia, nec aliud reſtaret exequendum, niſi ob urgens ex inflammatione periculum, ex ſupernis partibus ſangvinem extrahere; prius ad originem mali & occaſionis principium devenire conſultiùs judicavi, ſicque quatuor hirudines internæ parti uteri, filo appenſas apponere jubeo, ex quarum ſuctu ſeqvutâ largâ vacuatione, reſipiſcere ægra cæpit & ſedatô deliriô meliùs habuit. Sic juxta Duncani Liddelii *Art. medic. Lib. 5. cap. 19. p. m. 775.* Hirudines a Liene, Meſereo & Utero derivant, ſimulque Melancholiam evacuant, ſi venis hæmorrhoidalibus admovean-

*in Melancholiâ.* *in Maniâ.*

veantur, nam præ cæteris auxiliis putantur optimè Melancholiam detrahere; Et Poeta Quintus Serenus Samnonicus *de Re medic. cap. 22. in Lienis affectibus p. m. 137.* hirudines commendat, scilicet:

Proderit exsuctô fluvialis hirudo cruore,

*in Anginâ.* Omnem Anginam, ejusque periculosissimam speciem, caninam dictam, quod cum oris apertione & lingvæ exsertione canibus familiari sit conjuncta, Hirudinum sub lingvâ applicatione sublevari, dicit Gvernerus Rolfincius *l. a.* *in hæmoptysi.* Hæmoptosi ob fluxum hæmorrhoidum suppressum laborabat Mercator quidam Grünbergensis; applicabantur hirudines ano, aliaque huic affectui destinata cum successu dabantur, teste Samuele Lediliô *l. a.* ubi etiam meminit alius Mercatoris, *in hæmorrhoidibus.* qui atroces hæmorrhoidum dolores patiebatur, huic Ledelius geminâ vice svadebat admissionem hirudinum, & restituebatur. In Hæmorrhoidibus cæcis seu Ani Condylomatibus Nicolaus Tulpius in sangvisugis, ano appositis præcipuum auxilium ponit, quas exsugendo sangvinem venas distendentem simul malignum virus absorbere dicit: sed hoc non semper imitandum esse, Autor est Johannes Dolæus *Encyclopæd. Chirurg. Lib. 3. cap. 3. p. m. 730.* *in mensium defectu.* Menstruum fluxum imminutum hirudinum appositione curatum in Virgine annotavit Joseph. Lanzonus: Formosa nimirum Virgo Bononiensis, annorum viginti duorum, parum felici prædita sanitate continuo capitis dolore afficiebatur, qui tempore menstruæ purgationis imminutæ magis exacerbatur, tandem seqvuta est febris lenta cum Nauseâ & Alvi stypticitate. Lanzonum in consilium vocaverunt Parentes, & varia medicamenta secundum artis leges exhibuit, sed omnia frustra. Ultimò proposuit hirudines utero apponendas, quod remedii genus ægrè admisit patiens, & tamen appositis internæ uteri parti duabus hirudinibus, melius Juvencula se habere incepit, paucisque elapsis diebus omninò sanata fuit. Domesticos tamen monuit ac hortatus fuit dictus Lanzonus, ut virginem sponso



so conjungerent, quò constantiori frueretur sanitate. Imo Virgo hæc paulò post desponsata & gravida nec unquam amplius passa fuit, nec minimum quidem Capitis dolorem *vid. M. N. C. Dec. II. An. 10. Obs. 92. p. m. 163. seq.* Denique Scorbuticus quidam laborabat Gonagrâ, admittebat suctionem quinque *in Gonagrâ.* hirudinum in locò affectò, sicque â dolore liberabatur. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 19. p. 51.* Plura vid. Frider. Hoffmannum *method. medend. Lib. I. cap. 15. p. 240.*

§. 35. Quandoque tamen etiam Hirudinum Morsus satis *Hirudinum usus noxius.* noxius observatur, quale quid sequentibus verbis recenset Godofredus Schulzius *M. N. C. l. a. Obs. 24. p. 59.* Vir quidam sangvineus & εὔσαρκος ex vitiò Diætæ rubedinem faciei & imprimis nasi contraxerat tantam, ut sibi â Guttâ rosaceâ jure metueret. Hanc ut præcaveret, inter cætera pinnis & globulo nasi Hirudines applicabat, idque aliquoties optimô cum successu. Accidit autem cùm aliquando tres saltem hirudines ad manus essent, (plures enim unâ vice adhibere solitus erat) ut, defectum earum iteratâ applicatione suppleturus, unam earum ab haustô sangvine turgidam deciduamq; sale consper-geret, edoctus â Barbitonsore, hac ratione hirudines omnem sangvinem, quem suctu imbibissent, egerere, denuoque famelicas reddi. Quô factô, illa quidem partem cruoris hausti evomuit, sed vehementissimè simul moveri, variosque in gyros contorqueri visa est, quos motûs in aquâ, cui salis abluendi causâ eam injecerat, diu etiam continuavit. Tandem quietiorem factam naris dextræ pinnæ rursus apponit, statimque ac illa sugere incipit, dolorem acutissimum vixque ferendum percipit, paulòque post hirudo mortua decidit. Mox in locô admorsô tumorem durissimum oriri sentit, qui paulatim latiùs sese explicans, aliquot horarum spatiô maximam faciei partem, imprimis dextram, ipsumque adeò collum ad usque claviculam occupat. Hic tamen ab iteratò sumptis sudoriferis internè, adhibitisque externè discutientibus tridui spatio omnis evanuit, nullò sui vestigiô, ne in ipsâ quidem par-



te

te læsâ, post se relictô. De Gangræna & Sphacelo ex morsu Hirudinum orto, vid. Joh. Schenck.* *Observ. medicin. Lib. 7. fol. 869.* Hirudinem petulantia sodalium cujusdam servi, Calefactoris balnearum, hirudines ad rivulum quærentis, dum somno obrueretur, glandi virili applicuit, qui expergefactus nil mali inde habuit, nisi quod erectio Penis ad aliquod tempus cessarit, quæ tamen paulatim postea rediit, juxta Samuelem Ledelium *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 19. pag. 51. seq.* Plura autem ejusmodi ab Hirudinum morsu orta symptomata ut prætereamus, unum vel alterum solummodò necis exemplum adducere libet. Scilicet in Poloniæ majoris pagô quôdam puella novem annorum pecora in campis pascit, & dum miles Polonicus equo insidens Civitatem Bomst petit, ipsaque prope viam ipsum celerè equitantem animadvertit, putat præ timore, quod ipsam velit lacessere. Itaque ut potest, quantocyus avolat, seque in palude sub frontibus arborum abscondit. Palus scatebat hirudinibus, quæ statim puellæ nudos pedes invadunt, sangvinemque usque ad mortem exsugunt. Puella dum svetô tempore non redit, anxii Parentes ipsam undique quærunt, sed non inveniunt. Miles reversus è Civitate dum turbatos homines videt, interrogat, quid sit? respondent, amissam esse puellam. Ille regerit, fortean esset illa, quæ in campô vaccas custodierit, quæque præ metu cucurrisset sub arborem tum in viciniâ, ibi forsan lateret. Accurrunt cum Parentibus vicini, inveniunt puellam pallidâ morte enectam, ejusque totum corpus Hirudinibus obsitum, referente Samuele Ledeliô *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 142. p. 310.* Juxta C. Plin. *Histor. nat. Lib. 32. cap. 10. fol. m. 569.* Hirudines aliquando affixa relinqvunt capita, quæ causa vulnera insanabilia facit & multos interimit, sicut Messalinum e consularibus patritiis, cum ad genua admisisset. Invehunt virus remedio versô, maximèque rufæ ita formidantur. Quem Plinii locum Thomas Bartholinus *Act. Hafn. Vol. II. Obs. 126. p. m. 320.* ita reddit: Ita inversô remediô virus invehunt Hirudines. Deinde exemplum viri a nimiâ suctione sangvinis pereuntis addit: Nuperrimè, inquiens, malô suo aviditatem horum insectorum expertus est Colonus quidam prope Arcem Draxholmensem, qui virgulta secturus ad sepes resarciendas nudis pedibus in palude substirit. Centenæ quippe sangvisugæ, in palude nidulantes, pedibus inhærentes tantum momentô temporis sangvinis exsuxerunt, ut vix ad domunculam vicinam delatus exspiraret virium debilitate ingentem hæmorrhagiam secutâ. Idem propemodum fatum experta etiam est puella, â copiosis ejusmodi hospitibus utrumque crus obsidentibus jam linquens animô, siquidem nullâ ferè arte hirudines sugentes â crure removeri potuerunt; Immergi enim aquæ marinæ pedes, sale communi aspergi, involvi cineribus, non reformidârunt animalcula, sangvinis puellæ amantissima. Sed ubi capitibus singulorum unam aut alteram guttulam Spiritûs Cornu Cervi affudisset Johannes Valentinus Willius, extemplo deciderunt, relictis vulnusculis sangvine stillantibus, *vid. Act. Hafn. Vol. III. Obs. 73. p. m. 117. seq.* ubi varia de Hirudinibus reperiuntur. Sic Vir quidam Vespere serô ex Urbe Nordlingâ domum pedester concedens nocturnis erroribus in stagnum vetustum, adeò juncis obsitum, ut aqua fere nulla conspectui daretur, deductus, & ex cænô sponte suâ emergere non potens ope humanâ, ob loci ab hominum habitaculis distantiam, destitutus, manè mortuus est repertus, nullô submersionis aut suffocationis vestigiô, sed maculis hinc inde, ceu vulnusculis animalculorum obsitus, adeò ut hirudinum suctibus exhaustum periisse manifestum censeat Rosinus Lentilius, eò magis, quod stagnum ob hirudinum myriades der Egel-See nominari consueverit. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. m. 122.* Varia de hirudinum structura. v. Ephem. Academ. Nat. Curios. *Cent. VIII. Obs. 57. p. 338. seqq.* Joh. de Muralt *Experim. anat. p. 579. seq.* Samuel. Dale *Pharmacolog. Part. 3. p. 881.*

* mors.

*Felis morsus.* §. 36. A Felis rabidæ morsu pessima quandoque oriuntur symptomata, siquidem Mercator quidam Thessalonicensis aliique ejus domestici quatuor masculi & fœminæ unô eodemque die a Fele dentibus ungvibusve sunt commorsi laniative, qui simul inde brevi sævissimis symptomatibus correpti suum obiere diem, uti Amatus Lusitanus refert *Cent.7.Curat.65. p.758.* Notatu etiam digna est Observatio Viti Riedlini *Millenar. Curar. medic. Obs. 658. pag. m. 409.* Scilicet puella quædam septem ferè annorum ante aliquot menses malè se habere cæpit & imprimis â quibusvis liquidis sic abhorruit, ut nec potum admiserit, nec ullum medicamentum, sub quacunque etiam formâ præscriptum fuerit, sumserit, unde &, cùm haud ita diu decubuisset, in mortis prædam cesserit. Ubi, cùm in causam tantorum malorum accuratiùs inquisitum fuerit, constitit, quòd ante septem hebdomadas puellam felis momorderit, quam rabidam extitisse vel ex hoc morsu patuit. Item post morsum nigri felis rabidi fœmina præterlapsis â tempore morsuræ duobus integris mensibus, non modò Hydrophobiâ corripiebatur, adeò ut omnia liquida, juscula, Cerevisiam, Vinum, &c. summô cum horrore aversaretur, imò etiam nudum eorum nomen sine tremore tolerare non posset; sed etiam cum summa inquietudine, rectâ quidem ratione pollens, Corpus hinc inde convulsivis motibus quatiens & continuè ejulans, imò quasi latrans de morsu hujus Catti, cum siccitate oris & colli manuumque complosione, conquerens tertiô ab invasione Hydrophobiæ die vitam cum morte commutabat, vid. Eberh. Gockel. *Gallicin. Med. pract. Observ. medic. Dec.3. Obs.9. p.m.687.* Notum est Epitaphium Romæ in Æde S. Virginis ad populum, cuidam ex morsu felis domesticæ demortuo positum. vid. Paul. Spindler. *Obs.98. Schol. p. m. 174.* Talis demorsus, uti ex Amatô Lusitanô refert Cornelius Stalpart *l. a.* Hispanus fuit, & Epitaphium ita habet:

Hospes disce novum mortis genus, improba felis,
Dum trahitur, digitum mordet & intereo.

Bracteatori cuipiam triginta & duorum annorum felis pulcherrima, quam in pretio habebat, abrepta fuit, qvod ægerrime ferens nescio quam pecuniæ summam pollicitus est, se daturum, qvisqvis eam sibi recuperâsset. Post mensem summô manè præ foribus invenit felem, sed valde macilentam, visam gaudens manu arripere voluit; Verùm felis herô non ampliùs agnitô, ejus digitum minimum momordit, foribus tamen clausis, esculenta obtulit, quæ felis aspernata non solum est, sed accedentibus omnibus morsum intendit, quare fustibus lapidibusque â circumstantibus trucidata est. Herus interim ex morsu saucium digitum, more consvetô, comprimendo & sugendô sangvinem cùm elicere anniteretur, levem sensit dolorem. Sed vulnere haud pensi habitô post tres circiter septimanas torvô vultu de summâ Melancholiâ, anxietate præcordiorum gravissimâ ac intolerabili, Respiratione difficillimâ, Lypothymiâ, Inquietudine, vigiliis, insomniis subinde horrendis, pavoribus, Capitis dolore gravissimô, ardore summô sitique maximâ ac febri ardente &c. conquerebatur, maximè dolendum sibi esse, quòd bibere nequiret. Præter narrata autem symptomata oculos flammeos, lingvam aridam, pulsum valde frequentem & parvum & alia, tandemque mortem in ipsô observavit Fridericus Dekker. *vid. ejusd. Exercitat. Pract. cap.7. p.m.561. seqq.* Virgo quædam octodecim annorum, â fele rabidâ in æstate ad pedem adeò commorsa, ut nullô modo bestia avelli, sed pedi inhærens, malleo interimi debuerit; Sumptis statim antidotis nihil mali sensit, omniaque negotia domestica ritè peregit, donec post annum horâ nonâ vespertinâ repentè clamaret: juvate, juvate, patior summas circa præcordia angustias; spretis autem medicamentis alexipharmacis paulò post incipiebat vociferare voce felinâ, spumescens circa os & illa adhuc noctè horrendè exspirabat, juxta Georgii Tobiæ Durrii *M.N.C. Dec. III. An.7.& 8. Obs.128. p 266.* Bajuli crus mordendo vulnerabatur â fele rabiosâ. Vulnus intra paucos dies facilè curabatur, sed brevi postea partes vicinæ

cinæ intumescebant cum dolore acutô; deinde vulnus aliquoties eodem modô recrudescebat. Tandem Chirurgus magnô Causticô partem læsam urebat, & pus copiosum escharâ separatâ excernebatur. Elapsis autem sex mensibus bajulus hic corripiebatur præcordiorum angustiâ nec non horrore â liquidis, quorum ad mentionem rigebat & valde angebatur: Constabat tamen mens, subseqvente vomitu vehementissimô & anxietate perseverante paucas intra horas moriebatur, juxta relationem Ant. de Heide *Obs. med. 52. p. m. 120.* De puellô trienni, cujus pollicem sinistrum felis momorderat, subsequentibus magnis doloribus, vid. Christ. Franc. Paullin. *de Salv. Sect. 3. p. m. 399.* Civis item Lugdunensis, viginti tres circiter annos nati, pollicis articulum tertium rabida momordit felis Autumnô Anni 1681. de quô quidem morsu ipse parum fuit sollicitus, utpote rabidam ignorans felem. Septem autem octove post mensibus, vigesimô nempe septimô Maji Anni 1682. die Mercurii maximus ipsi supervenit angor, de Cephalalgiâ, gutturis siccitate, immensaque siti nec non potus fastidiô querenti. Veneris itaque die persuaderi sibi passus est, ut mari mergeretur Quô quidem factô ille paulò meliùs se habuit, nec tantum esse Cordis angorem dixit, vini etiam nullô penè tremore sese rigavit haustu, parumque quietus recubuit, neque enim satis diu refectus fuerat somnô. Post horæ autem dimidium delirare, multum commoveri, maximéque opprimi inquietarique cæpit; die autem Sabbathi seu Saturni multò manè circa secundam extinctus est. vid. Cornel. Stalp. *l. a. p. 400. seq.* Imô â solâ scalpturâ felis rabiosi Hydrophobiam observavit Gvilelmus Fabricius, Hildanus, in juvene viginti annos natô, qui tempore messis â fele rabiosô scalpturam in dextrô pollice accepit, ubi epidermis vix offensa fuit. Sequente verò die 1. Mensis Martii paulatim incepit melancholicus fieri, & pavoribus atque falsis imaginationibus commoveri; tertiô die Hydrophobiâ corripiebatur. Aquam & vinum, omniaque splendida adeò abhorrebat, ut ne videre quidem

*a Scalptura.*



quidem posset, nec vellet: Vultus, collum & pectus inflammata erant, colore cæruleô mistô, sudores & anxietates aderant: maximô cum impetu ex unâ in alteram lecti partem sese ita projiciebat, ut tres viri, quantumvis validi, vix eum continere possent. Nonnunquam exclamabat, & sese in adstantes projicere tentabat, quos dentibus arripuisset, nisi custodes eum retinuissent. Ex solâ inspectione Calicis expavescebat & tremebat: atque in eâ miseriâ eâdem nocte è vita decessit. v. Gvilh. Fabric. Hild. *Obs. Chirurg. Cent. I. Obs. 86. pag. m. 101.* Exemplum duorum puerorum, qui in lectô decumbentes â fele rabidô in pede Ungvibus dilacerati, post quatuor annos rabie vexati, obiere ex Zacutô adducit Cornelius Stalpart *l. a p. m. 405.* Qua verò via animalia rabida Ungvibus lædendo rabiem inferre possint, se non videre scribit Baptista Cadronchus, de *Hydrophob. Lib. I. cap. 4. pag. 43.* cùm in dentibus & salivâ latere venenum & non in ungvibus, omnes affirment; nisi dicamus, venenum non inferri ex ungvibus simpliciter, sed ex ungvibus salivá venefica imbutis seu infectis.

§. 37. Marqvisii, Medici Lugdunensis filiæ genam irritata simia dentibus arripuerat, ut portio pene divulsa sit, intra tamen sex aut septem dierum spatium vulnerata pars omnino sanitati restituta, ut vix læsionis illa in parte præcedentis ulla superfuerint indicia, & per usum aqvæ certæ vulnerariæ apud Micol. Blegn. Zodiac. An. I. p. 132. descriptæ. Ex Cercopitheci morsu Præfecto cuidam Servestano tria vulnuscula circa dextram tibiam inferebantur, unde diuturnas molestias integrum biennium sustinere cogebatur, referente Philippô Salmuth *Obs. medic. Cent. 3. Obs. 4. p. m. 114.*

*Simiæ.*

*Cercopitheci,*

§. 38. Murium quoque morsum qvandoque noxium ac lethalem annotârunt Autores; Inquit enim allegatus Salmuth *l. c.* Qvomodo mures minores etiam ligna & asseres arrodant, notum quidem est: sed non putarem eos, pusilla utpote animalia, qvempiam violenter lædere posse. Habebat quidam cicurem quasi; quem cùm aliquando duriùs tractaret, ab ipsô mor-

*Murium.*

mordebatur & vulnus magnâ cum difficultate coalescebat. De Muribus in Insula Nisyro, lethalem morsum inferentibus, vid. August. Ezler. *Isagog. Physic. magic. med. D. 2.* In murium numerum etiam glires referuntur, qui naturaliter venenati habentur, unde præter phlegmonem cancrosa apostemata insequuntur; cujus exemplum de puerô, qui a gliribus infectus faciei cute consumptâ & serpente malô horrendi aspectûs miseram traxit vitam, refert Samuel Hafenrefferus *de Cut. affect. Lib. 3. cap. 5. pag. m. 430.*

Equi. §. 39. Ab Eqvo Vir quidam in brachio graviter morsu vulneratus fuit cum Carnis dilaceratione & ossis fractione. Quia autem Barbitonsor fascias ferulasque nimis arctè constrinxerat, auctus est dolor & affluxus humorum, deinde secuta est inflammatio, tandemque Gangræna. vid. Gvil. Fabric. Hild, *Cent. 2. Obs. 86. p. m. 293. seq.* Et Andreas Matthiolus *Comment. in Dioscorid. Lib. 6. cap. 36. fol. m. 1008.* meminit, se vidisse Eqvum rabie furentem, qui fractô Capistrô obviam qvandam vetulam per Capitis & Crinium vittam morsû comprehensam decem pluresque passus â terra suspensam pertulit, nullô qvidem vulnere illatô, sed magno terrore. Quod quidem exemplum propriè huc non spectat. Nobilis quidam ab equô in genu morsus, post quinquennium demum â morsu elapsum Epilepsia corripiebatur, observante Philippo Salmuth *Cent. 3. Obs. 35. p. m. 127.* ubi simul aliud exemplum refert de quodam, qui ab equô in brachium commorsus & postmodum â morbô caducô apprehensus fuerat. Adam Scheitlinus, Chirurgus, mentionem facit Equitis ab equô rabidô in femur morsi, qui post octodecim menses rabie fuit confectus. vid. Eberh. Gockel. *de Venen. cap. 14. p. m. 82.*

Apri. §. 40. Ab Apro Nobili cuidam, Rudolpho â Thunaw, dum Venabulô eum transverberare tentabat, in suram sinistram Vulnus infligebatur adeò virulentum, ut nec per semestre quidem spatium, summâ licet â Chirurgô adhibitâ diligentiâ, ad ullam consolidationem perduci posset, donec tandem



dem decoctum Ligni Guajaci pro potu & sudore usurparet. v. Phil. Salmuth *l. a. Cent. 3. Obs. 4. p. m. 114.*

§. 41. Ursus mulieris cujusdam, quæ ipsi Bernæ in propriâ fossâ asservato escam offerebat, manum dextram per Cancellos arripuit, adeoque manum & brachium momordit, ut illud abscindere necesse esset. Non quòd Medici venenosam aliquam qualitatem in morsu istô agnoscerent, sed quia caro simul & ossa penitus contusa contritaque fuerant. vid. Gvil. Fabric. Hild. *l. a. p. 294.* Ursi.

§. 42. Cum Lupi reverà è Canum genere sint, sed agrestes, in rabiem quoque vertuntur, & ab illis demorsi in Maniam cum Ululatu & in Hydrophobiam incidunt, juxta Felic. Plater. *Obs. medic. Lib. 1. pag. m. 89.* ubi meminit, Socerum, Chirurgum, invisisse duos, a Lupô morsos rapidô, qui è vicinâ sylvâ sub vesperam in pagum furiosè irruens duos viros adortus morsibus multis faciem ipsorum dilaniavit, qui & ambo post dies aliquot extincti fuerunt. Exemplum duorum rusticorum, qui â lupi morsu rabidi facti mortui sunt, recenset Petrus Borellus *Cent. 1. Obs. 75. p. m. 81.* Lupus quidam rabidus circa pagos aliquot tum Basileensis ditionis, tum Alsatiæ superioris vicinos oberrans quinquaginta circiter homines adortus est & morsu læsit, quorum quotquot Aqua infusionis Sigilli Saturni potanda dabatur, evasêre, cæteris omnibus, quibus ea non offerebatur, pereuntibus, teste Emanuele Königiô *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obs. 168. pag. m. 398.* Exemplum morsûs Lupi venenosi, qualem antea in dubium vocaverat, sequentibus verbis recenset Gvilelmus Fabricius Hildanus *Observ. Chirurg. Cent. 4. Obs. 59. pag. m. 174.* Anno 1610. Mense Februariô, cùm rustici prope Lusannam in venatione lupum in obstantes plagas trusissent, & quinquagenarius quidam ex illis lupum trucidare vellet, insurgit contra ipsum Lupus ipsiusque genu dextrum arripit, & circumcirca rotulam quatuor in locis dentes alte infigit ac miserum in terram projicit, & nisi reliqui rustici accurrissent, lupum quin etiam occidissent, Lupi.

 de

de bonô iſtô virô actum fuiſſet. Ab initiô etſi dolores & magni & continui adeſſent, affectum tamen neglexit, neque ulcera, ut aperta manerent, & ichor efflueret, operam dedit. A ferâ itaque inflictum virus, cùm effluere libere non poſſet, auctus eſt dolor, aucta eſt & inflammatio. Cibi item faſtidium & Diarrhœa ſupervenerunt. Tandem cùm materia purulenta undique circumcirca genu & in ipsô poplite collecta eſſet & ſinûs aliquot ſibi paràſſet, adductus Medico fuit Lauſannam. Plurimis itaque factis inciſionibus & aperturis, pus tam copioſè & tamdiu effluxit, ut vires inde mirum in modum proſternerentur. Tandem propter labefactationem virium Diarrhœâ in Lienteriam converſâ, plane extenuatô corpore, naturæ ſatisfecit. v. etiam Joh. Schenck. *Obſerv. med. Lib. 7. fol. m. 846.* & Eberh. Gockel. *Conſil. & Obſ. medic. Decad. 2. Conſil. 19. p. m. 214.* Caſp. â Reies *Camp. Elyſ. Quæſt. 61. §. 5. pag. m. 788.* Seqventem hiſtoriam recenſet Gaſp. Schwenckfeld *Theriotroph. Sileſ. p. m. 107.* Anno 1588. Menſe Decembri accidit in pago Giersdorff non procul a Thermis Hirsbergenſibus diſſitô, ut fœmina ruſtica, pro more illius loci, circa crepuſculum ad vicinum cum Colô mearet, laternamque manu geſtaret, In itinere fortè fortuna Lupus rabie ſæviens ex vicinis montibus illi occurrit, ex manibus laternam arripiens, dentibus eam ad lapidis ictum cum candelâ deportat. Vicini ruſtici clamore commoti fœminæ ſuppetias ferre valentes â Lupô, qui rabie ſæviens modò huc, modò illuc vagabundus erat, multis modis fuerunt læſi, donec tandem prope templum iſtius pagi fuerit occiſus. Duo ex illis ob vulnera ſeu morsûs paucis poſt diebus fuerunt extincti: reliqui poſt longum tempus beneficiô pharmacorum iterum convaluerunt. Pelle detractâ & ſtomachô reſecatô, nihil præter gramen fuit repertum, quod nimiâ fame coactus ingeſſerat. Sic Julius Palmarius *de Morb. contag. p. m. 329.* obſervâſſe ſcribit, lupos viginti rabie percitos, eodem ferè tempore, è ſylvâ egreſſos in omnis generis animalia obvia magnâ ſtrage debacchatos fuiſſe, paucaque ex iis, quæ demorſa fuerant, evaſiſſe. Et



Et Petrus Salius Diverſus *de Affection. particular. cap. 19. p. m. 342.* a Lupô ſæviora & magis horrenda conſequi ſymptomata dicit, quàm a cane rabidô, magisque hos & violentiùs cruciari, qui â lupo rabidô commorſi ſunt, quàm qui â cane. Hunc tamen Petri Salii Diverſi locum pluribus refutat Martinus Liſter *de Morb. Chronic. p. m. 142. ſeq.* Reſponſum de Morſu Lupi rabidi vid. Baldaſſ. Timæi a Güldenkl. *Reſponſ. 34. p. m. 1061. ſeqq.* Luporum morsûs feliciſſime ſanari eorundem ſangvine adhuc calente linteis impoſito; taliterque mox curatum eſſe venatorem, qui ex improvidentia manum lupi ori loco venabuli indidit. vid. Eman. Kœnig. Regn. *anim. Sect. 3. Art. 8. p. 344.* Et de Morſibus Lupi rabidi, Taliſmate Saturninô ſanatis. vid. ibid. *p. 350. & M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 168. p. 398. ſeq.*

§. 43. Morsûs quoque Canis tum rabidi, tum non rabioſi, multa ſatis exempla variaque ſymptomata hinc inde apud Autores occurrunt, quorum nonnulla adducere libet. Annô nimirum 1674. Juvenis Artis ſaltatoriæ Magiſter â Cane rabidô mordebatur, tertiâ poſt ſeptimanâ in Hydrophobiam incidebat, ſalvô tamen judiciô, poſtridie verò extingvebatur, juxta Obſervationem propriam Theophili Boneti *Sepulchret. Lib. I. Sect. 8. Obſ. 8. fol. m. 180.* A morſu Canis non rabidi, qui tamen â rabidis aliis ſæpius morſus credebatur, ſymptomata in nervoſis colli & præcordiorum partibus in quodam virô obſervavit Paulus Spindlerus, ſiquidem talem demorſum ſpasmus Cynicus ſubitò prehendit, Collô & dorsô retrorſum convulsô, pedibus atque reliqvô corpore ſalvis. Mens optimè conſtitit per triduum, quartâ die, ipsâ horâ, quâ ſpaſmum ſenſit, ab omni auxiliô remotus Epilepſiâ prehenditur, moritur. vid. Paul. Spindler. *Obſ. 98. p. m. 174.* Johannes Janſonii ſervus, canem prætoris rabioſum gladiô jugulare tentans, exiguo foramine circa Carpi manus dextræ interiora morſu canis vulneratur. Die nonô, neglectâ in mare præcipitatione, delirium aderat, febris ardens, hydrophobia, convulſio, ſputatio continua, ſitis ingens, anxietas, lingvæ ariditas ſumma, *Canis.*

 ocu-

oculorum ſcintillantia. Die decimô vigiliæ continuæ, abſtinentia a potu, ſudoris nulla eruptio graviter moleſtabant, imò delirium valde augebatur, mordendo enim, ſpuendo, lacerando, vociferando, ſimilibusque actibus omnia turbabat, latratus tamen nullus notabatur. Die undecimô omnia parum remittebant, quod nox præterita placidior, at duodecimô defatigatus admodum exſpiravit. v. Jobi a Meekren. *Obſervat. med. Chirurg. cap. 62. Edit. latin. p. 292. ſeq.* Morſum Canis non rabidi, nihilominus tamen pernitioſum Anno 1687. Johannes Petrus Albrechtus in Studioſo Juris deprehendit: Sitiebat hic vehementer, corpus hinc inde jactitabat, anxius valde erat circa præcordia, ſpasmus aderat cynicus & artuum præcipuè notabilis convulſio. Interim nullum Paſſionis colicæ nec febrilis invaſionis præſto erat ſignum: Pulſus equidem quodammodo celerior percipiebatur, haud verò præceſſerat frigus, horror, pandiculatio, dolor lumborum, & qui hujus farinæ ſunt alii febrium præcurſores. Sæpius in hæc verba vociferando vel ejaculando potiùs prorumpebat: Væ meis manibus emortuis jam & ſtupidis, ita, ut eas vix ſentiam! Quas propterea inſpiciens Medicus eryſipelaceô quodam colore tinctas vidit, dextrâ tamen præ ſiniſtrâ magis rubente: Mira inſuper digitorum dextræ præſertim manûs contorſio & retrorſum verſus incurvatio advertebatur, unde exquiſitiùs eam contemplans Medicus haud procul ab articulatione carpi cum brachio in illa regione, ubi pulſus explorari ſolet, exiguum aliquod vulnuſculum, vel potiùs fisſuram acutô quaſi inſtrumentô inflictam ac cicatrice jam obductam conſpicit. Interroganti, quænam ejus cauſa, reſpondet Pater, heri circa quintam veſpertinam filium cum cane ei familiari luſiſſe, hunc vero, qoſtquam ipſum aliquatenus irritârat, levi eum petiiſſe morſu, unde, quicquid videret vulnuſculi, eſſet ſuperſtes. Neque tamen veroſimile ſibi videri, præcipuè cum canis non fuerit rabidus, occaſione inflicti vulnuſculi ejusmodi horrendum ſymptomatum ſyndromen produci potuiſſe. Datis autem



tem aliquot doſibus ſalis volatilis viperarum, paulatim quævis evanuêre ſymptomata ac brevi ægrotus cum priſtinâ in gratiam rediit valetudine. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 3. p. 5.* Quô locô & quidem ex Petri Foreſti *Obſ. med. Lib. 10. Obſ. 27. p. 7.* allegatus Albrechtus etiam exemplum Monachi cujusdam refert, qui a Caniculâ, quam in ſinu fovit, dum Confesſioni vacaret auriculari, in labiis commorſus poſtea factus fuerit rabioſus. Quæ tamen circumſtantiæ in meâ editione f. 349. non leguntur, ſed tantummodo, quod dictus Monachus ex morſu canis rabidi inſania correptus ſit; & cùm Chirurgus imperitisſimus Vulnus in facie & labiis, quod a Cane rabido inflictum eſſet, intempeſtivè occluſiſſet, illicò Cicatrice obducta non diu poſt aliquot dies deliravit & inſanus factus ſit; inſuper hic Monachus, cùm Foreſtus accederet, lingvam educebat canis inſtar hians, vox illi rauca erat, aquam & potum cum ingenti clamore abhorrebat, quamvis validisſimâ ſiti premeretur ſæpiusque poculum petebat, ſed bibere nec audebat, nec valebat, ob metum, quô movebatur. Imò cum ingenti clamore ac horribili vociferatione, ſi bibere vellet, cogebatur â potu deſiſtere, &c. De Lithotomo quôdam, qui ante ſex vel ſeptem hebdomadas a Cane rabidò morſus, cum interim nihil mali ſenſiſſet, ſtatim aquæ timore ſuperveniente, intra biduum mortuus eſt, vid. Baptiſt. Codronch. *de Hydrophob. Lib. 1. cap. 5. pag. 46.* Ibidem etiam meminit cujusdam divitis, qui cum videret Catellum ſuum rabidum, quem unicè amabat, ore hiantem & ſpumantem huc atque illuc diſcurrere, exiſtimans ori ipſius infixam eſſe ſpinam, vel os, volens manu tentare, & quicquid eſſet, eximere, a Catulo commorſus, cum ingentisſimô âquæ cruciatu, ac convulſionibus, ſeptimâ die miſerrimè vita exceſſit, nec illi quicquam contulit, quòd aqua bis & ter merſus fuerit & eam potaverit. Pictorem quendam Hagienſem parvulus canis leviter momorderat, poſt tres autem hebdomadas dictus Pictor Hydrophobiam

biam incurrebat adeò, ut non ſolùm torvò vultu, bibere ſe non poſſe, reſponderet, ſed etiam, mentione ſolùm potûs factâ, terror gemitusque ac qveſtus nec non angor eum invaderet, horrendusque ſuperveniret tremor, cùm poculum manu arriperet. Paulò pòſt ille impatientiâ rabieque actus in aquam præcipitem ſe dedit ac biduò tantum ſuperfuit, teſte Cornelìò Stalp. von der Wiel *Obſervat. rarior. Cent. I. Obſ. 100. p.m. 411. ſeq.* Ubi etiam idem exemplum in duobus junioribus fortioribusque vidiſſe refert, quorum utriusque labium Catellus quàm levisſimè læſerat, unde ambo poſt Hydrophobiæ initium tres quatuorque tantum vixêre dies. Annò 1666. Comitiſſa quædam in Galliâ â Catellò ſuò melitæò rabiosò Pariſiis ſauciata ſimulque in rabiem verſa tandem ob denegatas Medicamentorum operationes inter duo velamina ſuffocata fuit. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theoret. pract. Caſ. 9 pag. m. 65.* Juvenis quidam, cujus labia canis rabidus morſu læſerat, poſt tres menſes Hydrophobiam incidebat, ratione tamen integrâ. Tandem ipſius ori aquæ cochlear vi infundebatur, qvâ adhuc in ore detentâ nondumque deglutitâ, ſpasmò & convulſionibus ſupervenientibus, vivere deſinebat. v. Steph. Blancard. *Collect. med. phyſ. Cent. 3. Obſ. 45. p. m. 409.* Vir quidam, cùm â Canis rabidi morſu petitus fuiſſet, ejus venenò non ſolùm rabidus factus eſt, & canis venenum non modò in eum inſeruit, ſed etiam odoratum & ſagacitatem ſuam venaticam illi communicavit, adeò ut accedentes amicos è longinquô, licet eos non videret, olfactu venire perciperet, & amicis diceret, talis N. Amicus meus hic jam venturus eſt; & ſtatim veniebat, teſte Petrò Borellò *Hiſtor. & Obſerv. med. Cent. 3. Obſ. 68. p. m. 250.* De puerò annorum duorum, ante quadriennium morſu canis rabidi circa faciem & in Capite diverſis in locis vulneratò, qui tamen paucis adhibitis remediis ab hydrophobiâ præſervatus & perfectè reſtitutus fuit, ita ut poſt quadriennium adhuc ſanus viveret, vid. Gregor. Horſt. *Oper. med. Tom. II. Lib. 7. cap. 23. fol. m. 334.* Puer quinque



quinque annorum, temperamenti ſangvinei, An. 1716, diebus canicularibus, canis absque dubiò rabioſi morſu in extremitate indicis manus dextræ graviter ſauciatur. Vulnus â Chirurgo morsûs violentiæ parum conſcio intra breve temporis ſpacium occluditur. Puer ſanatô vulnere quarta circiter a morſu ſeptimanâ inſultibus febrilibus, ſpaſticis commotionibus ac melancholicis tentari cœpit deliriis, omnium que liquidorum ac ſolidorum horrorem patitur; Inſuper furibundis agitur motibus, torvum videt, de Capitis dolore cordisque ac pectoris ſummis oppresſionibus conqueritur, crebrius oſcitat, ſpuitionibus ſpumoſis adſtantes conſpurcat, liquida & ſolida quævis, quibus tamen non viſis qvàm maximè inhiabat, viſa & porrecta horret, & nihilominus Urinam ſolitô copioſiorem emittit; tandem inter furioſos motûs moritur, juxta Obſervationem Philippi Eberhardi Dillenii *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. 7. & 8. Obſ. 54. p. 101. ſeq.* Johannes Baptiſta Uccellinus juvenis Florentinus, qvum navim intrâſſet, â Cane magnô Britannô in Tibiâ morſus fuit, & vulnus profundum illi inflictum, pro quô curandô accerſito Chirurgo jusſimus, per menſem ſaltem apertum vulnus dimitteret, Tam enim etſi rabidus is non erat, neſcio tamen quid malignitatis & virulentiæ canes ii navibus occluſi præ ſe ferant; ut ex aliis, ſimilibus morſibus affectis, edocti evaſimus. Hac enim cautelâ liber & ſanus eſt factus, ſunt verba Amat. Luſitani *Curat. medic. Lib. 2. Curat. 78. fol. m. 201.* Aliquot etiam exempla demorſorum recenſet Thomas Bartholinus *Cent. 2. Hiſtor. 89. p. m. 289. ſeq.* Scilicet Nobilis Matrona Patavina, uxor Judicis, â cane rabidò morſa, per Chirurgum curatur. Poſt quindecim dierum decurſum rabie redeunte asſidentes invadere conatur. Hinc vulnus denuò ſcarificatum aperitur & curatur. Nobili Meſſanenci in Siciliâ canis morſus Icterum intulit, â quô ægre liberari potuit. Mulier Leidæ 1645. cane rabidò morſa in aquâ Rheni præterfluentis abluta ſanabatur. Sed curru cum alia Comite in Civitatem re-

reversura prope portam Vomitu superveniente animam evomuit. Itineris socia, quam Vomitus venenosus adsperserat infeceratque, tertiò inde die qvoqve exspiravit. Tres personas â Canibus rabidis demorsas & inter has fœminam rabie â tribus diebus percitam, qvæ etiam licet esuriet & admodum sitiret, nec cibum nec potum admittere poterat, sanitati se restituisse scribit Paulus Renealmus *Observat. 134. seqq. p. m. 100. seq.* Nonnulla etiam exempla annotavit Martin. Lister *Exerc. Medic. de Morb. Chron. in spec. de Hydrophob. p. m. 108. 116. seqq.* v. g. de Juvene quodam procerò atque admodum robustô, qui â Cane rabiosô dextrâ manu leviter morsus erat, unde vulnusculum per se sanabatur; nihilominus tamen post quadraginta dies ægrotare & Hydrophobiam incurrere incipiebat. Catulus a Cane rabioso morsus postridie â morsu & Dominum & Ancillam, illum in manus hanc in tibiam mordebat & eô ipsô die moriebatur. Post Mensem vero male se habuit Dominus & Cordis dolore vexatus est, non sine aliquo tremore & metu, per triduum vix dormivit, sangvinem mitti curavit & melius se habuit. Ancilla autem de nullâ noxâ adhuc querebatur. Sic puella quædam duodecim annos nata, â Cane rabiosô morsa est ad Talum; Cutis autem ejus non lacerata est vulnere; at penitus impressi sunt Canis dentes eorumque vestigia ad aliquot dies manebant; huic autem in ea parte dolor urgens per intervalla accedens, â sextô die â morsu adeò intolerabilis fuit, ut præ dolore vehementer vociferârit; pungente atque urente dolore, ac si carbone aliquô vivô afficeretur. Is verò dolor usque ad genu ascendebat; imo eô tempore planè aliena locuta est. Porrò quidam Mercator quinquagenarius morbô quodam valde insolitô ex viginti quinque annis graviter affectus fuit, homo aliàs athleticus & sanus; hic in præsentiâ accersiti Listeri bis aut ter convulsus est, ad hunc semper modum: nimirum caput ejus de humerô ad humerum admodum veloci vibratione concutiebatur, non sine dentium stridore; idque si nocte in lectô contingeret,





ret, cum quodam horrendo murmure perpetrari solebat, secundum ipsius uxoris relationem. Ad plures verò menses in annô nihil istiusmodi vibrationum, tantâ pernicitate transactarum, patiebatur. Listerus autem, cùm is caninus concussus planè ipsi videretur, hominem protinus interrogabat, quoties & quibus Corporis membris â Cane morsus sit? At ipsi non sine gravi iracundiâ respondebat, bis: sed utrumque in tibiâ, & sibi vel puero vel adolescentulo contigisse. &c. Notanda quoque est Historia cujusdam, qui tertiò demum annò post morsum interiit: Septimo autem quoque die, eâdem hora, quâ demorsus fuerat, totò trienniò in rabiem agebatur. Item Senex septuagenarius post quadraginta dies Hydrophobiâ correptus, quintò ab ejus insultu die alium mordere appetens, & Salivam plurimam ex ore profundens interiit, demorsus autem fuerat ad auris pinnam. Denique Institor Parisiensis â Cane non rabidô demorsus circa malleolum sine vulnere, per septem annos integros & quotidie millies, in quâcunque Corporis parte, sævissimos percipiebat cruciatûs, præsertim in pene, quasi ab adactis vitri fragmentis: carnosus aliàs & boni habitûs. Nullum ipsi levamen, nisi in vinô generosô & Laudanô, quô per plures menses sæpius in die usus est. Hæc ex Listero. Puella quædam quatuordecim annos nata â Cane rabiosô vulnuscula quinque in Tibiâ acceperat; neglectâ verò curâ legitimâ post tres menses Melancholiâ, tristitiâ, mœrore & timore, ac paulò post Hydrophobiâ fuit correpta, tandemque post maximum ardorem, sudores, anxietates & sitim è virâ decessit. vid. Gvil. Fab. Hild. *Cent. I. Obs. 86. p. m. 100. seqq.* qui etiam *Cent. IV. Obs. 88. p. m. 169.* aliud exemplum de morsu Canis rabidi annotavit, quod tale est: Circa Festum Purificationis Mariæ rusticus quidam, Vir robustus viginti septem annorum ætatis, & optimo Corporis habitu præditus, a Cane rabidô circa poplitem & genu dextrum variis in locis morsus fuit. Eâdem die in pagum, Ater vocatum, ipsum conduxerunt, ubi sacrificulus

ejus loci clave ignitâ S. Huberti, ut vocant, vulnera inussit, ipsumque eadem die ad suos remisit, ad majorem quoque securitatem potionem Luchtenbergianam, tantopere in morsu Canis rabidi celebratam, sibi adferendam curavit, eâque usus fuit. Nullum supervenit Symptoma & ulcera intra dies quatuordecim planè coaluerunt. Eodem autem tempore porci tres ab eodem Cane morsi erant, quibus prædictam potionem similiter exhibuerunt: nihilominus tamen post mensem rabie correpti fuere: Rusticus verò ad finem mensis Aprilis absque omni incommodo supervixit. Tunc primò dolores maximi & peracuti in Tibiâ dextrâ exorti sunt; urina, quin etiam simul & excrementa alvi suppressa fuêre. Tertiâ die morbi vires adeò prostratæ erant, ut, cùm è lectô surgeret, ex unâ in alteram partem veluti ebriosus vacillaret & solus minimè incedere posset. Inquietudines, nausea, anxietates & angustia pectoris, necnon dolores maximi in inferiori ventre aderant, cum urinâ & excrementis alvi adhuc suppressis. Circa genu tamen & in ipsâ tibiâ nihil apparebat, præterquam quòd Cicatrices lividæ aut potiùs nigræ essent. Post Enema & alia medicamenta equidem Vesica & Alvus solvebantur; paulò post tamen æger correptus est rigoribus maximis: subsequens nox gravis & vires magis magisque prostratæ fuêre: & quia ab initio morbi usque in quintum diem nihil dormiverat, paulatim in delirium incidit: exclamabat, vociferabatur, adstantes arripiebat & objurgebat: ex unâ in alteram partem lecti sese projiciebat cum impetu, & sangvinem atrum & in grumos concretum exspuebat. Cùm verò Medicus nonnihil Laudani & Confectionis Alkermes exhibuisset, omninò remisit delirium, & eâ nocte bene quievit. Alterô tamen die â somnô pejus habebat, & auctâ febre, auctâ etiam imbecillitate virium & sudore frigidô correptus æger, placidè & mente constanti animam sextâ die morbi effudit &c. Anno 1672. Canis rabidus Giengæ oberrans, præter Canes alios, tres pueros in plateâ obambu-



ambulantes infestavit ac momordit; quorum primus, duodecim circiter annorum, in facie, circa tempus, prope exteriorem sinistri oculi angulum, magnum vulnus, quod digitum minorem immittebat, accepit. Secundus in fronte ab aliquot Canis dentibus infixis cum exsurgente Tumore sauciatus est, qui tumor impressorum dentium vestigia monstravit. Tertius in brachio aliqualem læsionem passus est. Qui tamen pueri omnes curâ medicâ Eberhardi Gockelii per DEI gratiam, absque ullius Hydrophobiæ sensatione & sine omni symptomatum syndrome felicissimè restituti sunt. vid. Eberhard. Gockel. *Consil. & Obs. medic. Decad. sex. Cons. 19. p. m. 207.* ubi ipsam Curam reperies. Baldum, insignem Juris Consultum, â caniculâ, quam in deliciis habebat, in labiô morsum neglectô vulnere obiisse ferunt: similiterque ex antiqvis Euripidem, Diogenem & Lucianum ex morsu canis mortem contraxisse legimus. vid. Roder. â Castr. *Medic. Politic. Lib. 3. cap. 7. pag. m. 137.* & Paul. Zacch. *Qvæst. Med. legal. Lib. II. Tit. 1. Qvæst. 17. n. 3. fol. m. 190.* Simon. Majol. *Dier. Canicul. Tom. I. Part. 1. Colloqv. 1. fol. m. 322.* Maniaca puella a morsu Canis rabidi Canis instar latrabat, dein vehementer continuò vociferabatur, teste Felice Platerô *Observ. medic. Lib. 1. p. m. 89.* Non procul â Pragâ in pagô quodam nuptias celebravit Juvenis quidam sanissimus cum sponsâ itidem integerrimâ gaudente sanitate. Contigit verò, quòd ipsum Canis quidam parvus momorderit, quod quidem minus curavit & hinc nihilominus hilarem se præbuit, Choreas duxit atque tandem cum sponsâ cubitum ivit, ubi demum tantâ rabie correptus fuit, ut sponsam aggredi cæperit & mammas atque totum ejusdem pectus dentibus suis dilaceraverit. Quod quidem tristissimum spectaculum, cùm diutius, ac par erat, ipsum in Cubiculô se detinere amicis paruerit, vi illô apertô, oculis expositum fuit. Is nempe cruentis manibus oreque post fores stans, infelix verò sponsa jam vitâ privata in lectô jacens offendebantur: ubi rabiosus statim qui-

 dem

dem unum etiam ingredientium aggredi voluit, at impeditus â reliquis fuit & custoditus eodem adhuc die itidem vitam cum morte commutavit, uti ex ore Pharmacopœi Ulmensis recenset Vitus Riedlinus *Millenar. Curar. Medicar. Obs. 658. pag. m. 410.* Ubi adhuc aliud exemplum de sponsô refert, qui post talem morsum malè se habens non tam cum sponsâ in lectum se contulit, quàm seorsim decubuit, frustraque adhibitis quibusvis remediis sequenti die occubuit; utut hic canis non tam rabidus extiterit, quam pede sponsi pressus ad iram commotus fuerit. Sic Nicolaus Tulpius *Observ. Medicin. Lib. I. cap. 20. pag. m. 43.* sequentem Casum commemorat: Viro æstuanti ac summè irrequieto incensum cùm foret guttur, utique impedita deglutitio, intenta præcordia, spiritus difficilis, sitis inexhausta & vibrans arteriæ pulsus; imperabatur confestim sangvinis detractio, præter Clysterem & potiones frigidas, quæ duo postrema auxilia, ceu humida, expavescebat tam evidenter, ut moverit suspicionem Hydrophobiæ, quam deinceps confirmavit certò adesse exile aliquod vulnusculum, quod ante quintum Mensem inflixerat rabida canicula. Et *cap. 21. pag. 44. seq.* aliud exemplum Nautæ septuagenarii â Cane rabidô demorsi communicat, qui paulo post tam vehementi faucium siccitate laborabat, ut immensùm sitiret, neque tamen vel tantulum biberet, ob formidinem, non tantum ex aquæ intuitu, sed ex qvalicunque ejus mentione conceptam.

*De Clave S. Huberti.* §. 44. Meminimus paulò ante ex Gvilelm. Fabricii Hild. *Cent. 4. Obs. 88. p. m. 169.* Clavis ignitæ S. Huberti ad vulnerum demorsorum inustionem idoneæ, id quod nobis in memoriam revocat aliud ejusdem farinæ miraculum, quod refert Ludovicus Cœlius Rhod. *Lection. antiqv. Lib. 17. cap. 28. fol. m. 662.* Ad morsum, inquiens, canum rabiosorum nobis suppetit potens & ipsum cœlitus petitum medicamen. Est in Rhodiginis paludibus Divi Bellini Templum miraculorum frequentiâ celeberrimum & affluxu hominum etiam notissimum. Erectæ ædis causa ferè publica est. Pulsus is divus Pataviô, grassantibus nobilium plerisque, quòd severiùs sanctiùsque, quam ab illis probari posset, episcopum ageret, insectantibusque inimiciter adversariis, in palustre agri nostri solum, quindecim millibus passuum Rhodigiô distans, divertit. Qvùm manibus hominum evasisse videretur, Canum rabiem non evasit, â quibus è vestigio convulsus disceptusque mox in divorum indigitamenta relatus, templum in illis emeruit locis, in quô & arcâ marmoreâ ferreis occlusa cancellis latet sanctissimum ejusdem corpus. Templi verò ex necis genere ea cœlestis est proprietas, si quis clavem sibi quæsierit, quâ ædis valvæ recludantur, ac eâ candente quicquid rabie agitari orsum sit, attigerit, præsentissimum est remedium, & nunquam non verum.



§. 45. Hactenus de variorum animalium morsu egimus, nunc demum iterum ad Salivam hominis hujusque morsum progredimur. Sicuti autem reliquorum hactenus adductorum animalium morsus vel periculosi & venenati, vel minimè tales fuere observati, ita etiam hominis morsûs varii annotantur generis. Duplicem imprimis homini ab homine inferre morsum, confirmat Gvilhelmus Fabricius Hild. *Cent. I. Obs. 84. p. m. 98.* nam alius fit ab homine rabiosô, isque summè malignus atque venenosus est; ideoque non secus, quàm si a Cane rabiosô factus esset, curari debet. Alius fit itidem ab homine aut phrenetico, aut furiosô, irâ percitô; talemq; morsum postremum periculô non vacare duobus exemplis ibidem dictus Autor probat. Mihi tamen humanus morsus triplici modo vel effectu infligi videtur, scilicet vel ab homine sanô, neque iratô neque rabidô; vel ab homine iratô, non tamen rabidô, vel tertiò ab homine rabidô vel furiosô; qui morsûs etiam ratione effectûs atque symptomatum maximè inter se differunt. *Hominis.* *triplex.*

§. 46. A morsu enim primi generis præter dolorem nihil aut parum detrimenti vel periculi metuendum, uti præter quotidianam experientiam, Amantium morsus, qui Plauto vocantur *amantis & picantis.*

 Com-

Compressiones arctæ amantium compares
Teneris labellis, molles incisiunculæ,

et Pica mulierum, præprimis gravidarum, testantur; quamvis posteriores nonnunquam non sine dolore infigantur. Nam Mulierem quandam gravidam brachium cujusdam Viri ter momordisse & eodem die tres quoque infantes enixam esse, refert Philippus Salmuth *Obs. med. Cent. I. Obs. 41. p. m. 27.* Item Mulier gravida Noribergæ ad Macellum ambulans cùm videret hominem nudis cruribus ad balneum in viciniâ festinare, instanter rogavit, ut suræ nudæ morsûs binos concederet infigere, posito pretio; unô concessô, sed alterô præ dolore denegatô; fœmina mœsta abiens paucos post dies gemellos peperit, unum vivum, alterum demortuum, teste Johanne Helwigiô *Obs. 137. p. m. 374.* Et Lucas Schroeckius *Schol. in eandem Observat. p. 377.* aliûs fœminæ meminit, quæ morsûs Cervicis juvenis cujusdam denudati ardore flagrabat, & quæ abortum penè fecisset, ni, avidè infixis dentibus, momordisset. Lembergi, in amœnô Silesiæ oppidô & Celeberrimi Medici & Epistolographi, Johannis Langii Patriâ, sacerdotem lotis & nudis pedibus egressum balneô inque plantis de more crepidas deferentem, Mulier gravida subsecuta, pedum desideriô capta, procidit â tergô in genua, ac ambabus manibus crure alterô apprehensô, de Calce Sacerdotis mordicus dentibus frustum evulsit, nihil illius clamorem expavescens, quô deorum hominumque fidem & subsidium is implorabat. vid. Joh. Lang. *Epistol. medic. Lib. 2. Epist. 12. pag. m. 549. seqq.* Ubi etiam aliam historiam refert, de muliere quadam, quæ uterum ferens desideriô humeri pistoris denudati & panem ad furnum deferentis, irretita, mœsta omnem cibum præter carnem de pistoris humerô fastidiebat. Maritus charæ misertus uxoris certam pecuniam pro singulis de humerô pistoris morsibus cum eô paciscebatur. Duos itaque dentium mulieris insultûs fertur sustinuisse, tertium verò, doloris pertæsus, ferre noluit. Quô factô mulier tergeminos est enixa, duos vivos, tertium verò mortuum. Item Samuel Hafenrefferus *de Cut. affect. Lib. 3. cap. 4. pag. m. 423.* duo ejusmodi exempla his verbis recenset: Novi ego Nobilem quandam Matronam, quæ gravida mariti cervicem morsibus appetiit, voti compos facta; dirè mordere conjugalis amor retraxit. At alia, civilis, suras mariti petens grave inflixit vulnus, de repetitione marito supplex in cassum laborans, gemellos enixa, quorum alter vivus, alter mortuus, ex petitionis denegatione. Hos tamen morsus mali nihil secutum, addit idem Autor. Ut de maternô, admorsi Friderici, Ducis Saxoniæ, morsu nil dicam.



§. 47. Quoad secundam morsûs humani speciem, seu qui *irati.* ab homine irato infligitur, ille sane non semper periculô vacat, sed præter symptomata pessima interdum ipsam mortem inducit; siquidem, si quis irâ aut furore percitus aut ebrius morsum inferat, statim motus spirituum furibundus spiritus itidem in furorem concitat, ut inflammatiô, tumor ac dolor, cum insequente putridâ saniê & partis commorsæ Gangrænâ oboriatur. vid. Eman. Kœnig. *Regn. animal. Sect. 3. Art. 8. p. m. 343. seq.* Et secundum Joh. Ludovici Hannemanni verba *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obs. 54. pag. m. 65.* hominis irati morsus æquè venenatus est, ac alterius alicujus animalis venenati; & morsus hominis iræ furorisque expertis non est venenatus. Id quod testantur exempla, v. g. Viri cujusdam pollicis anterior articulus dentibus adversarii inter verba & verbera ita impetebatur, ut quicquid Chirurgus mundandô niteretur, incassùm fieret, quia vulnus venenatô salivæ fermentô infectum omnem consolidationem respuebat, donec pars infecta esset resecta, teste Johanne Georgio Sommerô, *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 172. p. 387.* De aliô, cui post jurgia & contentiones ab alterô digitus index morsu violentô intra dentes attritus abscissus est, & ita ulcus venenosum manum totam contaminavit, & putredine infecit, ut solùm eâ præcisâ superstes manserit. Item de Meretrice quadam, quæ ab aliquâ consociâ super ancham ita immaniter commorsa est, ut ulcus contractum

tractum cacoëthicum diu affligens solum sudoribus ex smilace asperâ seu sarsaparillâ succubuerit. vid. Zacut. Lusitan. *de Prax. medic. admir. Lib. 3. Obs. 88. fol. m. 116.* A morsu post rixas & duellum manuale inflammationem, febrem, delirium, convulsionem & totius pedis Gangrænam cum vitæ periculò observavit Johannes Baptista Lamzweerde *Append. ad Johannis Scultet. Armament. Chirurg. Obs. 96. pag. m. 282.* Cùm Mercator quidam inter pocula cum aliò quodam litem haberet, eique colaphum impingere tentaret, dentibus haud leviter infixis apicem dextri ejus indicis apprehendit, unde exortus est dolor magnus aliaque graviora symptomata, ita ut de abscissione manûs duo barbitonsores, quibus curandum se commiserat, inter se conferrent; siquidem tota manus fuit inflammata & jam incipiente Gangrænâ correpta; dolores item adfuerunt extremi, Convulsiones, Febris ardentissima, Syncope & inquietudines maximæ, ita ut non solum de manu, verùm etiam de vitâ periclitaretur. vid. Gvilhelm. Fabric Hild. *Observ. Chirurg. Cent. I. Obs. 84. p. m. 98.* Et *Obs. 85. p. 99.* etiam meminit Viri, qui sub Caniculâ â quodam Virò furiosâ irâ percitò ad primam articulationem pollicis graviter morsus fuit, unde statim exortus est dolor vehemens, per totum brachium. Neglectò ab initiò morsu dolores & reliqua symptomata singulis momentis ingravescebant, ac quartò die morbi febris, syncope & dolor acutissimus aderant. Pollex item usqve ad carpum correptus erat phlegmone, quæ postea in putridum & sinuosum ulcus degeneravit. Mòrsûs lividi erant, ex quibus subtilis acris & fœtidissima materia effluebat. Item rusticus quidam in conflictu ab adversariò suò, iracundiâ excandescente, ad secundum articulum medii digiti manùs sinistræ morsus fuit; quod malum indies ita augebatur, ut Chirurgus nullum aliud remedium, quàm ut ad metacarpium abscinderetur digitus, superesse bono illi rustico persvaderet, operationemque strenuè & per dies aliquot urgeret. Erat enim manus, brachium, imò totum corpus propter doloris vehementiam exte-



extenuatum, digitus verò præter modum tumefactus, imò in superficie juncturæ exulceratus, & ligamenta ipsæque cartilagines juncturæ erosæ, ossaque inter se disjuncta erant & separata. *vid. Cent. 4 Obs. 87. p. m. 168. seq.* & *Lib. 1. Epist. 78. Oper. fol. 1016. seq.* Inflammationis, Gangrenæ Sphacelique, tandemque brachii ad Cubitum usque abscisi ex morsu in digitum factò, idem Autor meminit. Imò ipsam mortem iracundi hominis morsum secutam annotavit Zacutus: scilicet cùm duo bujuli inter se hostiliter rixantur, horum quidam alium humi jacentem ita morsu plus quàm caninò supra genu decerpsit & laniavit, ut miser commorsus, obortâ in parte Gangrænâ & usque ad bubonem serpente virulentiâ, quæ nullis unquam auxiliis cohiberi potuit, vitam finiverit v. Zacut. Lusit. *l. a. Obs. 88. fol. 116.* Mulier quædam senex multas post injurias alteri mulieri manum momordit; in quô vulnere tanta fuit veneni vis, ut parum defuerit, quin brachium totum cum maximô vitæ periculô resecaretur, teste Dominicô Panarolô *Pentecost. 2. Obs. 42. pag. m. 54.* Servus cujusdam Subprætoris â fure quodam, quem apprehendere conabatur, ex morsu vulnus accipiebat ad articulum pollicis dextri, cum ossis aliqua comminutione; Dolor illicò accessit intolerabilis, manum, imò brachium ipsum occupans, ad alas & scapulas se extendens, die sequenti aderat delirium sat grave, anxietas Cordis & deliquium animi frequens: Medicus advocatus medicamentum exhibuit purgans, dieque subsequenti Venæsectionem institui curavit, quam paucarum horarum spatiò cum anxietate gravissimâ mors excepit. vid. Job. a Mœckren. *Observat. medic. Chirurg. cap. 67. p. 321. seq.* Inter jurgia & rixas rusticus quidam ab affine propriò in labiò inferiore morsu ita vulnerabatur, ut planè perforaretur labium, vulnusque haud omnis periculi expers videretur, juxta Vit. Riedlin. Parent. *Observ. medic. Cent. 3. Obs. 9. p. m. 279.* Molhusæ quidam convitiis affectus armis destitutus, vindictæ nihilominus cupidissimus, dentium acumine menti barbati frustum haud exiguum Antagonistæ evulsit;

 vul-

vulnere brevi post vehementissimis symptomatibus, malignitatis haud expertibus, stipatô, forsanque lethali, nisi idonea medicamenta fuissent adhibita. vid. Frid. Hoffmann. *Disp. de Saliv. & ejus morb. cap. 5. §. 3. p. m. 19.* Morsum ex iracundiâ maniam & insanabile vulnus rustico cuidam conciliâsse, meminit Johannes Dolæus *Encyclopæd. Medic. Lib. 1. cap. 4. pag. m. 61.* Imò rarius exemplum in Juvene viginti septem annorum, temperamenti calidi & sicci, qui irâ graviter percitus, fortassis ex vindictæ defectu, morsu cruentô indicem digitum sibi ipsi vulnerârat, unde Hydrophobia & Mania cum ipsâ morte subsecuta est, annotavit Johannes Baptista Scaramuzzi *vid. Act. Erud. Lips. An. 1702. Mens. April. p. m. 147.* de quô paulo infrà plura. Ex quibus adductis exemplis patet, hominis morsûs juxta Paul. Æginet. *Enchirid. med. Lib. 5. cap. 26. p. m. 406.* cæteris Ulceribus longè perniciosiores esse, præprimis, uti addit, si jejunus (vel iratus) momorderit & priùs legumina, maximè lenticulam pro Cibô sumserit.

*rabidi.* §. 48. Longè tamen, tertiò, adhuc periculosior est morsus Hominis rabidi vereque furiosi, seu qui antea, sive proximè sive ante longum satis temporis spatium a Cane rabidô demorsus fuit, siquidem juxta Bapt. Codronchum *de Hydrophob. Lib. 1. cap. 8. p. m. 75.* non solùm homo a rabidô Cane commorsus in rabiem incidit: sed etiam idem homo rabidus, si alium hominem momorderit, rabiosum facit. Licet autem Rabies sit propriè ille Canum furor, in quem diebus canicularibus maximè feruntur Canes, transfertur tamen etiam ad hominum delirium furiosum, quando ex rabidi Canis aut Lupi morsu mente alienantur & graviter delirant, cum subsequente Hydrophobiâ. v. Jacob. Pancrat. Brunon. *Castell. renovat. seu Lexic. med. p. m. 807.* Posse verò talem per morsum canis rabidi homini communicatam Rabiem cum Venenô infectoriô in alios quoque homines tum per morsum, tum per solam etiam salivam, propagari, tragica sane testantur exempla. v. g. Rabidus quidam homo, â Cane rabidô morsus, chordis devinctus servabatur. Ecce! unâ nocte omnes, qui eum custodiebant, dormientes, effractis vinculis adortus, morsu violenter trucidavit. Hi scilicet post duas horas rabidiores facti, conclusi in domô mutuis se morsibus dilacerârunt. Tandem latratu ingenti & deliriô perciti intra duos dies omnes occubuere. vid. Zacut. Lusit. *de Prax. med. admir. Lib. 3. Obs. 85. Oper. Tom. III. fol. m. 115.* Cùm Gvilhelmus Fabricius Hildanus, Anno 1603. phreneticam quandam mulierem tractandam haberet, & lingvam, an arida esset, explorare vellet, illa digitum ejus dentibus arripuit atque adeò dentes digito impressit, ut sine violentia eum inde extrahere non potuerit. Hinc statim dolor vehemens non solùm in ipsô digitô, sed per totum brachium exortus est. Applicatis tamen idoneis medicamentis paulatim dolor sedatus est, & quinque vel sex dierum spatiô digitus convaluit. v. Gv. Fabric. Hild. *Observ. Chirurg. Cent. 1. Obs. 84. p. m. 98.* Videmus exinde, phreneticorum vel rabidorum hominum morsum minimè negligendum, sed potiùs Curam præservativam instituendam esse. Quod etiam docet Petrus Forestus *Observ. medic. Lib. 10. Obs. 28. fol. m. 350.* ubi sequentia refert: Mulier Delfensis annorum circiter qnadraginta, gravida ac prægnans ultimô mense, â cane rabiosô demorsa, id flocci faciens, cum gravida esset, ad mare more solitô cùm non accederet, & postea peperisset atque infantem jamdudum lactâsset, post semiannum â morsu in Maniam & insaniam gravissimam incidit, ut in lectô detineri non posset: Noctu custodiebatur, è naribus & ore spuma manabat, obviam quemque dentibus impetebat morsuque suo, &, si posset, in adstantes exspuebat & multos hoc modô simili vitiô labefactabat, raucâ voce insaniebat. Cumque hæc fœmina â viris in lectô detineri non posset ac potum timeret, nec bibere posset, spem nullam in curatione sitam esse prædixit Forestus, ipsoque vix per horam ab eâ digressô, hac insaniâ misere extincta est. Imperavit tamen dictus Medicus, ut adstantes omnes, quos sputô infecerat, ad Oceanum mitterentur & aquâ submergerentur: Erant infiniti numerô

numerò, tam mulieres, quàm viri, qui eam inviserant, ab eâdem sputò infecti, sed omnes aquâ submersi, nihil postea mali unquam senserunt. Virgo viginti annorum â puerulô rabiosô in manu demorsa erat, omniaque exhibebat Rabiei symptomata; jam sedecim â læsione dies effluxerant, cùm demum incidit, eam balneo magno aquæ fluvialis frigidæ magis quàm calidæ, soluta in ea salis quantitate, immittere. Nudam itaque demergebant iterumque extrahebant, idem sæpius repetentes, donec tandem hoc exercitiô miserè divexatam, nihilque amplius sibi consciam in balneô sedentem relinquerent. Illa deinde visâ aquâ, cui insidebat, mirata atque demirata est seipsam, quòd aquam sine horrore videre posset. Posthæc morbus ejus jam tantùm morbus ordinarius erat. Febris invadebat, cui secundum methodum communem obviam itum. Vomituriebat frequenter; & levamen â Vomitu sentiebat; subventum igitur naturæ & hac in re. Pluribus adhuc vicibus balneo immissa est, tandemque plenæ sanitati restituta, cum morbus universus non amplius uno mense durasset. vid. Histor. Academ. reg. Scient. Paris. *An. 1699. p. 68.* Nobilis quædam matrona Patavina, â Cane rabidô morsa, per Chirurgum curabatur; post quindecim autem dierum decursum, rabie redeunte, assidentes invadere conabatur: hinc vulnus denuò scarificatum aperiebatur & diutius apertum conservabatur, ut veneno exitus pateret. Torgaviæ mulier maniaca, & quidem, ut putabatur, ex Philtrô, lictorem, ipsam in custodiam abducentem, mordendo prope axillas in similem conjecit calamitatem, ut posterò die, similiter ac ipsa fureret, muliere melius se habente, juxta relationem Michaelis Ettmülleri *Disput. de Mors. Viper. cap. 1 Punct. 5. Oper. med. Vol. II. fol. m. 1665.* Inter rariora referendum est exemplum fœminæ ex morsu filiolæ epilepticæ, Hydrophobia laborantis, quod ex Richardo Mead refert Elias Camerarius *Dissert. epist. 2. p. m. 23. seq.* De commorsione fratrum instar Canum rabidorum sequentem historiam refert Philippus Camerarius *Horar. sub-*



*subcisiv. Cent. 3. Obs. 36. p m. 125. seq.* Mulier Florentina illustris atque opulenta, mortuo maritô, superstites duos habebat filios, quos delicatè & indulgenter educaverat, donec adulti essent. Quodam verò die in iram versi matrem pluribus verberibus malè mulctarunt. Quod scelus ipsa impatienter ferens, horrendis imprecationibus adversos illos usa est, genibus procumbens & terram manibus pulsans, Erynnes cæterasque inferiales pestes in rabiem filiorum, magnô cum gemitu, invocavit. Exaudiunt dæmones, juvenes aggrediuntur, illos in furias exagitant, qui statim, ut rabidi canes, mordaciter ad invicem sua membra corrodunt, concurrunt famuli, fit clamor ingens, alii funes, alii catenas ferunt: ligantur juvenes, nec rabie contineri valent.

## CAPUT VI.
## DE
## HYDROPHOBIA & RABIE CANINA.

### §. 1.

CUm in hactenus de Animalium morsu recensitis exemplis aliquoties Hydrophobiæ facta sit mentio, paulò prolixiùs adhuc de difficili hoc affectu agere volumus. Non immeritò autem inter maximè admiranda symptomata, quæ morbo alicui supervenire possunt, refertur Hydrophobia, sive metus aquæ, quem Rabiem comitari solere notum est. Quid enim relationis, aut quid commercii veneno in sangvinem per morsum canis rabidi immisso intercedit cum horrore tantô, quô liquida tales ægri prosequvuntur, ut solum eorum aspectum perferre nequeant, convulsivisque motibus & furore inde afficiantur, v. Histor. Academ. Reg. Scient. *An. 1699. pag. 64.* *Hydrophobia*

§. 2. Quantum quidem ejusdem denominationem attinet, oritur Hydrophobiæ vocabulum â Græco ὕδωρ, aqua & φόβος, timor, quasi aquæ timor, quòd scilicet Hydrophobiâ strictè *Denominatio*

 sic

ſic dictâ, atque ut plurimum a rabidi canis morſu ortâ, laborantes, præter cætera ſymptomata aquam imprimis timeant, & quidem ſine ullâ ratione, qualis aquæ metus aliàs omnibus hominibus, in præſenti vitæ & ſuffocationis periculô, communis eſſe ſolet. Nonnulli etiam Autores hunc Affectum locô Hydrophobiæ Hygrophobiam appellare, atque â Græcô vocabulô ὑγρὸς, quod Adjectivè humidus & madidus redditur atque de rebus liquidis & fluidis uſurpatur; Subſtantivè autem mare vel pelagus ſignificat, derivare malunt; fortaſſe, quia taliter affecti non modò aquam, ſed omnem etiam liquorem & potum abhorrent, vel etiam quia ſæpisſimè per immerſionem in mare ab hoc morbô liberantur. Sed, juxta Cælium Aurelianum *de Morb. acut. Lib. 3. cap. 9. p. m. 218.* Conſvetudo magis primum obtinuit nomen, ſiquidem plus aquam timeant ægrotantes vel quod inter cæteros liquores plurimum aqua præſtet; quibus addi poſſet, quòd omnes liquores ab aquâ conſiſtentiam ſuam mutuentur. Alii quoque, juxta Aurelian. *l. a.* Phobodipſon appellant, quod cum timore ſitiat: vel Pheugydron, & Aquifugam, ſiquidem aquam fugiat: vel Cynolyſſon, veluti ex rabie caninâ morbum conceptum. De his & aliis denominationibus vid. Bapt. Codronch. *de Hydrophob. Lib. I. cap. 1. p. 28. ſeq.* ubi inquit, tales denominationes, ſi morbi ideam & eſſentiam conſideremus, non videri ſatis convenire, cùm rabioſi homines verè aquam non metuant, ſed potiùs ſitientes eam perhorreſcant & abominentur ob læſionem & cruciatum internum, quem percipiunt & experiuntur ex aquæ & liquidorum aſſumptione & oblatione, vel cùm de his verba fiunt, exiſtimantes ab his ſuffocari; ideo potiùs Hydrobdelygma vel hygromiſos, ſeu hydromiſos a deteſtatione & abominatione, vel hydrapoſtrophe, vel rabies ſimpliciter magis aptè nuncupari poterit; quæ tamen denominationes non conveniunt commorſis a principiô, ſed ubi inſurgunt ſymptomati veneni rabidi. Hinc etiam Hydrophobia Latinis Rabies, vel ſimpliciter, vel, additô Epithetô, Rabies



Rabies canina audit; partim quia juxta veteres Autores ſolus, inter animalia bruta, canis tali rabie afficiatur, partim etiam, quia ſolus ab ejusmodi rabioſô cane demorſus homo ſimilem affectum cum iisdem ſymptomatibus & quandoque cum latratu caninô incurrat; ſiquidem Galenus *de Loc. affect. Lib. 6. cap. 5. fol. m. 39.* reliquorum animalium nullum rabie capi, ſed ſolum canem eô affectu corripi ſtatuit, unde talem rabiem caninam in homine obſervatam neceſſariò a ſolô cane in hominem & alia animalia per morſum contagioſum propagari ſequitur. Ideò etiam Johanni Gôræo *Definit. medic. fol. m. 336. b.* ὑδροφοβία ſeu ὑδρόφοβος ſymptoma eſt morsûs rabioſi canis, et nemo eorum, qui â rabioſô cane demorſi fuerint, immunis ab eâ affectione eſt, qui neglexerit aut malè ſubierit curationem, idque maximè ſi corpore fuerit cacochymicô & melancholicô. Imo quia rabies canina imprimis hoc notabili phænomeno eſt conſpicua, ideò dicitur Hydrophia, a Symptomate, quod ſigni pathognomonici vicem gerit. vid, Georg. Wolffg. Wedel. *Patholog. med. dogmat. Sect. 3. cap. 9. p. 605.*

§. 3. Solet tamen inter Autores adhuc litigari, an ejusmodi affectus primò ſit ſolius canis, non autem cæterorum quoque animalium; deinde an dictus morbus atque ſymptomata, qualia ab hactenus adductis Autoribus fuêre recenſita, ſemper â morſu & ſalivâ canis vel alius animalis homini communicatâ ſive ab extrinſecus accedente contagiô dependeant; vel annon etiam in humanis corporibus tales produci queant humores, qui ad rabidi canis venenum, quod propriè Hydrophobiam excitare ſolet, proximè accedant? Circa quam reſponſionem multi recentiorum Autorum, non modò in aliis quoque animalium ſpeciebus Hydrophobiam poſt præcedentem rabioſi Canis morſum obſervari, ſed etiam absque propagatô venenô ſeu contagiô, â variis cauſis oriri poſſe, defendunt, e. g. Cælius Aurelianus *l. a.* non ſolùm Canis rabidi, ſed cæterorum quoque animalium, quæ ſint ſimili ratione noxia, ut luporum, Urſorum; Leopardorum, equorum

*an ſolus canis ea laboret?*

*an ſemper a morſu canis?*

*negatur*

rum & asinorum, morsum pro causâ accendente hujus passionis agnoscit. Scribit etiam Andreas Matthiolus *Comment. in Dioscorid. Lib. 6. cap. 36. fol. m. 1008.* Sciendum est, quod non canes tantùm (quanquam ii magis, quam cætera animalia in rabiem agantur) rabidi fiunt, sed etiam alia pleraque animalia, nempe Vulpes, Mustelæ, Viverræ, Martes, Simiæ & id genus alia. Hoc affectu etiam capiuntur muli, qui suis aliquando morsibus dominos & stabularios rabidos & veluti arreptitios reddiderunt. Ibidem etiam dictus Autor, se eqvum rabie furentem vidisse, testatur; atque Camelos etiam & equos in rabiem agi, ex Aristotele allegat. Sic Thomas Bartholinus *Cent. 3. Epist. 48. p. m. 199.* equorum, rabie agitatorum, qui natando in mari curati sunt, mentionem facit. Lupos non modò in rabiem verti, sed ab illis etiam demorsos in maniam cum ululatu & Hydrophobiâ incidere, pauloque pòst extingui, docet Felix Platerus *Observ. medic. Lib. I. pag. m. 80.* Plura rabidorum luporum atque ex eorum morsu pereuntium exempla jam supra, de morsu Lupi, recensuimus. Casparus a Reies quatuor novit homines, qui nocte quadam intempestâ ruri oves custodientes a truculentissimâ rabiente lupâ subitò arrepti sunt, quorum tres crudeliter vulneravit, ita ut duo paucis post diebus perierint. *v. ejusd. v. 61. Qv. 5. p. 788.* ubi etiam Asinum rabie affectum, minimé tamen a cane rabido commorsum, propriis oculis vidisse addit. Jacobus Pancratius Bruno Hydrophobiam ex morsu Lupi rabiosi crudelissimo se notâsse scribit *Lexic. Med. p. m. 683.* Inquit etiam Petrus Salius Diversus *de Affect. particular. cap. 19. p. m. 342.* Novi ego, â lupis sæviora & magis horrenda consequi symptomata, quàm â cane rabidò: magisque hi & violentius cruciantur, qui â lupô rabidô commorsi sunt, quàm qui â cane; quod de lupô attestor, idem de cæteris animalibus asseratur, affirmeturque, veram rabiem ab omnibus his generari. A rabiosâ Fele quatuor domesticos, masculos & fœminas, unô die dentibus commorsos unguibusve laniatos, inde brevi sævissimis symptomatibus correptos suum obiisse diem, supra ex Amato Lusitanò allegavimus. Puellam itidem septem annorum post morsum felis rabidæ a quibusvis liquidis abhorruisse atque in mortis prædam cessisse, ibidem ex Vitô Riedlinô adduximus; ubi etiam adhuc plura exempla reperies. Rabiem viginti horarum â vulnere Cati rabidi lethalem ex Gvidone Patinô refert Georgius Wolffgangus Wedel. *Disp. de Hydrophob. cap. 3. p. 12.* Assisii juvencula a fele commorsa sine febre de nullô aliô malô, quàm faucium conquerebatur, cum perpetuô Ptyalismô, & postquam nihil bibere aut edere voluit, octo dierum spatiô obiit. Et fœmina morsum felis passa per aquæ aversionem Hydrophobiam patefecerat, cibum tandem admisit sine deliriò, solum verò singultum & faucium angustiam usque ad mortem perpessa est. v. Joh. Bapt. Scaramucc. Epist. ad Anton. Magliabecchium *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. App. p. 250.* Alia animalia præter canem in rabiem agi, ex variis Autoribus recenset Baptista Codronchus *de Hydrophob. Lib. 1. cap. 1. p. 25. seq.* v. g. camelos, equos, lupos, ursos, leopardos, asinos, vulpes, mustelas, simias & mulos, item leones, feles, murænas & gallos; & deinde concludit Codronchus: Cum igitur relata animalia experientiâ & auctoritate optimorum Autorum Rabie corripi possint, pariter credendum est, cætera animalia rabie tentari posse. Nec minus suprà Avium rabidarum mentionem fecimus, v. g. Olitor in Italiâ a veteris Galli Gallinacei morsu in manum inflictô primâ statim die ringens ore inventus, nec igne, nec ferri ullis præsidiis juvantibus, pugnacis Galli instar decumbens tertiâ die exspiravit: v. Thom. Bartholin. *Cent. 5. Histor. 52. p. m. 119.* Et a Gallô pugnante leviter læsum in rabiem venisse refert Cælius Aurelianus *l. a. p. 219.* Galli etiam Uri seu Tetraonis vel Tetracis rabidi ex *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obs. 107. p. 142.* meminimus. Alias etiam aves hujus labis non expertes semper esse putat Johannes Petrus d' Apples; Fuit mihi, inquiens, quidam studiorum socius, qui sanctè juravit, commor- sam

ſam ab Aquilâ cicure rabidam evaſiſſe ſororem ſuam; ſeque antea obſervâſſe, quod deplumis fieret, nec eundem ſervarent ordinem plumæ. vid. Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Part. I. Lib. I. Sect. 20. fol. m. 206.* Aquilam autem tunc temporis ægrotâſſe, ex Ariſtotele fit probabile, juxta quem cùm aves ægrotant, plumæ indicium proferunt; Turbantur enim, nec poſituram eandem ſervant, quam habent, cùm recte valent. vid. *ejusd. Hiſtor. Animal. Lib. 8. cap. 18. fol. m. 449.* Plura animalium in rabiem actorum exempla collegit etiam Johannes Schenckius *Obſervat. medicin. Lib. 7. fol. m. 849. ſeq.* item Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. quæſtion. Camp. Qv. 61. n. 4. ſeq. p. m. 787.* Quamvis autem negandum non ſit, rabiem vel Hydrophobiam in nonnullis brutis, v. g. equis, bobus, aſinis, mulis, &c. â Canis vel lupi rabidi morſu quandoque vel utplurimum derivari poſſe, quod etiam confirmare videtur Thomas Bartholinus *Cent. 2. Hiſtor. 99. pag. m. 290.* Neapoli, inquiens, diebus canicularibus 1644. â Cane morſi boves videbantur inſaniæ quoque induiſſe ſpeciem; minimè tamen in reliquis animalibus, imprimis in avibus, araneis & Tarantulis (quarum ultimarum ictum quoque aquæ averſationem ſeu Hydrophobiam inducere ſcribit Daniel Sennertus *Inſtitut. medic. Lib. 2. Part. 3. Sect. 2. cap. 4. pag. m. 340.*) ejusmodi morſus caninus ſemper expectandus aut præſupponendus erit.

*Autoritas.* §. 4. Quam ſententiam de rabie aliorum quoque animalium adhuc alii recentiorum Autorum confirmant, quamvis plerique hunc affectum utplurimum a Canis vel Lupi rabidi morſu dependere concedant: Inquit enim Daniel Sennertus *Pract. Lib. I. Part. 2. cap. 16. p. m. 431.* Appellatur hoc malum â plerisque Hydrophobia, quòd eò affecti aquam, imò omnia liquida exhorreſcunt: alii ſub nomine Rabiei caninæ de morſu Canis rabidi, de veneno rabidi Canis & aliis hoc malum proponunt. Verùm in genere Rabiem appellare malo; cum non canes tantùm rabie corripiantur & ab eorum morſu homo in rabiem incidat, ſed etiam lupi, cameli, equi, ſues, boves, vulpes, feles, urſi, leopardi, aſini, muli, muſtelæ, ſimiæ, galli, &c. Plerique tamen â Cane rabiei hoc nomen indiderunt, quòd frequentiùs, quàm alia animalia Canes in rabiem agantur. Imò ſunt, qui exiſtimant, ſolum Canem primariò & principaliter & ex principiis internis rabie corripi, reliqua animalia ſaltem ſecundariò, & malô â cane rabidô communicatô, eâ laborare. Verum non impoſſibile videtur, etiam in aliis animalibus hoc venenum generari poſſe, præſertim iis, quæ cognationem habent cum canibus, quales ſunt lupi, qui frequentisſimè quoque rabie corripiuntur. An verò in homine etiam hic affectus generari poſſit, dictus Sennertus alibi agit. Sic juxta Georg. Wolffg. Wedelii *Diſputat. de Hydrophob. cap. 3. p. 12. ſeq.* Hydrophobiæ origo ordinarie & communiter adſcribitur contagioni extraneæ, quatenus Canes in rabiem acti invadunt obvios & vulnus morſu ſuo infligunt, id quod trivialis ferè loquitur experientia illorum, qui hôc fatô perierunt; quod multi Practici teſtantur, imò notisſimum id in vulgus eſt. Non verò ſolos Canes eâdem virtute nocendi pollere, prout inter nonnullos Veterum litigatum fuit, itidem extra dubium eſt; quod etiam exemplis felium, gallorum & luporum probatur. Et cùm certum ſit, etiam equos, ſimias, ſues, vulpes, mulos, rabiei eſſe obnoxios, quid impedit, quò minus aſſeramus, eandem quoque cum aliis communicari poſſe, ſi actualis accedat læſio; cum & aliàs, ſecundum Celſi effatum, omnes morſus ferarum aliquod virus in receſſu habeant, & vulnera iſta, teſte quotidianâ experientiâ, difficiliùs perſanari queant, quæ ab iratô inferuntur animali, unde a minori ad majus fieri poteſt collectio. Et Lucas Schrœckius *Schol. in Johann. Helvvig. Obſerv. 78. p. m. 245.* ſcribit: Licet â rabioſi canis morſu utplurimum oriatur Hydrophobia ſeu rabies, qvandoque tamen aliam agnoſcit cauſam, nec ſemper â morſu iſtô originem ducit. Hinc etiam nonnulli Autores in Hydrophobiæ definitione primariò eqvidem canis rabidi, quandoque tamen etiam aliorum

rum animalium morſum vel aliud analogum pro ejusdem cauſâ agnoſcunt, v.g. Johannes Coſterus *Theor. & Prax. Tab. II. pag. m. 42.* non canis ſed in genere animalis morſui cauſam adſcribit, dum Hydrophobiam per delirium cum aquæ & liquidorum omnium abominatione, â peculiari venenô animalis rabidi homini communicatô ortum habens, definit. Item Johannes Jonſtonus *Syntagmat. univerſ. Medicin. pract. Lib. 3. Tit. 2. cap. 4. Art. 6. p. m. 727.* Rabiem deſcribit per delirium, â venenô quodam peculiari in animali genitô & homini communicatô productum, cum vehementi liquidorum omnium & aquæ potisſimum abominatione. Baptiſta Codronchus de *Hydrophob. p. 32.* etiam aſſerit, eſſe affectum præternaturalem, a veneno quodam peculiari in animali genito & homini communicatô, cum vehementi liquidorum omnium, ſed aquæ potisſimum abominatione, (quæ ſunt eadem ferè Jonſtoni & Coſteri verba.) Et Stephano Blancardo, *Lexic. med. p. m. 312. ſeq.* Hydrophobia, ſeu aquæ metus, eſt affectus, maximè convulſivus, cum furore, liquidorum & ſplendidorum fuga, aliquando cum delirio, febri aliisque ſymptomatis, ſummô cum vitæ discrimine invadens, ortus & propagatus ex morſu canis rabidi, eique analogô contagiô. Jacobo etiam Pancratio Brunoni *Lexic. med. ſeu Caſtell. renovat. pag. m. 683.* Hydrophobia eſt ſymptoma rabiei ſeu delirii â morſu canis rabidi aut aliorum ſimilium brutorum rabidorum oborti. Juxta Joannis Gorræi *Definit. med. f. 336.* nonnullis Hydrophobia nihil aliud eſt, quàm inſaniæ ex atrâ bile genus. Et Cælio Aureliano *de Morb. acut. & chron. Lib. 3. cap. 10 p. m. 219.* eſt Appetentia vehemens atque timor potûs ſine ulla ratione, ob quandam in corpore pasſionem. Georgius Wolffgangus Wedelius *Diſſert. de Hydrophob. cap. 1. p. 5.* Hydrophobiam deſcribit, quod ſit delirium cum febre & timore aquæ, ab idea peregrinâ, per contagium mumiale ſpecificum, canis cumprimis rabidi, ſerius ocyus inductum. Secundum verba Michaelis Alberti *Introduct. in univerſ. Medic. Sect. 10. cap. 3. p. 410.* eſt furor caninus ſive Hydrophobia affectus delirus, & hanc appellationem â metu aquæ, quô canes in rabie ſuâ laborant, nactus eſt, ita ut in ſe ſpectatus ſit ſimilitudo rabiei caninæ in hominibus, quemadmodum morſum canum rabidorum ſequitur, & tam in animô, quàm corpore multas & exiguas alterationes inducit. Et juxta Joh. Juncker. *Conſpect. Medicin. theor. pract. Tab. 110. p. 694.* eſt Hydrophobia ſpecies deliriorum, liquidorum & ſplendidorum averſionem ſub febre communiter acutisſimâ inferens; a morſu canis rabidi vel alio eidem analogo contagio inducta. Sic juxta Iohannis Walæi *Medicin. pract. Lib. 2. cap. 2. p. m. 137.* Hydrophobia eſt, quando æger omnia liquida metuit, imò non patitur ea nominari: Fit autem dupliciter, vel ob ſpeciem illuſtrem, vel ob morſum canis, felis, ſimiæ, valde irati hominis, item & equi. Et canes &c. hoc faciunt mediante ſalivâ, quæ vel diu veſtibus adhæret, vel nudam partem tangit. Verum omnis ſaliva canis hoc non facit, ſed vel rabioſi, vel valde irati, vel ejus, qui ſub lingvâ inflammationem habet & vermem, vel etiam ſine verme, ut obſervatum eſt. Et Petrus Salius Diverſus *de Affect. particul. cap. 19. p. 341. ſeq.* inqvit: Non potui non admirari, cur Autores de Rabie acturi, quæ homini per tot animalia communicari poteſt, ſolùm de morſu canis rabidi agentes, tractent & inſcribant de commorſis à cane rabido, cùm de commorſis ab animali rabidô inſcriptionem ponere debuiſſent: ibidemque dictus Autor in aliis etiam animalibus veram rabiem generari poſſe defendit. Plura vid. Bapt. Codronch. *de Hydrophob. cap. 7. p. 62. ſeq.*

§. 5. Cùm proinde ſecundum hactenus dicta varii Autores alias quoque, præter canem, animalium ſpecies, absque præcedente rabidi Canis morſu & absque propagatô tali Contagiô, Hydrophobiâ affectas, earumque morſus æque venenatos obſervaverint, ita etiam, ut exinde rabies canina cum Hydrophobiâ ſubſecuta fuerit, nonnulli eorundem dictum morbum etiam â cauſis internis ſine prævio canis rabidi morſu oriri poſſe ſtatuunt, idque variis rationibus atque exemplis *an à cauſis internis?*

 con-

confirmant. Inquit enim Carolus Aurelianus *de Morb. acut. Lib. 3. cap. 9. pag. m. 219.* esse possibile, sine manifestâ causâ hanc passionem corporibus innasci. Et juxta Ambros. Paræum *Lib. 20. cap. 13. fol. m. 439.* Possunt prehendi rabie homines, etsi à cane rabidô demorsi non fuerint. Ut enim ex sese humores sæpe inflammantur & Cancrum excitant aut Elephantiam, sic in melancholicis Rabiem &c. In corpore nostro humores gigni posse, qui rabidi Canis venenum æmulentur, quemadmodum & alterius venenatæ qualitatis succos intrò generari, docet Marcellus Donatus *de medic. Histor. mirab. Lib. 6. cap. 1. pag. m. 598. seqq.* ubi aliquot Observationes recenset. Quamvis etiam Petrus Salius Diversus *l. a. p. m. 363. seq.* circa quæstionem, an Rabies a principiis internis in homine generari possit, primò ex certis rationibus dubitet, nihilominus tamen experientiâ convictus postmodum affirmat his verbis: Virus istud, quod in tot generibus (speciebus) animantium procreari hominique per ea impartiri novimus, considerandum est, an in homine ipsô, nullô extrinsecô accedente contagiô, â principiis internis fieri possit? Dictaret ratio quidem, cum, omnium assensu, venena deleteria in homine generari possint, etiam hoc virus non excludendum esse, non magis distante homine â ferâ & serpente venenum ejaculante, quàm ab animalibus, quæ in Rabiem proclivia sunt; imò majorem cum his, quàm illis, analogiam habente; tamen cum nulla antiquorum authoritas hoc attestata sit, qui semper Rabiem ex contagiô, non sponte homini accessisse docuerunt, non videtur hoc ita facilè admittendum esse. Si tamen experientia difficultatem dirimere potest, dicam, quid viderim ipse in particulari casu, quem nunc explicabo. Mulier annum agens trigesimum sextum, febre langvens, me ad eam (se) curandam accersivit; invenio febre pestilenti detentam, curationem aggredior, sanitatique restitutam die undecimâ eam relinquo: totidem diebus interpositis, dysenteriâ admodum dolorosâ, additâ febre, affligtari cæpit: me iterum advocat: morbum oppugnare incipio, septemque diebus morbum supero; febricula quædam remansit, quam cùm curare delibero, supervenit mulieri maxima omnium liquorum aversio, tantaque, ut non modò, quæ ipsi offerenda erant, tum medicamenti tum cibi ratione, perhorresceret & abominaretur, sed etiam ut adstantes (nam media erat æstas) etiam bibentes coram eâ (se) sustinere non posset. Hanc rabie correptam ex hôc solò symptomate deprehendi, quod adeò deinceps auctum fuit, ut nihil admitteret, etiam in thalamo, liquidi apportandum esse, & non modò potum simplicem, sed etiam omnia cibaria liquida abominaretur. Cumque solida alimenta, ratione febris & longitudinis morbi, non ita facilè admitteret, in virium prostrationem delapsa est: non tamen citò periit, sed ultra septimam producta est â die, in quô humida aversari cæpit, octavâque die defuncta est. In quâ muliere nullum aliud symptoma ex his, quæ concomitantur rabidos, fuit, præterquam liquorum omnium aversio, menteque semper constitit: nec de ullò unquam conquesta est, nisi cùm liquida admoverentur: quô tempore adeò affligtabatur, ut horrendum quid esset, ipsam conspicere: reliquô tempore semper quieta fuit, interrogataque â me, an unquam a cane rabidô commorsa fuisset? certò affirmabat, nunquam se â cane, nedum rabidô, sed nec etiam sanô, tactam fuisse, cùm nec domi unquam canem educâsset, nec externis unquam communicâsset. Mater autem præsens interrogata â me, an meminisset, filiam, dum puella esset & in ætate infantili, cujus ratione ipsa non recordaretur, unquam commorsam ab ullò cane, attestabatur certissimè, filiam nihil tale unquam passam fuisse. Quare, pergit idem Autor, hinc dubitare cæpi, an homo a principiis internis possit rabiem incurrere? Cùm enim hic de contagiô nihil constaret, Hydrophobiaque ista non esset conjuncta cum symptomatibus, quæ rabidos homines, â rabientibus animalibus commorsos, concomitari consvevêre; suspicatus sum, factum esse â causâ internâ; & cùm non fuerit communicata

nicata â furente & rabidâ belluâ, ideò eam extitisse cæteris mitiorem, &c. Cùmque Julius Palmarius *de Morf. Can. rabid. & Hydrophob. cap. 1. Tract. de Morb. contagiof. p. m. 327.* varias rabiei caninæ causas, imprimis autem canis iracundiam ponat, item si canis per æstatis ardores aut brumæ frigora frigidæ potu prohibeatur, item si longiori inediâ inarescat, vel salsis poculentis aut esculentis sese repleat, unde bilis in eô inexplicabilem malignitatem contrahens, ipsum in rabiem agat &c. Cur quæso tales & aliæ causæ in reliquis etiam animalibus, inque ipsô homine non pariter, uti in cane, Rabiem & Hydrophobiam excitare poterunt. Quam sententiam etiam confirmat Carolus Patinus, scribens: æquè nascitur Hydrophobia sive Rabies â causa internâ, quàm ab externâ; pravus enim humor facilè degenerat & per corruptionem induit naturam veneni, uti ex ejusdem Epistolis allegat Wedelius *l. a. p. 15.* vid. etiam Paul. Zacch. *Quæst. med. legat. Lib. 2. Tit. I. Quæst. 17. n. 6. 7. seq. fol. m. 190. seq. & Lib. 2. Tit. 2. Quæst. 5. n. 2. seqq. p. 214.* & Conrad. Berthold. Behrens *de Constitut. Rei medic Lib. I. Tit. 3. §. 8. p. m. 15.* Et Michael Ettmüllerus *Oper. med. Tom. II. fol. m. 970.* ad quæstionem, an solum animalium rabidorum morsum sequatur Hydrophobia? respondet, rem adhuc dubiam ex eô videri, quoniam prostare videantur Auctorum Observationes, citra animalium morsûm eas esse ortas; item Daniel Sennertus *Pract. Med. Lib. 6. Part. 2. cap. 5. p. m. 81.* inquit: Etsi Hydrophobia vulgò pro eodem affectu planè cum rabie caninâ, quæ demorsis â cane rabido accidit, habeatur: tamen observatum etiam sine morsu canis vel alterius animalis rabidi ab internô humorum vitio hydrophobiam generari posse, &c. Rationes pro sententiâ affirmativâ & negativa vid. Bapt. Codronch. *de Rabie Lib. I. cap. 10. p. 84. seqq.*

§. 6. Varia autem adhuc alia, præter modò ex Petrô Saliô Diversô recensitum, Hydrophobiæ, absque præcedente canis vel alterius animalis rabidi morsu, exempla annotârunt etiam alii Autores, siquidem Hydrophobiam cum animi perturbatione & convulsivâ inter deglutiendum suffocatione lethalem, non â morsu Canis rabidi, sed â terrore inductam observavit Felix Platerus *Obs. Med. Lib. I. p. m. 90.* & quidem in Sutoris uxore, quæ Corium, nocte instante, sola lavans solitudine perterrita existimabat, se splendorem aliquem è fornice erumpentem cernere, torritemque inundantem auctumque cum impetu affluere; quô perculsa domumque reversa ab eô tempore neque vinum, nec jusculum, nec aliud quicquam liquidum deglutire potuit, sed statim, hisce oblatis, magisque ori inditis suffocandæ similis, spiritum cum vociferatione, velut interclusum trahebat. Et, quod mirum, ex solo contactu liquidorum idem accidens patiebatur; imò si liqvida in conclave inferrentur, illis conspectis, cohorrescebat denuoque afficiebatur, adeò ut non priùs grave hoc Symptoma cessaret, nisi hisce è conspectu ablatis. Terroris impressioni Rabiem quoq; adscribit Elias Camerarius *Dissert. Taurin. Epistol. phys. medic. 2. p. m. 20.* inquiens: de Canum rabidorum morsu stupenda prorsus legimus, vix semper ad evidentes deducenda rationes. Tale quoque est, quod primarius nuper retulit Vir, militem hyberna transegisse in Sabaudia, in ædibus quibusdam; Civem illum caniculam aluisse, quacum miles frequenter luserit, blanditiis morsiunculisque ejus sæpius petitus; abit tandem miles domumque illam relinquit, at rediens postea de caniculâ solicitè quærit, ubi degat; audiens verò, eam in rabiem incidisse, territus nunciô langvere cæpit, ac tam firmâ dubio procul terroris impressione in rabiem quoque infeliciter incidit. Et *pag. 24.* idem Camerarius recordatur gravidæ cujusdam Illustris fœminæ, aliquandiu sine causâ manifestâ hydrophobæ atque omnem potuum speciem mirè aversantis, donec Ideam illam sensim mens dimitteret.

*ab aliis causis.*

§. 7. In Febre malignâ & nimiô potu Hydrophobiæ speciem citra morsum animalis rabidi obortam annotavit Philip. Salmuth *Obs. med. Cent. 2. Obs. 52. p. m. 81.* Scilicet Potator quidam strenuus & vitam inordinatam agens febre malignâ corripitur, & inter alia *â febre.*



gravissi-

gravissima Symptomata in Hydrophobiam quasi incidit. Hic enim, cùm intentissimâ siti cruciaretur, ejusque Os amarum & lingua valde sicca atque aspera existeret, potum quidem anxiè expetebat, sed quoties Cantharum ori admovebat, tantô tremore & metu percellebatur, ut eum illicò deponere cogeretur. Qvinimò dum Cantharo seu poculo saltem manum admovere iterum iterumque conabatur, sæpius subitò quasi perterritus eam retrahebat, & ad solius hordeaceæ aquæ, vel potionum quoque alterantium inspectionem expavescere aliquantum & tremere videbatur. In quartum igitur usque diem eâ in miseriâ vivens, ne guttulam quidem Cerevisiæ vel alteriùs potûs haurire potis erat, quo & tandem extinguebatur, superveniente prius paroxismô epileptico. Aliud Hydrophobiæ gravioris â febre enatæ exemplum observavit etiam Medicus Hispanus, Sanchez, de quodam, qui mediô Augusti incidit in Hydrophobiam cum febre continuâ, citra ullum morsum ab animali rabidô, in qua non poterat ferre aspectum aquæ neque potûs cujusdam, aut vini, aut jusculorum, & quamvis bibere anniteretur, tamen ubi potum aut juscula sumpsisset, tanta eum premebat Cordis angustia, tantus tremor, tanta corporis totius anxietas, ut cogeretur liquorem ejicere foràs, ne guttulâ quidem haustâ; agnoscebat quidem, se non posse vivere sine potu, nec manus tamen abluere audebat, cùmque jussu Medici scyphum admovisset, idem horror & tanta concussio apprehendebat eum, ut totus pertremisceret, ut sudaret & convelleretur: hic quinto die periit; quæ allegati Autoris verba refert Michael Ettmüllerus *Oper. med. Tom. II. fol. m. 970.* vid. etiam Carolus Musitan. *Chirurg. Tom. III cap. 30. pag. m. 107.*

*â causâ occultâ.* §. 8. Aliquot etiam historias Hydrophobiâ ex occultâ causâ pereuntium sequentibus verbis & circumstantiis ex Joannis Baptistæ Cavallaria observationibus commemorat Marcellus Donatus *de medic. Histor. mirabil. Lib. 6. 1. p. m. 598. seqq.* scilicet 1) In agrô Mantuanô viduus quidam quinquagenarius, dum prandet, nescio quid sibi gulam scalpere existimat: poculum sumit, ut molestiam illam potione abigat: sed potum, vel summô conatu deglutire nequit: sibi ipsi iratus ad situlam aquâ plenam accedit, ut bibat: sed vix dum labra admovens retrorsum cadit: mox surgit, abit, eâ die non cænat. Postridie eadem omnia tum in prandiô tum in cœnâ patitur. Tertiâ die ad me equo vectus in viâ uvas & multas & facilè vorat. Ego, hisce omnibus ab illo tum auditis, symptoma exploraturus frigidæ poculum illius ori semel, iterum ac tertiò per intervalla admoveo, amicos ad spectaculum advoco: toties ille horrescit, tremit, animô linquitur & in summis faucibus (ut resipiscens referebat,) suffocatur. Remotô poculô statim ad se redit, mente constat, validus est, non febricitat; nihil prorsus dolet, functiones omnes inculpatæ sunt, unâ exceptâ potatione. Præscribo antidota: intra triduum mors occupat. Quærendo, explorando, suscitando nulla hujus affectionis evidens causa comperta est. 2, Fœmina quædam die quadam dolet, primùm collô, tum brachiô dextrô; secundâ die decumbit cum brachii dolore & tremore; tertiô die cessat dolor, tota tamen tremit, nauseat inaniter, sudat & veluti suffocatur. Si vinum, aqua, jusculum propinatur, convellitur ac deficit, ova ac panem probè sumit, valde sitit, facultates principes ac sentientes bene constant, mitis est animus: placidus est sermo: non videtur febricitare. Quintâ die illa effertur. 3) Virgo annorum sexdecim visâ quorundam digladiatione terretur: eâ nocte febris vehemens: statim in invasione pustulæ circa labia, post horas duodenas â primâ invasione fit attonita, post alias duodenas febris sedari sibi visa est. Surgit brachiô sinistrô paralyticô. Si brachium illud dimoveatur, dolor acerrimus latus puellæ transfigit, & (ut ipsa inquit) ad Cor usque pertingit, ita ut ferè inde deficiat. In quartâ rigor eam rursum cubare cogit: dolor augetur: supervenit nausea, anxietudo, oris spuma, lumen intueri neqvit, ejulatur, fugit, pavet, domesticos ejicit. Admorâ potione caput retrahit, horret, deficit: Per intervalla recta loquitur: post hæc denti-

dentibus ſtridet: lingvam ſibi emordet: in principiô quintæ emoritur. 4) Dominicus Berecius, agricola, nuptus, validus, annos natus triginta ſeptem, per dies octo ignota ſibi de cauſa brachiis dolitat: operarur tamen in agrô, nec febrire ſe exiſtimat: nonâ die in cœnâ brodium ſorpturus contremiſcit, quare incœnatus decumbit. Ad mediam noctem pavore corripitur; ex illô vix contineri poteſt: ſed timens ac tremens exclamat & ab adſtantibus etiam rogat ſe detineri, eosque ipſe viciſſim arreptos arctiſſimè detinet. Summô mane conſulitur vicinus Medicus, qui Picram imperat: quæ paulò poſt vomitione ejicitur, unà cum cruentis. Ego à prandio accerſitus domeſticos & Parochum & cæteros, qui convenerant, ſeorſim ab ægrotante alloquor, ac inopinata illos conſpecturos prædico: nempe virum hunc, vel ſi cogatur, non biburum, ac, ſi tentet bibere, animô defecturum, & demum illum citò moriturum. Primam ſententiam allatô poculô adſtantium magnâ cum admiratione comprobo: alterum eventus brevi confirmat: ſiquidem poſt horas quatuor extingvitur præcedentibus fremitu inconſtanti, clamore aſſiduô, inquietudine implacabili, ſudore profuſiſſimô, extremorum frigiditate, deliramentô maniaco, & dæmonum (ut ajebat) ſpectris. 5) Jacobus Piva, agricola, nuptus, juvenis, ſanus, robuſtus, citra omnem manifeſtam cauſam ex agrô rediens ad veſperam ſudare cæpit, cum anguſtiâ Cordis & agoniâ. Nocte illâ per intervalla contremiſcebat, exſiliebat, vociferabatur, aſſiduè ſudabat. Ego accitus morbum dijudico & adſtantes in admirationem pertraho, potionis horrorem & mortis celeritatem conſtanter prænuncians & dicta factis mox comprobans. Namque ægrotanti oblatam frigidam ipſe repentè horreſcit & linquitur animô; eâ reductâ actutum reviviſcit. Iſte verò neutiquam ſe tangi patiebatur; quin, ſi quispiam manus propiùs inferebat, ſtatim exclamabat. Horrebat etiam tantillum, dum faciei ſudor frigidis linteaminibus abſtergebatur. Invaleſcente demum ſudore ac convulſione poſt paucas horas mente ſanâ deceſſit.

§. 9.



§. 9. Singularem Hydrophobiam annotavit Joh. Baptiſta de Wenck *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. V. & VI. Obſ. 30. p. 31.* Septem, inquiens, abhinc annis figuli cujusdam Uxor, temperamenti calidi & ſicci, ætatis quatuor & triginta annorum, cum marito ad nundinas venundando fictilia ſua proficiſcebatur. Contigit autem, ut mulier vini hauſtum ſumeret, quô hauſtô per quatuor & ſemiannum, licet natura ad ſitim pellendam inſtiterit mordicus, attamen nec guttam aquæ, vini, mulſi & cereviſiæ potuerit bibere ampliùs, ſed & nec fructus ſucculentos, aut cibos aquâ coctos, vel quippiam ſimile potulentum, ſumere voluerit: Imò ſi extremè ſitibunda vel parum ſemellæ aqua, vino aut juſculo intinctum, deguſtare vellet, nec guttulam hujusmodi liquorum deglutire potuerit; quin potiùs vomitu, tuſſi capitisque doloribus intantum divexabatur, ut complurium ſeptimanarum ſpatiô decumbere compelleretur. De cæterô durantibus hiſce quatuor & ſemianno, in dies ad viginti aut triginta vel plures urinæ uncias dimiſit, nec fluxus menſtruus interea temporis ceſſavit, ſed ordinate ac in debitâ ſua profluit quantitate. *à Vinô.*

§. 10. Porrò Hydrophobiam ſeu Aquæ metum ex morbô ſine ullô morſu accidere, in Verderii dominâ, quæ ne quidem juſcula ulla, nullaque alia liquida cernere tantùm poterat, ſe vidiſſe ſcribit Petrus Borellus *Hiſtor. & Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 38. p. m. 227. ſeq.* Exemplum Hydrophobiæ ſine morſu Canis rabidi ab Uteri vitiô ſeu halitibus malignis ex Ludovicô Mercatô refert Daniel Sennertus *Practic. medic. Lib. 4. Part. 2. Sect. 3. cap. 12. p. m. 277.* ſcilicet hac de causâ Illuſtrem quandam fœminam potum averſatam fuiſſe; aliam verò nullô modô potum admittere, quia protinus vomitu & aliis accidentibus excandeſceret, licet potum porrigi expeteret, ita ut ſexaginta diebus ſine potu vixerit. *à morbô.* *ab uteri vitiô.*

§. 11. A malô hæreditario ortam Hydrophobiam annotavit Mart. Liſter *de Morb. acut. p. m. 117. ſeq.* nimirum Mulier quædam, ſexaginta annos nata, ex matre vehementer phrenetica, ab ipſis cunabulis hujus mali materni quædam ſigna habuit: exempli gratia, nunquam in vitâ niſi pitiſſando & cum neſcio quâ difficul- *à malô hæreditariô.*

 tate,

tate, bibere potuit; contrà cibum & multum & avidè sumebat: aquam semper vehementer inhorruit, ut naviculæ in flumine se nunquam committere persvaderi potuerit; imo iter factura vehiculo aquæ metu supra modum affecta est; item repentinos pavores sine causa vehementer passa est: subitò & supra humanitatem, præterque omnem rationem, aliàs mitissima fœmina, irasci solebat,

*à nimio Vini potu.* §. 12. Pforzhemii in Marchionatu Baden-Durlacensi Nobilis quidam post graviorem, circa vini generosi potum, alterius in gratiam factum excessum febre continuâ malignâ correptus circa octavum morbi diem, adeoq; in statu hujus, demum in Hydrophobiam incidit, verum cum omnimodâ phrenesi (quatuor hæc vocabula: schön Wetter auf Frantzösisch; continuò in ore habebat) interjectis aliquot diebus occubuit. Demorsum hinc aliquando fuisse à Cane rabiosô nemo recordabatur. vid. Rosin. Lentil. *Jatromnemat. Cap. 8. pag. m. 32.*

*à Solis æstu.* §. 13. A nimiô solis æstu Rabiem annotavit Th. Bartholinus *Cent. 5. Hist. 52. p. m. 118.* In Pagô videlicet Sælandiæ Bliftrup An. 1654. æstate ferventissimâ sues plurimi rabie corrupti, ne occurrentes homines læderent, occisi sunt. Et eadem tempestate non pauci homines delirârunt, imprimis illi rustici, qui fervente sole in campis sub dio dormiverant. Ibidem etiam dictus Autor inusitatæ equorum rabiei mentionem facit.

*Ab Irâ.* §. 13. A propriô hominis irati, a Cane rabidò antea non demorsi, morsu Hydrophobiam exortam legimus: Juvenis scilicet viginti septem annorum, Temperamenti calidi & sicci, irâ percitus graviter, fortassis ex vindictæ defectu, morsu cruento Indicem digitum sibi ipsi vulnerat, hinc totâ nocte inquietus atq; irâ flagrans Vomitûs patitur bilis porraceæ copiosos, quos excipit horror atq; incalescentia febrilis, brevi tamen iterum cessantes. Die sequenti signa se manifestant in ægrotante hoc miserô præsentis Hydrophobiæ certissima, aversio nimivum aquæ & limpidorum omnium, rerum itidem candidarum atque splendentium tanta, ut strangulationis periculum ad visum eorum immineret.



neret. Brevi post in Maniam incidit ac rabiem, in quâ constitutus æger a pluribus satis robustis personis vix compesci ac detineri poterat, pro Venæ sectione maximè necessariâ administrandâ; quâ, ut decet, celebratâ tranquillior paulò redditus, vomitus iterum bilis æruginosæ simul atque sinceræ patitur, quos paulò post excipit mors ipsa; uti ex Epistola Johannis Baptistæ Scaramucci ad Antonium Magliabecchum recensent CollectoresActorum Eruditor. Lips. *An. 1702. Mens. April. p. 147. seq.* ubi ita pergunt: Veram Hydrophobiam hunc appellare affectum non dubitat Autor, utpote in quô signum ejusdem pathognomonicum, aversio nimirum liqvidorum omnimoda atq; ad strangulationem usque periculosa, vel maximè manifestaverit. Neque enim semper necessarium esse existimat, ut â morsu Canis vel cati furiosi malum hoc excitetur, siquidem & ex morsu galli gallinacei, in pugnâ cum aliô impediti, lethalem Hydrophobiam exortam fuisse memorat, ex Observatione nuperrimâ amici sui D. Nicolini. Quòd autem in præsenti casu â nullâ causâ externâ, quâm â solâ animi excandescentiâ ac propriô morsu orta fuerit Hydrophobia, testem se ipsum sistit Autor ocularem atque certissimum; nec rationi adeò repugnare recensitam morbi historiam existimat, positô hôc, quòd Hydrophobia furoris vel maniæ sit species, ira autem ipsa nihil aliud, quàm furor brevis, teste Senecâ. In resolutione ulteriori hujus Observationis putat, Autor, â commotione spirituum in tali excandescentiâ omnes in corpore humanô humores exagitari enormiter, præsertim autem bilem, cujus salia unâ cum partibus sanguinis melancholicis in tantum exaltentur gradum, ut venenum ejusmodi rabiosum constituere facilè possint, quod communicatum postmodum, mediante morsu, de novò cum ipsô sangvine, Cerebrum præsertim atque ex eô prodeuntium nervorum propagines, in specie autem illas, quæ sub nomine paris vagi atque intercostalis veniunt, alterare usque adeò valent, ut corrupta cum spiritibus animalibus phantasia, atque â venenô istô viscidô & melancholicô (uti vocat) opaca quasi ac tenebricosa facta omnibus illis lædatur ideis, quæ ratione pelluciditatis ac splendoris, qualis aqua est, cum statu spirituum

tuum naturali, quem luminosum sibi concipit, aliquam saltem habent similitudinem; sicuti enim illi, qui in tenebricosis detenti aliquandiu fuerunt locis, meridianam lucem apertis tolerare oculis nequeunt: ita & spiritûs animales, â venenô hydrophobô confusos, tetros atque opacos redditos, illas tolerare ideas nullo modo posse persvasus est Autor, &c. Ipsam hanc Epistolam Scaramucci insertam quoque reperimus *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Append. p. 249. seqq.* Rabiem caninam seu Hydrophobiam â causa internâ, â bile scilicet, derivare videtur etiam ipse Hippocrates *de intern. affectionib. Oper. Sect. 5. fol. m. 110.* inquiens: Bilis, quæ est in hepate, pituita & sangvine referta, velut ratione colligimus, disrumpitur, cùmque disrupta fuerit, citissimè ad insaniam deducitur, indignatur & imprudenter loquitur, more canis latrat, ungves puniceô sunt colore, oculis cernere non potest, pili capitis erecti manent & febris acuta invadit. Qvem Hippocratis locum, a nemine, qui de Hydrophobiâ scripsere, fuisse observatum, cum tamen sit elegantissimus, miratûr Georg. Wolffg. Wedelius *Disput. de Hydrophob. c. 3. p. 19.* ubi ita argumentatur: Qvando inflammatio hepatis, elogiô divini Senis, disruptô felle inflammatô, ut non inepte rationatur, potest inducere tale delirium, cum febri acutâ, ut celerrimè insaniat æger, indignetur & loquatur stulta, & latret velut canis, cur non graviori hoc malô & causâ putemus & idem fieri posse hoc, quod revera Dioscorides aliique fieri in quibusdam hydrophobis affirmant, & conjungi aquæ timorem. Allegatô etiam capite dictus Wedelius præter morsum animalium varias causas adducit.

*à Vermibus.* §. 15. Denique ab aliâ adhuc causâ internâ, absque Canis morsu, nimirum a Vermibus, Rabiem varia animalia incurrere, testantur Autores. Refert enim Salomon Reiselius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 139. p. 365.* Venatores in lupis & rabiei & lumbaris impotentiæ atq; doloris causam credere singulari providentia naturæ Serpentes in renibus natos, sine qua ferocissima bestia multò diutiùs victura, & robustioribus viribus præditura multo majus damnum sit illatura. Et quamvis dictus Autor *l. a.* lupæ meminerit, in cujus sinistri renis, planè consumpti, superstite membrana Vermis viginti & unam Unciam



unciam seu pollicem longus, serpentis formâ, enectus, sub tenerâ cute quasi sangvine suffusus alter apparuit; alter pedem longus, multò gracilior, ore patulô, quale mordi lapides habent, cruentum caput erexit: plures insuper albi longè minores inventi, &c. nullâ factâ rabiei mentione. In lupis tamen rabidis vermes, & quidem in eorum renibus, reperiri, juxta Rosin. Lentil. *Jatromnem. Part. I. c. 6. p. m. 48.* historiæ non unius fide docemur. Scribit enim Christianus Franc. Paullini *Lycograph. Part. I. c. 3. p. m. 43.* se â Venatore in Comitatu Waldeccensi accepisse, in evisceratione lupi, ob rabiem enecti, in dextrô rene planè exeso, vermem rubicundum, sed albis maculis eleganter distinctum, palmam infantis longum, caudâ bifurcatâ & acutô rostellô armatum inventum fuisse. Imò idem Paulini *l. a.* refert, se cum Stenoniô in junioris lupi sinistrô rene integrum nidulum vermium eruciformium, crebrioris ululatus causam, vidisse; tam altè enim rostella in renem valdè consumptum defixerant, ut non nisi vi aliquâ evelli potuerint. Non autem tantummodò in renibus luporum, sed in ipsorum etiam Ventriculis vermes reperiri atque rabiei occasionem præbere suspicatur Joh. Jac. Wepfferus *M. N. C. Dec. II. Anno. 8. Obs. I. pag. 2.*

§. 16. In Canibus etiam rabidis eorumque variis partibus Vermes reperiuntur atque pro rabiei causâ ab Autoribus agnoscuntur; *in Canibus vermes.* siquidem Theodorus Zwingerus causam rabiei in Cane vermem, in pedis juncturâ repertum, annotavit *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obs. 105. p. m. 140.* Puerum videlicet momorderat Canis rabidus, qui domesticis suis nihil damni intulit; hinc â propriô Dominô observabatur continuè pedis anterioris dextri mediam juncturam lambere, fricare, mordere, ac inde iratum & rabidum circum currere; quô quidem Dominus commotus exploravit Canis pedem & locum, quem continuô lambebat, ceu perpetuô ejus dolore vexatus, tantillum tumentem scalpello aperuit; prodiit hinc è vulneris cavitate Vermis vivus, albus, crassiusculus, â quo statim crediderat Cani molestias continuas fuisse excitatas, Rabiemque inductam. Ac certè postea canis quietus mansit atque â rabie penitus liberatus, neminem amplius morsu impetiit. Occasione hujus Observationis

 scribit

ſcribit Roſinus Lentilius *Jatromnem. l.a.* inveſtigatu dignum exiſtere, an in aliis quoque rabioſis canibus Vermes reperiantur. Id quod aliæ etiam Obſervationes confirmant; Cani enim venatico in rabiem acto Venator Theriacam & Mithridatium cum immixtô tantillô argenti vivi dedit, unde longisſimus & craſsiſſimus expulſus eſt lumbricus, & beſtia integre convaluit, referente Chriſtiano Franciſco Paullini *M. N. C. Dec. II. Anno 6. Append. pag. 78.* Qvi Autor etian *Cynograph. curioſ. Sect. 4. cap. II. p. m. 216. ſeqq.* ſequentia refert: Ego, ut nihil omitterem, quantum ad notitiam veritatis, ab ipſis canicidis per alios expiſcatus ſum, annon ipſi in rabidis Canibus occiſis vermes annotâſſent? Negantes promiſſô præmiô monui, ut ſcrutarentur. Multum enim intereſſe, ut ſcirem. Fecere, bisque mihi monſtrarunt Vermes in Capitibus, renibus ac inteſtinis canum, ob rabiem cæſorum, inventos. Ibidem etiam mentionem facit Canis, ex cujus totô corpore magnô cum fœtore innumeri prodibant Vermes albi, qui ei intra biduum mortem intulêre miſerrimam. Hic canis rabidus antea fuerat, ſanatus tamen iterum. Cùm verò Cadavere equinô, intolerabilem mephitim longè latèque ſpirante veſceretur, denuò incidit in iſtum morbum, in quô etiam periit. Item, pergit idem Autor, cùm An. 1674. ipſis diebus canicularibus Hamburgô cum aliis in Saxoniam inferiorem proficiſcerer, occurrit nobis in rhedâ amicè confabulantibus, haud procul ab ignobili quodam viculô, circa crepuſculum, canis paſtoralis rabidus, quem, ne aliis in viciniâ noceret, ocyus quidam è ſociis noſtris plumbeô globulô trajecit. Chirurgiæ Candidatus literisque bene tinctus, qui poſt ſobriam cœnam mihi in horto ambulanti ſeſe ſociat, cauſam rabiei cupidè indagans. Placuit Juvenis ſtudium. Expoſitis ergo meis de putredine animatâ conjecturis ille cæſi canis caput ſerrâ diſſecabat. Diſſectô capite neuter quidem fœtorem perſenſit, ambo tamen deliquiô animi correpti cæpimus titubare, illeque vomere. Sumtis verò Rotulis bezoarticis ſtatim nobis ex voto redditi. Hinc contra venenum, quantum potuimus, Balſamô apoplectico & Acetô theriacali ſatis muniti, ſufflaminatô halitu, clauſisque naribus & ore, hocque acetô illô



illô repletô, accenſâque circa Cadaver ſtrue ex lignô qvercino & faginô congeſtâ, propiùs & animoſiùs acceſſimus mirabilia Naturæ contemplaturi. O ſi tunc nobis adſtitiſſet Reyesſus, expunxiſſet forte merum Cerebelli ſui figmentum *in Camp. Elyſ. Qv. 61. §. 1.* publicè pronuncians, ſe injuriam feciſſe Jacobo de Partibus. Totum Cerebrum maximè putridum è Calvariâ ſtatim prolapſum in gramine longiùs diffluxit, inque eô diverſi vermiculi, quorum pluſculos in majoribus bullis, è viſcoſô putrique Cerebri liquore elevatis, vel ex motu interiori notavimus. Hæc agentibus ſupervenit canus opilio Anatomen noſtram viſurus. Qvi, cum utrumque adhuc quaſi attonitum cerneret, cum cachinnô ajebat: Dat eß mich wat ohles, und eck hebbe niet, als juw, in die Schole gegahn. Met den Schapen iſts eben ſo. i.e. Mihi ſane nihil novi, cum tamen literis nunquam me mancipárim. Par ratio cum ovibus. Cui nos regerimus: Notaſtine talia ſpectacula in ovibus? Ille: Juw ſyd ſelzame Lüde, hefft juw ſolche Wörme nit mehr geſeihe? Dat ſind doll Wörme, die knopen den Beſtern die Brege entzwey und macken ſie ganz duſelicht, dat ſie weder Raſt noch Rau hebben. i.e. Mirabiles facti! non vidiſtis tales vermiculos? ſunt rabidi vermes (ſeu potiùs vermes rabiem inferentes) corrodunt beſtiis cerebrum inque rabiem agunt, ut quieſcere neſciant. Uterque ei viginti quatuor groſſos oſtendens, dic nobis, quæſumus, ô bone ſenex, at dic ſeriò, an res ita ſe habeat. Ille corrugatâ fronte: Wat ſcholl ick ohlde Mann lügen, (nunc pectus ſuum palmâ tundens) ey ſo hehle mick de Düfel. Quid? ſi ego ſilicernium vobis mentiar, rapiat me Diabolus: Wollt juw dat beſt inwendig begikken und ſolche Kniepers ſeihe? Dat glöſt man, ohlde Lüde ſind keine Narren. Vultis interiora canis inque iis vermiculos contemplari? vera loquor, credite mihi. Et ſenes adhuc ſapiunt. Bene: mane igitur ad Canem. Quod ſi feceris gratiam mereberis & hoc præmium. Ille ſumptô priùs jentaculo, devoratisque duodecim, ni fallor, baccis Lauri, quibus ſe canitiem ſuam debere ſanctè fatebatur, rem animoſè aggrediens, nobis interim procul ſenſim recedentibus, aperto canis ventre, viſcera

ſcribit Roſinus Lentilius *Jatromnem. l.a.* inveſtigatu dignum exiſtere, an in aliis quoque rabioſis canibus Vermes reperiantur. Id quod aliæ etiam Obſervationes confirmant; Cani enim venatico in rabiem acto Venator Theriacam & Mithridatium cum immixtô tantillô argenti vivi dedit, unde longisſimus & crasſisſimus expulſus eſt lumbricus, & beſtia integre convaluit, referente Chriſtiano Franciſco Paullini *M. N. C. Dec. II. Anno 6. Append. pag. 78.* Qvi Autor etian *Cynograph. curioſ. Sect. 4. cap. II. p. m. 216. ſeqq.* ſequentia refert: Ego, ut nihil omitterem, quantum ad notitiam veritatis, ab ipſis canicidis per alios expiſcatus ſum, annon ipſi in rabidis Canibus occiſis vermes annotâſſent? Negantes promiſſô præmiô monui, ut ſcrutarentur. Multum enim intereſſe, ut ſcirem. Fecere, bisque mihi monſtrarunt Vermes in Capitibus, renibus ac inteſtinis canum, ob rabiem cæſorum, inventos. Ibidem etiam mentionem facit Canis, ex cujus totô corpore magnô cum fœtore innumeri prodibant Vermes albi, qui ei intra biduum mortem intulêre miſerrimam. Hic canis rabidus antea fuerat, ſanatus tamen iterum. Cùm verò Cadavere equinô, intolerabilem mephitim longè latèque ſpirante veſceretur, denuò incidit in iſtum morbum, in quô etiam periit. Item, pergit idem Autor, cùm An. 1674. ipſis diebus canicularibus Hamburgô cum aliis in Saxoniam inferiorem proficiſcerer, occurrit nobis in rhedâ amicè confabulantibus, haud procul ab ignobili quodam viculô, circa crepuſculum, canis paſtoralis rabidus, quem, ne aliis in viciniâ noceret, ocyus quidam è ſociis noſtris plumbeô globulô trajecit. Chirurgiæ Candidatus literisque bene tinctus, qui poſt ſobriam cænam mihi in horto ambulanti ſeſe ſociat, cauſam rabiei cupidè indagans. Placuit Juvenis ſtudium. Expoſitis ergo meis de putredine animatâ conjecturis ille cæſi canis caput ferrâ diſſecabat. Diſſectô capite neuter quidem fœtorem perſenſit, ambo tamen deliquiô animi correpti cæpimus titubare, illeque vomere. Sumtis verò Rotulis bezoarticis ſtatim nobis ex voto redditi. Hinc contra venenum, quantum potuimus, Balſamô apoplectico & Acetô theriacali ſatis muniti, ſufflaminatô halitu, clauſisque naribus & ore, hocque acetô

illô



illô repletô, accenſâque circa Cadaver ſtrue ex lignô qvercino & faginô congeſtâ, propiùs & animoſiùs accesſimus mirabilia Naturæ contemplaturi. O ſi tunc nobis adſtitiſſet Reyeſſus, expunxiſſet forte merum Cerebelli ſui figmentum *in Camp. Elyſ. Qv. 61. §. 1.* publicè pronuncians, ſe injuriam feciſſe Jacobo de Partibus. Totum Cerebrum maximè putridum è Calvariâ ſtatim prolapſum in gramine longiùs diffluxit, inque eô diverſi vermiculi, quorum pluſculos in majoribus bullis, è viſcoſò putrique Cerebri liquore elevatis, vel ex motu interiori notavimus. Hæc agentibus ſupervenit canus opilio Anatomen noſtram viſurus. Qvi, cum utrumque adhuc quaſi attonitum cerneret, cum cachinno ajebat: Dat eß mich wat ohles, und eck hebbe niet, als juw, in die Schole gegahn. Met den Schapen iſts eben ſo. i.e. Mihi ſane nihil novi, cum tamen literis nunquam me mancipârim. Par ratio cum ovibus. Cui nos regerimus: Notaſtine talia ſpectacula in ovibus? Ille: Juw ſyd ſelzame Lüde, hefft juw ſolche Wörme nit mehr geſeihe? Dat ſind doll Wörme, die knopen den Beſtern die Brege entzwey und macken ſie ganz duſelicht, dat ſie weder Raſt noch Rau hebben. i.e. Mirabiles facti! non vidiſtis tales vermiculos? ſunt rabidi vermes (ſeu potiùs vermes rabiem inferentes) corrodunt beſtiis cerebrum inque rabiem agunt, ut quieſcere neſciant. Uterque ei viginti quatuor groſſos oſtendens, dic nobis, quæſumus, ô bone ſenex, at dic ſeriò, an res ita ſe habeat. Ille corrugatâ fronte: Wat ſcholl ick ohlde Mann lügen, (nunc pectus ſuum palmâ tundens) ey ſo hehle mick de Düfel. Quid? ſi ego ſilicernium vobis mentiar, rapiat me Diabolus: Wollt juw dat beſt inwendig begiffen und ſolche Kniepers ſeihe? Dat glöſt man, ohlde Lüde ſind keine Narren. Vultis interiora canis inque iis vermiculos contemplari? vera loquor, credite mihi. Et ſenes adhuc ſapiunt. Bene: mane igitur ad Canem. Quod ſi feceris gratiam mereberis & hoc præmium. Ille ſumptô priùs jentaculo, devoratisque duodecim, ni fallor, baccis Lauri, quibus ſe canitiem ſuam debere ſanctè fatebatur, rem animoſè aggrediens, nobis interim procul ſenſim recedentibus, aperto canis ventre,



viſcera

ſcribit Roſinus Lentilius *Jatromnem. l.a.* inveſtigatu dignum exiſtere, an in aliis quoque rabioſis canibus Vermes reperiantur. Id quod aliæ etiam Obſervationes confirmant; Cani enim venatico in rabiem acto Venator Theriacam & Mithridatium cum immixtô tantillô argenti vivi dedit, unde longisſimus & crasſisſimus expulſus eſt lumbricus, & beſtia integre convaluit, referente Chriſtiano Franciſco Paullini *M. N. C. Dec. II. Anno 6. Append. pag. 78.* Qvi Autor etian *Cynograph. curioſ. Sect. 4. cap. II. p. m. 216. ſeqq.* ſequentia refert: Ego, ut nihil omitterem, quantum ad notitiam veritatis, ab ipſis canicidis per alios expiſcatus ſum, annon ipſi in rabidis Canibus occiſis vermes annotâſſent? Negantes promiſſô præmiô monui, ut ſcrutarentur. Multum enim intereſſe, ut ſcirem. Fecere, bisque mihi monſtrarunt Vermes in Capitibus, renibus ac inteſtinis canum, ob rabiem cæſorum, inventos. Ibidem etiam mentionem facit Canis, ex cujus totô corpore magnô cum fœtore innumeri prodibant Vermes albi, qui ei intra biduum mortem intulêre miſerrimam. Hic canis rabidus antea fuerat, ſanatus tamen iterum. Cùm verò Cadavere equinô, intolerabilem mephitim longè latèque ſpirante veſceretur, denuò incidit in iſtum morbum, in quô etiam periit. Item, pergit idem Autor, cùm An. 1674. ipſis diebus canicularibus Hamburgô cum aliis in Saxoniam inferiorem proficiſcerer, occurrit nobis in rhedâ amicè confabulantibus, haud procul ab ignobili quodam viculô, circa crepuſculum, canis paſtoralis rabidus, quem, ne aliis in viciniâ noceret, ocyus quidam è ſociis noſtris plumbeô globulô trajecit. Chirurgiæ Candidatus literisque bene tinctus, qui poſt ſobriam cænam mihi in horto ambulanti ſeſe ſociat, cauſam rabiei cupidè indagans. Placuit Juvenis ſtudium. Expoſitis ergo meis de putredine animatâ conjecturis ille cæſi canis caput ſerrâ diſſecabat. Diſſectô capite neuter quidem fœtorem perſenſit, ambo tamen deliquiô animi correpti cæpimus titubare, illeque vomere. Sumtis verò Rotulis bezoarticis ſtatim nobis ex voto redditi. Hinc contra venenum, quantum potuimus, Balſamô apoplectico & Acetô theriacali ſatis muniti, ſufflaminatô halitu, clauſisque naribus & ore, hocque acetô

illô



illô repletô, accenſâque circa Cadaver ſtrue ex lignô qvercino & faginô congeſtâ, propiùs & animoſiùs acceſſimus mirabilia Naturæ contemplaturi. O ſi tunc nobis adſtitiſſet Reyeſſus, expunxiſſet forte merum Cerebelli ſui figmentum *in Camp. Elyſ. Qv. 61. §. 1.* publicè pronuncians, ſe injuriam feciſſe Jacobo de Partibus. Totum Cerebrum maximè putridum è Calvariâ ſtatim prolapſum in gramine longiùs diffluxit, inque eô diverſi vermiculi, quorum pluſculos in majoribus bullis, è viſcoſô putrique Cerebri liquore elevatis, vel ex motu interiori notavimus. Hæc agentibus ſupervenit canus opilio Anatomen noſtram viſurus. Qvi, cum utrumque adhuc quaſi attonitum cerneret, cum cachinno ajebat: Dat eß mich wat ohles, und eck hebbe niet, als juw, in die Schole gegahn. Met den Schapen iſts eben ſo. i. e. Mihi ſane nihil novi, cum tamen literis nunquam me mancipârim. Par ratio cum ovibus. Cui nos regerimus: Notaſtine talia ſpectacula in ovibus? Ille: Juw ſyd ſelzame Lüde, hefft juw ſolche Wörme nit mehr geſeihe? Dat ſind doll Wörme, die knopen den Beſtern die Brege entzwey und macken ſie ganz duſelicht, dat ſie weder Raſt noch Rau hebben. i. e. Mirabiles facti! non vidiſtis tales vermiculos? ſunt rabidi vermes (ſeu potiùs vermes rabiem inferentes) corrodunt beſtiis cerebrum inque rabiem agunt, ut quieſcere neſciant. Uterque ei viginti quatuor groſſos oſtendens, dic nobis, quæſumus, ô bone ſenex, at dic feriò, an res ita ſe habeat. Ille corrugatâ fronte: Wat ſcholl ick ohlde Mann lügen, (nunc pectus ſuum palmâ tundens) ey ſo hehle mick de Düfel. Quid? ſi ego ſilicernium vobis mentiar, rapiat me Diabolus: Wollt juw dat beſt inwendig begiffen und ſolche Kniepers ſeihe? Dat glöſt man, ohlde Lüde ſind keine Narren. Vultis interiora canis inque iis vermiculos contemplari? vera loquor, credite mihi. Et ſenes adhuc ſapiunt. Bene: mane igitur ad Canem. Quod ſi feceris gratiam mereberis & hoc præmium. Ille ſumptô priùs jentaculo, devoratisque duodecim, ni fallor, baccis Lauri, quibus ſe canitiem ſuam debere ſanctè fatebatur, rem animoſè aggrediens, nobis interim procul ſenſim recedentibus, aperto canis ventre,



viſcera

viſcera, pedô ſuô hinc inde, longiùs aliquantulum recedens, ſubindeque volutans: allium mandebat. Cum verò nullos cerneret vermiculos præter lumbricum ex inteſtinis protractum, cum indignatione dicebat: De ohlde Düfel hefft die kleine Krupers alle gefraten, putans: Lumbricum iſtum minores vermiculos omnes devorâſſe &c.

*an à Verme ſub rabidi Canis linguâ?* §. 17. Vermem quoque ſub rabidorum canum linguâ nonnulli pro caninæ rabiei cauſa agnoſcunt. Nam juxta Plin. *Nat. Hiſtor. Lib. 29. cap. 5. fol. m.* 27. eſt vermiculus in linguâ Canum, qui vocatur a Græcis Lytta, quo exemptô infantulis catulis, nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt. Juxta Job. Meeker. *Obſerv. med. Chirurg. cap. 62. pag. m. 291.* Caniculis junioribus vermiculi ſub lingvis generantur, quod ex roſione continua cognoſcimus, rabioſos fieri, abſque eo, quod aquam vel videant, vel cognoſcant, & hoc canibus pleriſque ſine reali contactu evenire credimus, eo qvòd naturâ ſua calidi ſiccique temperamenti ſint, unde ex vermiculis excitatum ſub linguis pruritum perferre haud valentes ſubitum ſanguinis æſtum contrahunt, diebus maxime canicularibus, hinc febris, linquæ extra os protruſio, delirium. Et Samuel Reiſelius *M. N. C. Dec. I. Anno 3. Obſ. 193. pag. m. 366.* in Vermes Rabiei cauſam conjicit, quando in Canibus ſub linguâ inveniuntur, quos recens natis eximunt, ut præcaveatur Rabies.

*Canum ſub linguâ nullum reperiri vermem.* §. 18. Hanc tamen rabiei cauſam, vermem ſcilicet ſub Canum linguâ, figmentum Plinii vocat Georgius Wolffgangus Wedelius *Diſput de Hydroph. cap. 3. p. 25. Et Patholog. med. dogm. Sect. 3. cap. 9. p. m. 606.* inquid idem: notanda eſt vulgi opinio, vermem ſub linguâ canum latitare, quô exemptô canes nec rabidi fiunt ipſi, nec ab aliis demorſi ſimile patiantur. Et novimus anatum aucupem Viſenæ, qui idem pro certiſſimô habebat & ſæpius in ſuis & aliorum canibus probaverat. Sed Franciſcus Joel *Oper. Tom. V. Lib. 2. Sect. 4. pag. m. 150.* hunc Plinii vermem potius pro nervoſa quadam, habet congerie, vermibus ſimili, quæ ſub lingvis canum conſpicitur & Græcis Λυσσα i. e. vermis nominatur.



natur. Et ſi hæc vermiformis congeries canibus, catulis exiſtentibus, eximatur, aut ſi eorum caudæ extremitas abſcindatur, perpetuò immunes fore a rabie, ex Columellâ notat. De hac materia ita ſcribit Levinus Lemnius *de Occult. Natur. Mirac. Lib. 3. cap. 5. p. m. 303. ſeq.* Columella & Plinius cenſent, catulorum caudas, poſt diem quadrageſimum, quàm ſunt editi, caſtrandas, ſic enim tutos fieri â rabie, hoc modô: Nervus eſt, qui per articulos ſpinæ perrexit usque ad ultimam caudæ partem; is mordicus, unà cum poſtremô articulô prehenſus, aliquatenus eductus ac protenſus abrumpitur; quo factô nec in longitudinem indecoram porrigitur, nec fœdum & enorme incrementum capeſſit; denique, ut plurimi paſtores aſſerunt, rabies arcetur, ab eaque tuti ſunt. Alia etiam eſt cautio ac proviſio, quâ obtineri poteſt, ne canis unquam efficiatur rabioſus. Subeſt linguæ catellorum nervus vermiculi figurâ, rotundâ teretique formâ, ut etiam capiti humano, cujus cerebellum definit in ſpeciem quandum, teredini, qui ligno innaſcitur, quàm ſimillimam, Hic vermis linguæ exemptus canes â rabie tutos præſtat. Hanc opinionem, rabiem ſcilicet caninam â vermiculô quodam ſub linguâ canum latente (cujus ſigna ſint macies totius & moroſa quædam propenſio ad mordendum) fabuloſam eſſe dicit Caſparus â Reyes *Camp. Elyſ. Queſt. 62. no. I. pag. m. 805.* Ad Verba *Jacobi Rolandi Agloſſoſtomograph. cap. 3.* ſcilicet: Nonnullos fide dignos referre in Canibus ex ligamentô linguæ rotundô vermem fieri: Carolus Raygerus hæc adnotat: Mirum, fabulam iſtam vulgi in omnium doctiſſimorum virorum etiam eſſe ore, & ſcriptis reperiri. Plerique enim Anatomici, dum de ligamentis agunt linguæ, illud in Canibus ajunt abire in vermem. Quare nonnulli tam ſtudioſè præſcindunt iſtud ligamentum, credentes, ita canem præſervari â rabie, in quam ageretur, ſi vermis iſte vitam acquireret. At quâ Metamorphoſi plùs quàm Ovidianâ ligamentum hoc in vermem abiret? Quis quæſo unquam vivum illum vidit? aut quomodo ſub linguâ natum exiguum animal in Cerebrum repet, in eô Spiritûs accendet, rabiemque introducet?

cet? Meliùs facere mihi videntur, qui ad præcavendam rabiem venas incidunt sublinguales; quod à sene & peritô Venatore habeo, qui Canibus suis, imprimis petulantioribus aut fervidioribus aperire illas solebat. A Vermibus autem non sub linguâ, sed in Intestinis contentis rabiem ipsis suboriri, aque ac hominibus febres, deliria, phrenitidem, valde credibile. Unde & illi Canes, quos vermem hunc fictitium (certius fortè vermes in Intestinis) habere & proclives in rabiem esse dicunt, omnia corrodunt, forte à vaporibus verminosis, oris tunicas vellicantibus, ut in homine ex simili causâ pruritus narium oritur. *vid. M. N. C. Dec. I. Anno 3. pag. 577.* Item juxta Baptistam Codronchum sciendum est, illam partem, quam eximunt, non esse vermiculum, sed nervum vermis teretis figura. vid. ipsius Tract. *de Hydrophob. Lib. 2. cap. 10. p. 223.* et ex hoc Corn. Stalpart van der Wiel *Cent. I. Obs. 100. Schol. pag. m. 444.* vid. etiam Christianus Fridericus Garmannus *Oolog. curios. dissertat. 2. §. 135. pag. m. 161. & de Miracul. Mortuor. Lib. 3. Tit. I. §. 95. pag. m. 884.* Ipse etiam Stalpartius *l. c.* affirmare non dubitat, vermem minimè è catulorum linguis, sed nervosum quoddam educi ligamentum. Vermem autem esse, (pergit idem) linguarum caninarum sectores medici hominibus, uti credo, persuadent, ut majus iis inde obveniat lucrum: haud secus ac Circulatores, qui dentes evellunt, vermem quendam in dente molari latere vulgò persvadent, qui continuè dentem illum exedat corrumpatque atque ita maximi doloris sit causa: cùm tamen non nisi nervosa quædam, vermemque referens reperiatur particula. Nulli verò, neque affirmativæ neque negativæ sententiæ de hoc sub canum rabidorum linguâ latente Vermiculô subscribere vult Michael Ettmüllerus *Oper. Tom. II. fol. m. 971.* de cane rabidô, inquiens, vulgò affirmatur, sub linguá ejus latere vermem quendam oblongum, quem alii à se ipsis visum testantur; quo maturè demptô nullus Canis rabidus fiat; eodem verò increscente, Rabiem necessariò supervenire; unde quidam ad præcautionem solent extrahere hunc vermiculum; Quidam verò



verò existimant, non esse vermiculum, sed pro sanguinis congrumati particulâ in venis raninis sub lingvâ collecti & stagnantis habent. Rem hànc ceu nondum sufficienter exploratam in mediô relinquo. Canes a rabie præservari, si cauda abscindatur, scribit Valentinus Lœberus *Anchor. Sanitat. Sect. 2. Dial. 8. pag. 227.*

§. 19. Præter Lupos & Canes alia adhuc animalia ipsumque hominem quandoque à vermibus, in Cerebrô vel aliis partibus hospitantibus, Rabiem incurrere, docent Autores Medici; Inquit enim Thomas Bartholinus *Cent. 3. Epist. 48. pag. m. 198.* Æstas sicca æstuansque multa animalia in Phrenitidem & Vertiginem agit, quod damnô suo multi apud nos agricolæ experti sunt. Notandùm id imprimis de equis, bobus & ovibus. Vermes capiti inesse ita affectorum, rusticorum nostrorum est Observatio. Et quamvis Casparus a Rejes *Camp. Elys. Quæst. 61. §. 1. p. m. 786.* Jacobum de Partibus, scribentem, famam esse, caninam rabiem à verme in Canis Cerebrò natô prodire, derideat, hocque verum esse figmentum, a nemine, quod sciat, confirmatum, dicat; attamen Vermium, non modò in Canum rabidorum Cerebellô repertorum jam supra mentionem fecimus, sed etiam hoc locô exemplis humanis confirmabimus. Nam Vermem in rabidæ puellæ cerebellô deprehensum annotavit Thomas Bartholinus *Histor. med. Cent. I. Hist. 64. p. m. 99.* Lutetianæ videlicet puellæ, annorum duodecim, curatis variolis, tantus Capitis dolor supervenit, ut trium mensium curriculô nec dormire quiverit, nec requiescere, nullas dolore inducias concedente. Tandem cùm rabida obiisset, statim, apertô Craniô, deprehensa fuit universa Cerebelli substantia in dextrô à reliquô corpore sejuncta nigrâque tunica involutâ. Ruptâ tunica nigra vermem vivum pilosum, duobus punctis splendidis locô Oculorum, prodidit latentem, ejusdem ferè molis, quâ reliqua cerebelli portio, qui duarum horarum spatio supervixit. Item post febrem ardentem Patavii Vir quidam quadragenarius ex improvisô in Hospitali circumcurrere, furere & clamare, uti phre-

*rabies in homine a Verme in Cerebro?*

phreneticus, cæpit; poſt mortem autem in ipſius Cerebri medullâ innumeri reperiebantur vermiculi, quales in veteri caſeô generantur; teſte Johanne Friderico Khern *M. N. C. Dec. III. Anno 2. Obſ. 53. pag. 62.* Novit etiam Chriſtianus Franciſcus Paullini Puerum decennem, Carbonarii filium, qui a vermibus, Canis inſtar, perpetuò in angulô quodam ſub ſcamnô jacebat, mox ganniebat, mox ringebatur. Si quis propius accedebat, invadebat & latrabat & mordebat. *v. M. N. C. Dec. II. Anno 7. Append. pag. m. 120. Et pag. 112.* Idem Monachi meminit in rabiem acti, cum variis ſymptomatibus, mox enim riſit, mox flevit, jam tacuit, jam cum ſtridore dentium alios invaſit, demum paulò ante obitum per os & alium locum multos terribiles ejecit vermes. In Juvenis cujusdam hydrophobici, octodecim annorum, Ventriculô quinque vel ſex lumbricos ſatis adultos deprehendit Guckelinus, Medicus Francofurtenſis, v. Roſin. Lentil. *Jatrommem. Part. I. cap. 8. p. m. 30.* Sic Choream S. Viti (quæ etiam eſt Inſaniæ ſpecies) lunaticam a vermibus obſervavit Chriſtianus Franciſcus Paullini, & quidem in puellâ ruſticâ, octo annorum, quæ quolibet novilunio per integrum fere diem noctemque indeſinenter ſaltabat, ſudore è totô corpore promanante. Choreâ finitâ leves ſupervenêre Convulſiones epilepticæ, queis ceſſantibus, inſecutus eſt ſuavis ſomnus, puellâ ſibi redditâ. Tandem vetula quædam dedit ei Decoctum ex floribus Centaurii minoris & Tanaceti, â cujus uſu multi expulſi vermes, ipſaque deinceps pancraticè vixit. *vid. M. N. C. Dec. II. Anno 5. App. pag. 10.* & Chriſtianus Franciſcus Paullin. *Obſervat. med. phyſic Cent. I Obſ. 13. pag m. 18.*

*an Vermes cauſa rabiei.* §. 29. Si proinde in tot rabidorum brutorum hominumque partibus internis Vermes fuerint deprehenſi, quid mirum, quòd recentiorum nonnulli propriam Rabiei caninæ cauſam, hoc præprimis ſeculô verminoſô, in ejuſmodi beſtiis quærant. Inquit enim modò allegatus Autor *Cynograph: curioſ: Section: quart: capite undecimo, pagina mihi 215. ſeq.* Ego genuinam, proximam



mam & immediatam hujus mali cauſam in Putredine animatâ confidenter pono. Ecce naturam & temperiem canis; quàm calida, ſicca & ſumme bilioſa! Calore multum humidi quotidiè conſumente, utique multa coacervantur excrementa, fumos & fuligines copioſiſſimè exhalantia. Sic pori obſtruuntur & caloris ventilatio ſufflaminatur, dumque nihilominus calor ſenſim augetur magisque aduritur, aduſtum calidum tandem ex gradu nativô in præternaturalem degenerat, unde eô omnia excrementa retenta & congeſta, inflammata & aduſta venenum illud peculiare Hydrophobias genitricem excludunt. Quàm ſordida, rancida & viroſa putredine imbuta devorat Canis? Quàm putidas vermiumque pleniſſimas aquas haurit? nec ipſis cadaveribus, etiam dira contagione infectis aliquando parcit. Hæc putredo viroſa & verè animata, una cum nutrimentô quotidie ſumtô, maximam δυσκρασίαν producit. Fermentata enim & in intimis fibrarum receſſibus diffuſa, ibidem veluti ſub clandeſtinâ quadam ſtatione deliteſcit, donec ſub caniculæ imprimis ortum, excitata in tantam veneni qualitatem exaltetur. Tunc enim, novâ fermentatione accedente, ab externô calore irritatur, ut, laxatis frenis, magnâ vaporum turbâ concomitante, caput feriat, ubi ſalinam ſuam virulentiam, meninges lancinando inque furias ſtimulando, maximè exerit. Frigus verò hybernum poros Cutis conſtipat, caloremque naturalem concentrat; hinc fuliginoſa excrementa ſupprimuntur, ſpiritus conculcantur, putredo augetur & μιάσματα venenoſa eò citiùs animantur. Inter cætera, queis veſcitur canis, nihil, judicio Kircheri, adeò ad rabiem magis facit, quam ſangvis menſtruus; nec ab aliâ causâ eandem provenire publicè aſſerit. Ita: ſi menſtrua excellenti putredine, ſeu animatâ, imprægnata, maximè nocent. Sin: ne metuas velim: Dedi olim in Saxoniâ inferiori cani famelico incluſo per integrum octiduum nihil, præter oſſa vitulina & ſangvinem menſtruum valde corruptum a fœminis plebejis & ſcorbuticis

 reje-

rejectum, at studiosè asservatum, mihique transmissum, certitudinem Kircheri anxiè visurus. At non rabidus, dysentericus tamen, factus decimô die in ergastulô suô periit, erumpentibus subitò è cadavere innumeris vermiculis, &c. Hæc Paullini.

*negatur.* §. 21. Huic tamen sententiæ alii contradicunt; & quamvis Rosinus Lentilius *Jatromnem. Part. 1. cap. 8. de singulari Hydrophobia pag. m. 48.* eidem opinioni favere videatur, dum inquit: quid perniciei â vermibus in corpore viventi oberrantibus oriri queat, Medici sagaciores quotidie comperiuntur. Nec adeò quidem absurdum nobis æstimatur, credere, quòd â vermibus eum in modum, de quô supra diximus, lympha & saliva vitiari, eaque inde excitari symptomata possint; attamen eodem locô dictus Autor, post relatam Zwingeri Observationem de cane ex verme, in pedis anterioris juncturâ repertô, rabiente, dubius adhuc addit: an in aliis quoque rabiosis canibus vermes reperiantur, investigatu dignum existit.

*observata in lectionibus rabidorum.* §. 22. Videndum proinde erit, quid aliæ canum & hominum rabidorum sectiones detexerint, v.g. In sectione cujusdam Monachi, quem corripuerat venenum illud, hæc tria observata sunt ab Anatomico. 1) nulla prorsus humiditas aquea adfuit in Pericardiô, tota enim erat consumpta in pericardiô ab hoc venenô igneô. 2) sinus cordis conspecti sunt aridi, & sanguine prorsus destituti. 3) in Pericardiô portio fuit observata fermè combusta & in pulverem redacta. vid. *Hieron. Capivacc. Pract. Lib. 7. cap. 12. pag. m. 1085.* Francisc. Hildesheim. *Spicileg. 2. pag. m. 194.* et Baptist. Codronch. *de Hydrophob. Lib. 1. cap. 8. pag. 79. seq.* ubi defectum humiditatis non solum a veneni siccitate, sed etiam ab omni potûs abstinentia, a vigiliis aliisque sævis symptomatibus fieri posse statuit. In artis saltatoriæ Magistri, a cane rabidô demorsi, tertiâque post septimanâ Hydrophobiam incidentis atque post paucas horas defuncti visceribus naturalibus & vitalibus summa siccitas, intactô



intactô cerebrô, fuit deprehensa. vid. Theophil. Bonet. *Sepulchret. Lib. I. Sect. 8. fol. m. 181.* Et in alio Hydrophobiâ quartò die defunctô totum corpus prorsus extenuatum fuit, ac si Hecticâ diuturnâ tabefactum fuisset; Caro omnis & pingvedo consumpta, item Omentum; Epar gangrænosum, pulmones aridi & exsiccati; Cor flaccidum & extenuatum, cujus dextra auricula insigniter tumebat, dexter ventriculus sangvine grumosô plenus, in sinistro sangvis plane fluidus & in pericardio ne quidem guttula aquæ. Ventriculi interior tunica corrupta, ut digitis posset abradi. Ejus superius orificium exile admodum, ut & totus œsophagus valde & quasi constrictus. Cerebrum non introspectum &c. referente Johanne Henrico Brechtfeld *Act. Hafniens. Vol. V. Observat. 114. pag. m. 307.* In rustici cujusdam, secundô post acceptum â rabidô Cane morsum mense, Hydrophobiâ correpti cadavere sequentia observavit Theodorus Zwingerus. Cicatrices vulnerorum acceptorum neutiquam rubicundæ vel lividæ, sed cutis naturali colore præditæ adparuerunt. Verùm in Humerô & Scapulâ ejusdem lateris, ut & in reliquô dorsô insignia statim Gangrænæ & Sphaceli indicia conspiciebantur; livebant enim hæ partes maximè, liqvorque se anteriùs extendebat usque ad pectus sinistrum. Apertô Abdomine intestina sese statim obtulerunt, hinc inde rubicundis maculis, ceu totidem inflammatiuncularum signis, conspersa. Incisus dein Ventriculus paucam exhibuit crudi, turbidi, subflavi minusque fœtidi humoris quantitatem, in quô moleculæ quædam flavæ, vitello ovorum indurato persimiles, ac pro reliquiis ovi ante obitum comesti habitæ continebantur. In ipsis autem stomachi tunicis itidem rubicundæ maculæ, præprimis circa utrumque orificium, deprehensæ sunt, prædictis intestinorum latiores. Thoracis Camera undiquaque sangvine suffusa ex rubore livescens non sine insigni stupore conspiciebatur;

batur. Pulmo circumquaque Pleuræ adhærescens concreti sanguinis molem referebat; usque adeò extravasatus & coagulatus sangvis plerasque ejus vesiculas adimplevit, alicubi magis alicubi minùs, ut hinc inæqualis tumor pulmonis cerneretur. Interstitia membranosa cartilagineorum asperæ Arteriæ circulorum intensissimè rubebant. Diaphragma etiam, quà costis fuit vicinius, siderationis incipientis vestigia, suo simul præternaturali rubore & livore monstrabat. Tandem sive cordis ventriculos, sive vasa circa illud majora aperiret, sive Pulmonem mille locis incideret, Zwingerus, nullibi nisi concretum sangvinem, omni propemodum serô fluidô destitutum reperire licebat. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 2. Obs. 104. p. m. 135. seq.* In Juvenis a cane rabido demorsi sectione Daniel Taury invenit: Oesophagi interiora inflammata, arteriæque asperæ simile contigisse. In fundo ventriculi tria circiter cochlearia mucilaginis fuscæ, similis illi magmati, quod æger vomitu freqnenter ejecerat, reperiebantur. Vesicula fellis admodum repleta erat bile tantum non atra. In Pericardiô valde exiguum aquæ; Arteriæ sanguine liqidissimo erant plenissimæ, venæ econtra ejus parum continebant. Sanguis coagulatus nusquam in toto corpore visus: neque etiam sanguis iste demortui in aëre frigido coibat, cùm tamen ejusdem hominis sanguis aliquot ante diebus per venæsectionem eductus promptè coagulatus fuerit. Cerebrum & pleræque ejus partes multò sicciores erant, quàm pro ordinario; quod etiam in principio medullæ spinalis & omnibus corporis musculis observabatur. vid. Histor. Academ. Reg. Scient. *An. 1699. pag. m. 65.* In Juvenis Cadavere dextra cordis auricula, sanguine grumosô referta distentaque & quasi tumefacta comparebat, sinistra flaccida, minima. Eodem latere pulmonum lobus arctissimè adglutinatus Diaphragmati, novacula vix separari potuit. Ventriculus quinque vel sex lumbricorum hospitium albidâ fluidâque nec adeo viscidâ materiâ repletus erat, circa fundum verò ejus tunicarum erosio aut excoriatio & intenta-



tentata quasi Gangræna, suffusô membranis sanguine conspiciebatur. Hepati connexa vesicula fellea, solitô longè capacior, bile turgebat adeò, ut liquor contentus, membrana copia pariter & acrimoniâ rarefacta, transsudaverit. Reliqua viscera sanissima erant, nec inflammatio musculorum colli, curiose indagata, reperiebatur, teste Guckelinô, v. Rosin. Lentil. *Jatromnem. Part. I. cap. 8. pag. 29. seq.*

*an rabies à siccitate?*

§. 23. Cum verò in his recensitis rabidorum & hydrophoborum sectionibus nullos vermes, sed potiùs internarum præprimis partium siccitatem & inflammationem Medici observârint, causam quoque hujus mali cum veteribus nonnulli recentiorum ab ariditate & inflammatione desumere solent. Inquit enim Theod. Zwing. *l. a. p. 139.* Anatome Cadaveris Rustici sufficienter docet, in Hydrophobiâ contingere inflammationem veram, id est, stagnationem, extravasationem & extravasati sanguinis coagulationem in pulmone atque partibus vicinis. Hæc certè lerna malorum, hæc vera origo symptomatum omnium in Hydrophobiâ contingentium. Qvodsi enim singulorum ætiologiam percurrere velimus, illicò patebit respirandi difficultatem, præcordiorum anxietatem deglutitionisque laborem non nisi ab inflammatione musculorum laryngis, pharyngis atque pulmonum provenire &c. ubi postea variorum symptomatum, in hoc affectu occurrentium, formalitatem explicat. Quam tamen partium internarum ariditatem seu siccitatem & inflammationem, in Hydrophobiâ defunctis observatam, an tam pro causa hujus mali, quàm pro effectu diuturnæ potûs & potulentorum abstinentiæ, cum Theophilô Bonetô *Sepulchret. Lib. I. Sect. 8. fol. m. 180. seq.* & Bapt. Codronchо *l. a. p. 79.* an verò pro effectu veneni contagiosi agnoscere deceat, mihi adhuc dubium manet; Item secundum Eliæ Camerar. *Dissert. epistol. 2. pag. 23.* hoc adhuc in Quæstione est, an illa faucium inflammatio causa sit, an effectus Hydrophobiæ, orta demum à siccitate diuturna faucium, ex defectu salivæ, ob prædominium salium sub tantis in sangui-

 ne

ne turbis summe acrium. In principio enim illa inflammatio non statim adest, nec proin Hydrophobiæ causa est, &c. Inquit etiam Theophilus Bonet *l. a. Schol. in Observat.* 7. Non inde evincitur, hujus morbi causam in qualitatibus primis consistere, cùm cujusque temperiei homines invadere queat: Defectus enim aquæ in Pericardiô, siccitas Ventriculorum Cordis & ἐγκαύσεως nota in pericardio sequi potuerunt ad potûs abstinentiam, quæ Hydrophobiam sequitur. Statuatur ergo causa venenum peculiari modò dispositum, á totâ substantiâ, ut loqvuntur, agens: Qualitatibus primis non adscribendam causam ex eô patet, quod in dies multæ mutationes in primis qualitatibus accidunt, quæ tamen rabiem non excitant. Experientiâ præterea teste, non in maximô solum æstu, sed & per maxima frigora canes in rabiem aguntur, quod non contingeret, si â caliditate & siccitate malum ortum duceret; â causâ enim frigidissimâ affectus calidissimus oriri non potest. Et Rosinus Lentilius *Iatromnemat. Part. 1. cap. 8. Sch. pag. m. 36.* Hydrophobiæ causam non tam in ipsâ siccitate, quàm in sale acido-acri, fixô, venenatô, laticem totius Corporis quasi exsiccante, & statum, si non omnimodæ siccitatis, aliqualis tamen, & non plenariæ solutionis in salivâ, vel totius Corporis lymphâ adquirente, consistere statuit. Et *pag. 40.* addit: quò major est hujusce salis copia, eò vis quoque exsiccandi major, sic ut pedetentim lympha, serum, Saliva in suis conceptabulis, glandulis & lymphæ ductibus, quin ipsismet venis & arteriis deficiat. Cujus defectûs consectarium est totius Corporis partiumque solidarum exsiccatio nimia in hydrophoborum sectis corporibus reperta atque hinc oriunda sitis vix toleranda.

*negatur.* §. 24. Imò quod de Vermibus diximus, scilicet non in omnium rabiosorum sectionibus eosdem reperiri, idem etiam de modò recensitâ siccitate locum habet; *Observatio cujusdam.* siquidem Anno 1686. satis magnum Mercatoris Lipsiensis



Canem rabiosum, ideoque etiam, ne alios Canes vel homines admordeat, â suô Dominô Sclopeti globulô trajectum secare mihi licuit; in quô tamen ne minimum quidem seminii verminosi nec inflammationis nec siccitatis vestigium, nullumque seri & pingvedinis defectum, sed tantummodò in omnibus vasis sangviferis, tàm arteriosis, quàm venosis, äerem separatim undulantem observare potui. Nullum enim dictorum vasorum, tam in Capite, quàm Thorace & Abdomine, item in extremitatibus, secundum naturam plenarie sangvine erat repletum, sed semper in iisdem modo sangvis, modò aer, spatium ad Unciæ unius vel duarum longitudinem alternativé occupabat, ita ut æque sangvis, ac aer, separatim in Vasis dictis apparerent; & quando tale vas sangviferum, in quacunque parte, digitò vel instrumentò quodam anatomico comprimebatur, tunc cruor & aer minimè inter se commiscebantut, sed alter alterum protrudebat, sicque simul distinctè commovebantur & ascendebant; & remotô digitô vel stilô propellente eodem modò iterum statim ad locum priorem descendebant; illaque pars sangvinis, quæ ab utraque parte seu utrinque inter aerem in Vasis hærebat, ad alteram & proximam sangvinis portionem, ob renitentiam aeris, non nisi vi quadam protrudi poterat; quodsi autem ejusmodi vas in eô locô, ubi äer hærebat, leniter incidebatur, tunc aer cum sibilô exibat atque proximè sibi adjacentes sangvinis portiones invicem coibant atque uniebantur. An proinde in aliis quoque Canum vel aliorum animalium apertis Cadaveribus Medici ejusmodi sangvinis & aeris vicissitudines, an vero vermiculos, an siccitatem observaturi sint, non immeritò esset notandum, siquidem sicuti Hydrophobiæ seu Rabiei plures possunt esse causæ, ita etiam non in omnibus subjectis, Hydrophobiâ defunctis, eadem Corporis pars interna eodem modò affectâ reperietur; exempli gratia refert Joh. Adam. Genselius exemplum Hydrophobiæ, quam a Convulsione Diaphragmatis, muscu-

culorumque faucium ac nervorum derivat: Scilicet Adolescens quindecim annorum, temperamenti sangvineo-cholerici famelicus summa cum aviditate & appetitu quasi præternaturali pastillos devoravit farinaceos nimis calidos ac quasi ferventes superbibitâ aquâ glaciali: Corripitur tertiâ die Hydrophobiâ, siti vexatus maximâ potum petiit; ast poculum in manibus tantum tenens jam abhorruit, nec liquidum aspicere, multò minùs deglutire potuit, horrendò & plusquam Tantalio fatò ad lucis & linteaminum alborum conspectum quoque contremuit, mente tamen illæsâ, sed pulsu concitatô, multis sudoribus. Mater quidem ejus vi aliquoties liquida ori infudit, sed frustra miserculus captabat aquas in aquis: nam per nares rursus celeri cum regurgitatione metuque suffocationis resilierunt. Adhibebantur varia, ast omnia incassum fuerunt, septima quippè die, intercluso ad pulmones aeris transitu strangulatus exspiravit. vid. Ephemerid. Acad. Nat. Curios. *Cent. III. & IV. Obs. 50. p. 111. seq.*

*Rabies semper à morsu.* §. 25. Licet verò in ejusmodi sectionibus vermes, vel siccitas & seri defectus, vel etiam modò recensita sangvinis & aeris vicissitudo frequenter reperiantur, manet tamen adhuc incertum, an dicta observata ipsaque Rabies canina seu Hydrophobia a solâ causâ internâ dependeant, vel annon potius à rabidi Canis morsu antea & quidem ante longum quandoque temporis spatium inflictô derivari debeant. Tale exemplum Hydrophobiæ, quæ passioni hystericæ a Medico quodam, a Johanne Baptista Scaramuccio autem caniculæ morsui adscribebatur, dictus Autor in Epistolâ ad Antonium Magliabochium commemorat. Scilicet, Ancilla quædam sexaginta annorum circiter, a febre cum intensissima siti fuit prehensa, cui ubi liquida, alioquin desiderata, offerebantur, tremere & concuti incepit cum terrore ac faucium angustiâ, in quibus per morbi decursum aliqui tremores cum molesto frigore notabantur, dum continuæ convulsiones recta linea ex abdomine versus fauces præcedentes & con-



convulsivæ digitorum in manu distorsiones accedebant, usque dum die quarto delirium supervenisset, quod usque ad prandium diei sequentis duravit, ubi aliquid aquæ, quamvis cum renitentia quadam & tremore, haurire incepit, sed vesperi diei sequentis inter placidos discursus obiit. Omne id passioni hystericæ fuit adscriptum, licet domestici eam in prægressa æstate a parvâ caniculâ, dum ossiculum in faucibus hærens eximebat, fuisse commorsam confiterentur. Rationes cujusdam Medici, quibus aquæ aversionem morbi uterini symptoma esse probabat, primò ex hoc desumebantur, quod patrona ædium a canicula sine ullo damnô, post servam demum, etiam fuerit demorsa; secundò quòd faucium angustia convulsiva per rectam lineam ex abdomine effectus esset hystericus; tertiò quod Mercatus in quadam hysterica aquæ aversionem observaverit; quartò quòd ægrota aliquid aquæ hauserit, id quod hydrophobiam excludat. Quibus tamen rationibus ibidem respondet Scaramuccius *v. M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. App. p. 250.*

§. 26. Hactenus etiam adductæ opinioni, quod Rabies canina, absque præeunte morsu, a causis internis oriatur, non omnes recentiores subscribunt, siquidem Daniel Sennertus *Institut. Lib. 2. Part. 3. Sect. 2. cap. 4. pag. m. 432.* equidem concedit, posse humores in Corpore nostrô ita corrumpi, ut venenorum naturam induant, sed hoc admiratione dignum esse, posse hoc tam determinatum & speciale venenum in corpore nostrô, nullâ accedente causa externâ, generari. Quapropter etsi experientias & historias ejusmodi non in dubium vocet, tamen existimat, consultum esse, ut, si quid tale accidat, atque aliquis in Hydrophobiam incidat, non solùm de morsu animalis rabidi, sed etiam de aliis modis, quibus venenum communicari possit, inquiratur. Sic Cornelius Stalpartius van der Wiel *Observ. rarior. Cent. 1. Observat. 100. Schol. pag. m. 413. 415.* ad quæstionem, an in humanis etiam Corporibus tales produci *Autoritas.*

duci queant humores, qui ad rabidi Canis venenum proximè accedant, quique nullò extrinsecus accedente contagiò, homines in Hydrophobiam impellant? iisdem ferè Sennerti verbis, fatetur equidem, humores in Corpore nostrô interdum ita corrumpi posse, ut venenorum naturam induant, sed tale determinatum & speciale venenum, quod Hydrophobiam excitet, nullâ accedente causâ externâ, in Corpore humanô generari, non credit. In putredine quoque causa hujus mali constitui nequit, nulla enim ibi putredinis adsunt signa, nec ea sine manifestis signis tam diu in corpore latere potest. Et Georgius Hebenstreit Epistol. ad Gregorium Horstium inquit equidem, non esse nullos, qui veram rabiem ab intrinsecis saltem causis oriri posse, pro certò affirment; fatetur tamen, se hanc opinionem tanquam veram defendere nolle, cùm morbi rabiei forsan similes ab illis proveniant, vera rabies nunquam; siquidem compertum & extra omnem dubitationem positum esse putat, plerumque insuper probatissimorum Autorum, cùm antiquorum, tum modernorum unanimi consensu comprobatum & adprobatum, venenum rabidum absque externâ contage & morsu animalis rabidi in homine minimè progigni posse. v. Gregor. Horst. *Oper. med. Tom. II. Lib. 7. Obs. 22. fol. m. 334.* Item Martinus Lister *de Morb. Chronic. p. m. 125.* ad quæstionem, cur canini generis Saliva sola rabie afficiat & non aliorum quorumvis quadrupedum insanientium? his verbis respondet: non ignoro, nonnullos Autores contra Galeni sententiam (nullum scilicet reliquorum animalium præter Canem rabie abripi) inter caninum genus, ut Vulpem, Lupumque, etiam Ursum, Leopardum, Asinum numerâsse. Hæc omnia & alia plurima animalium genera, ex febribus & ob alias causas, insanire non dubitandum; imò & rabie interdum affici, aliaque quæ momorderint, in rabiem similiter adigere solere. At ex rabie caninâ hæc affecta esse, non ex se ipsis illæsis, credibile est. Et morsus humanus (etiam phrenetici aut aliter insanientis) nisi ex aliquô caninô præviô in-



infectus, nocivus non est, siquidem nusquam, quod scio, proditum est, maniacum mania aliquem ex vulnere aut morsu affecisse. Ita de aliorum animalium furore naturali cogitandum est. Soli itaque Canes rabie infectoriâ noxii sunt, & qui ab iis rabiosis morsi insaniunt. Apud Veteres equidem quosdam alia invaluit opinio, nempe esse possibile, sine manifestâ causâ hanc passionem corporibus aliquando innasci. At hæc mera eorum conjectura est & ob ignorantiam facti prodita. Et *pag. 142. seq.* hanc sententiam prolixiùs contra Petrum Salium Diversum defendit. Apud Salium, inquiens, non video ullam bonam rationem, quâ convellatur sententia Galeni; nempe solum Canem ex omnibus animalibus rabie corripi. Admittam licet â Lupô sæviora & magis horrenda symptomata posse consequi: at Lupus â Cane non nisi specie differt. Cætera autem animalia, quæ ab Aristotele aliisque rabie tentari dicuntur, â caninô morsu priùs infici possunt. Esto! & Asinus & Leo rabie inficere primariò possunt; cur homines sic tentati non irrugiant, rudantve, sed semper ut Canes latrent, vel ut lupi ululent? Hoc itaque planè conficere mihi videtur, morbi nempe malitiam ex integrô â caninô genere oriri, non homini tantùm, sed & aliis quibuslibet animalibus. Hæc Listerus. Cui assentit etiam Baptista Codronchus, qui variorum examinatis argumentis ita concludit: In eam potiùs ire sententiam compellimur, hominem â principiis internis rabie corripi minimè posse, nec in oppositum adducta nos cogunt aliter sentire. v. Cornel. Stalpart van der Wiel *l. a. p. 416.* Item Carolus Musitanus, qui *Chirurg. Tom. 3. cap. 30 p. m. 107.* circa quæstionem; an Hydrophobia solùm animalium rabidorum morsûs sit inseparabile & pathognomonicum signum? allegatorum Autorum exempla & historias equidem non in dubium vocat, interim tamen ipse, utpote qui animum scrupulosum simulque veritatis avidum se habere inquit, non ita facilè credere, sed de unâquaque re dubitare dicit, nullô modô adduci potest, ut credat has Hydrophobias

phobias, nullô prægressô animalis rabidi seminiô, natas: sedulò itaque harum causas pervestigandas esse existimat, cùm non solùm morsu, sed multifariam seminium hoc communicari possit; non tantùm ideò de eô rimari oporteret, an nuper, an unquam, tale quid ipsi acciderit, an Saliva seu spuma perfusa, vel quoquô modô in corpus immissa, an animalium rabidorum carnes occisorum vel rabie defunctorum, vel ab animalibus rabiosis semicomestas vel tactas comederint, &c. Non immeritò etiam monet Wolffgangus Wedelius *Disp. de Hydrophob. cap. 3. p. 15.* Cavendum etiam esse hîc, ne confundamus morbum hunc cum affini Angina, cum Phrenitide, vel Melancholiâ ipsâ, nec simile vel analogum esse idem. Hinc plurimos videas phreneticos & delirantes etiam alios mori, sed citra Hydrophobiam: Videntur enim Autores alii Phrenitidem latentem minùs agnovisse aliquando, & pro Rabie tali seu Hydrophobiâ habuisse. vid. etiam Marcell. Donat. *de Medic. Histor. mirabil. Lib. 6. cap. 1. p. m. 588.*

*à Saliva aspersa.* §. 27. Quamvis itaque paulò superiùs adducti Autores non sine rationibus sibi & nobis persvadeant, veram Rabiem caninam seu Hydrophobiam, etiam absque animalis rabidi morsu, à causis internis oriri posse, rarissimè tamen ejusmodi exempla occurrunt, cùm econtra hoc malum utplurimum per Canis aut Lupi aut alius animalis rabidi morsum, eorumque Salivam vel etiam halitum, communicetur & nonnunquam post longum temporis spatium se prodat. Non enim tantummodò ex Canis & hominis rabidi morsu, sed ex solâ quoque ipsorum aspersâ Salivâ seu spumâ, quandoque etiam à solo halitu & aliis modis varia periculosa & lethalia symptomata atque Rabiem ipsam excitari posse, testantur Autores v. g. Inquit Galenus *de Loc. affect. Lib. 6. cap. 5. fol. m. 39.* Tanta fit in Cane humorum Corruptio, ut solum ejus sputum, si humanum corpus contigerit, rabiem excitare possit. Ex solo contactu spumæ Canis rabidi hominem hac labe pessimâ infici posse, probatur a Matthæo de Gradibus *in Consil.* 82.



82. ubi scribit: Quendam Joannem Coqueranum ex solâ manûs impositione in os rabidi Canis post multos dies rabie affectum fuisse, vid. Baptist. Condronch. *de Hydroph. Lib. I. cap. 4. p. 40.* Hinc etiam Petrus Andreas Matthiolus *in Dioscorid. Lib. 6. cap. 36. fol. 1009.* monet: non parvi pendat aliquis, spumæ contactu infici posse homines, quippe quòd ipse duos viderit, qui spumâ tantùm perfusi, nullo quidem ex morsu acceptô vulnere, rabiem contraxerant. Cùm Anno 1674. Thorunii puella à Catellô domesticô non quidem commorsa, sed tantùm salivâ ex ore spumante hinc inde in corpore nudô commaculata esset, octavâ post die vehementi rabie correpta est, atque abhorrens omnia liquida tertiâ die placidè obiit, teste Simone Schulzio *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obs. 142. p. 204.* Et Baldassar Timæus à Güldenklee *Respons. 34. Oper. p. m. 1063. seq.* exemplum delirii, melancholiæ & rabiei in rusticô, ab insultu lupi rabidi absque tamen morsu & læsione recenset. Notatu quoque dignum est exemplum, quod Gvilhelmus Fabricius *Hild. Cent. I. Obs. 86. p. m. 99. seq.* refert; Matronæ scilicet cuidam in viâ obviam venit canis rabiosus, qui vestem ejus dentibus arripiens huc & illuc trahebat, donec tandem veste laceratâ, cute tamen mulieris illæsâ & intactâ, canis aufugit. Illa verò nescia, canem rabiosum fuisse, laceratam vestem filô (prout sartrices factitare solent) dentibus abscissô resarcire cæpit. Unde quidem nullum per tres menses sensit dolorem; postea verò sensim melancholica facta imaginationibus, visionibus horribilibus & pavoribus agitari cæpit, & paulò post aquam & vinum odisse, &, quod pejus est, instar canis latrare, domesticos non agnoscere, dentibus arripere atque modò hunc, modò illum mordere tentans, donec tandem in eâ miseriâ animam efflaret. Hîc sane (cum Abele Roscio in Responsione ad Gv. Fabric. *l. a. p. 102.*) credendum, mulierem illam dentibus rumpendo filum spumâ venenatâ inquinatum & gingivis, linguâ etiam forsitan oreque pannum lingendo seu tangendo lethiferâ canis salivâ infectum, venenum subtilissimum & contagiosissimum repentè

tè & facillimè attrahere potuisse, cùm dubium non sit, facultatem tandem æquè exitialem inesse Salivæ seu spumæ Canis alteriusve animalis, in rabiem acti, si ea partem nudam vel cute nudatam contigerit, ad animal interimendum & in eandem rabiem, quâ vexabatur, convertendum, non aliter, quàm si ab ipsô rabido demorsum fuisset. Alia Sartrix, cùm Chlamydem scissam rabidis morsibus sarciendam sumeret atque ore stamina componeret & lingvâ pannorum suturas lamberet assuendo, quò transitum acûs faceret faciliorem, tertiâ die in rabiem venisse memoratur â Cæliô Aurelianô *de Morb. acut. Lib. 3. cap. 9. p. m. 219.*

*per Osculum.* §. 28. Huc pertinet etiam Contagium Rabiei per Osculum communicatum, quale exemplum extat apud Julium Palmarium *de Morb. contag. in spec. de Morf. Canis rabid. pag. m. 329.* de rusticô, qui cùm rabie perculsus furiisque agitatus sibi è vivis migrandum esse intelligeret, assidentes, qui eum vinculis constrictum tenebant, in furoris intermissione obnixè rogavit, ut, quos mox deserturus esset, liberos sibi deosculari liceret: quod cùm ei fuisset concessum, liberisque oscula libâsset, præfocatus est. Sed ecce! pergit Palmarius, septimô post die Liberi eodem morbô correpti eisdem cruciatibus torti brevi miserrimam vitam cum morte commutârunt. Sic post Hydrophobiam rabie immani perculsa & furiosa mortua est Illustris quædam fœmina, quæ â multô tempore rabidum canem, jam suffocatum, quem ipsa in deliciis habuerat, ter lacrymis obortis deosculata fuerat. v. Zacut. Lusitan. *de Prax. med. admir. Lib. 3. Observat. 68. Oper. Tom. III. fol. m. 116.* Nobilem quendam Venetum, antequam Catellum rabidum, quem fuerat osculatus, necandum tradidisset, in furorem incidisse, ex Cardano refert Cornelius Stalpart van der Wiel *l. a. pag. 407.* vid. etiam Baptist. Codronch. *l. a. pag. 40.* et Johann. Schenck. *Observ. medic. Lib. 7. fol. m. 848.* Ex Canis rabidi osculatione



ne rabiem â quodam Aurigâ contractam se observasse scribit Carolus Musitanus *Chirurg. Tom. 3. cap. 30. pag. m. 106.* Sane contagium illud, cujus Paulus Spindlerus *Observat. 99. pag. m. 176.* ex communicatione fratris sui mentionem facit, nimirum mulierem quandam demorso cuidam servientem, victumque ipsi præbentem atque cibando potandoque communi vase usam, rabidam factam interiisse, non nisi â Salivâ Vasis communibus adhærente, derivari potest. Hinc non immeritò Jobus â Meeckren *Observat. medicin. Chirurg. cap. 62. pag. 290.* ex Avicenna inculcat studiosissimè omnibus, furiosorum custodiam servantibus, ne ullas unquam superstites ciborum reliquias, ab amentibus corrosas masticatasve, degustent, neque corpus suum illorum sputis (quæ ferè eructant assiduè) commaculari permittant.

§. 29. Interdum etiam â solô halitu & transspiratione tale Contagium oriri confirmant Scriptores; solo enim tactu Canem rabie percitum rabiem pestemque suam communicare dicit Gabriel Naudeus *Pentad. Quæstion. Jatro-philolog. pag. m. 7.* Non solùm Salivam Canis & Hominis rabiosi inficere, sed etiam mediante spiritu communi talem infectionem aliquibus assidentibus, maximè si vitiosi corporis habitûs sint, communicari posse dicit Martinus Lister *de Morb. chronic. pag. m. 107.* ubi etiam tale contagium pro causâ adducit, cur in totâ historiâ medicâ, tam antiquâ, quàm modernâ vix unum aut alterum ægrum ex integrò narratum seu talismodi morbum bene elucidatum invenire liceat; quòd nimirum fortè ab ejusmodi ægrotis etiam Medici abhorrere consveverint; Siquidem Themisonem Medicum, cùm amico aquam expavescenti morem gereret & officium exhiberet, quadam naturarum concordiâ similem contraxisse affectum, nonnulli credunt. vid. Petrum Andream Matthiolum *in Dioscorid. Lib. 6. cap. 36. fol. m. 1007.* *per halitum.*

Alii

Alii Themisoni hoc idcircò evenisse statuunt, quod ipse, amici excitandi causa ad aquam & potum, cum eo manducasset ac bibisset ex eodem sane poculo ejus fortasse salivâ infecto aut alio quovis modo oris spumam contigisset. vid. Bapt. Godronch. *l. a. p. 43.* Et juxta Johann. Pier. *Hieroglyphic. Lib. 5. cap. 27. pag. m. 65.* illi ipsi, qui canem rabie correptum medicare voluerunt, morbum contrahunt, & qui canem eô morbô laborantem dissecuerit, eâ afflatûs exhalatione contagionis vim efficacissimam experietur. Quod confirmat etiam Aretæus, â rabidô, inquiens, cane, qui in faciem, dum spiritus adducitur, tantummodo inspiraverit, & nullo modò momorderit, hominem in rabiem agi. vid. Joh. Schenck. *l. a. fol. m. 847.* & juxta Cæl. Aurelian. *de Morb. acut. Lib. 3. cap. 9. p. m. 218. seq.* hominum hydrophoborum quidam in hydrophobicam passionem devenerunt solius aspirationis odore ex rabidô cane adductô. Refert etiam Marcellus Donatus *de Med. Histor. mirab. l. a. p. 589.* Johannem Coqueranum infectum fuisse rabie post multos dies ex solâ impositione manûs in os canis rabidi, etsi eum canis non momorderit. Nonne etiam ejusmodi exhalationibus & miasmatibus adscribi debet contagium & mors, cujus supra ex Thom. Bartholin. *Cent. II. Hist. 89. p. m. 290.* mentionem fecimus; scilicet de muliere hydrophobicâ in Belgio, in Rhenô ablutâ, quæ, cùm in curru in civitatem reversura animam evomeret, itineris sui sociam venenatô morsu adspersam ita simul infecit, ut tertiô inde die quoque exspiraret. Infusionem filicis, à cane rabidô demorsi, per suffimigium hominem reddere latrantem & furiosum, scribit Petrus Borellus *Observ. med. phys. Cent. 4. Obs. 22. p. m. 294.*

*per Lac vaccinum.* §. 30. Esu Lactis vaccini venenum canis rabidi communicatum observavit Baldassar Timæus à Güldenklee *Cas. medicin. Lib. 7. Cas. 23. pag. m. 327.* ubi rusticum totamque ipsius familiam & alios ex lacte vaccæ, a cane rabido demorsæ assumpto rabie infectos meminit; è quibus maritus & filiorum natu maximus auxiliis præscriptis servati sunt; mater verò cum reli-



reliquis duobus filiis & totidem filiabus periit. Postmodum ex intervallô trium quatuorve mensium etiam ancilla et vicina cum quatuor liberis, qui lacte istius vaccæ usi erant, omnes in furorem acti misere interierunt, horrendô ac notabili exemplô. Item â Lactis Vaccæ rabidæ usu in unâ domô duodecim personas rabiem contraxisse, refert Johannes Ristius, sive der Ristige in allerèdelsten Staß. *pag. m. 43.*

§. 31. Venatores quidam in Lupum sæviorem irruerunt, trucidatum in varia Obsoniorum genera apparârunt et coxerunt. Omnes, quicunque esitârunt, non multô post tempore Rabie correpti; alii sociorum morte prudentes sibi prospexerunt. In eâ carne tam diligenter apparatâ vis lethifera et venenata permansit, juxta Joh. Fernel. *de abdit. Rer. caus. Lib. 2. cap. 14. p. m. 509.* Et Anno 1535. in Ducatu Wurtembergensi Caupo quidam hospitibus carnes porci, rabidi Canis morsu infestati, edendas proposuit: Ubi homines, ejus rei ignari, comederunt, mox versi in rabiem mutuis se morsibus laceraverunt; uti ex Suriô refert Johannes Schenckius *l. a. f. 848.* Ex straminis, in quod rabie perciti sues decubuerant, esu equos, boves, oves & reliqua animalia, quæ stramentum degustâssent, rabiem contraxisse, tandemque periisse, vidit Julius Palmarius. *v. ejusd. Tr. de Morb. contag. p. m. 329.* Ex Bauhinô refert Isbrandus de Diemerbroeck *de Pest. Lib. 2. cap. 3. fol. m. 81.* rusticum quendam suem rabidam occisam minùs altè in terra defodisse, quam cùm tempore hybernô vulpes olfecissent erutamque vorâssent non tantùm illas in rabiem actas fuisse, sed eandem etiam aliis pecoribus & hominibus morsu communicasse. *à carne comesta.*

§. 32. Notatu etiam digna est Observatio, quam de communicatione ejusmodi veneni per gladium recenset Zacutus Lusitanus *de Prax. medic. admir. Lib. 3. Obs. 87. fol. m. 116.* de generosô quodam virô, qui cum fortè per plateam iter ageret; ecce obortô tumultu adspiciens retrò vidit Canem rabiosum suffocandum, quem plebeji funibus devinctum deferebant vociferatione magnâ. Ille ut effugeret Canis morsum stans circa *per gladium.*

circa illum gladiô circumfodit, & eô immissô in vaginam cursum suum peregit. Ecce post octo annos, cùm ira percitus tres invaderet, eos graviter eodem gladiô percussit. Hi, vulneribus curatis, citra manifestam causam post tres annos renuere potum inceperunt, tandem versi in rabiem furiisque agitati miserè vitam cum morte commutârunt. Simile ferè exemplum refert Johannes Schenckius *loc. cit.* scilicet puerum equitem apud Nobilem fortè fortuna invenisse sub spondâ delitescentem gladium, quô exactis pluribus annis Canis rabidus confossus fuerat; is sibi concederetur petiit; quô factô, cum ensem rubigine & ferrugine obductum extergere & perpolire vellet puer, improvidus sibi digito inflixit vulnusculum, unde rabie percitus, nemine advertente, periit. Item Phlebotomum, quô balneator anteà partem â Cane rabidô morsam scarificârat, fœminæ cuidam ejusque lactenti infanti similem labem excitâsse, ex Petrô Rommeliô narrat Jacobus Wolff, *Scrutin. Amulet. p. m. 342.* v. etiam Luc. Schroeck *Schol. in M. N. C. Dec. II. An. 5. Obs. 51. pag. 94.* ubi addit, maximè activum ejusmodi venenum Phlebotomo adhærens, dum vasa sangvifera in totô Cutis ambitu obvia secando in dehiscentes eorum cavitates penetrat & sangvini calenti immergitur, ab eô solvitur & abluitur, qui ulteriùs ad majores venarum ramos versus Cor properans totam sangvineam massam inficere valet. Huc pertinet etiam, quod Paulus Spindlerus *Obs. 99. p. m. 175.* ex ore cujusdam viri nobilis, fide dignissimi, refert: scilicet Canis rabidus a rusticis occisus & foràs projectus fuerat, quòd multos ex incolis perdiderat morsu. Hunc conspiciens rusticus quidam ebrius transiens humi jacentem indignabundus pedibus conculcavit, ita ut iisdem nudis in dentes canis demortui allidens digitum unum vulneraret. Hoc cùm negligeret rusticus, exinde inopinatò mortuus est. Plures ejusmodi Observationes reperies apud Johann. Schenck. *l. a.* Casp. Theophil. Bierling. *Thesaur. theor. pract. Cas. 9. pag. m. 65.* Gvilh. Fabric. Hild. *l. a. p. 106.* Ambr. Paræi *Oper. Lib.*

*per Phlebotomum.*



*Lib. 10. cap. 13. fol. m. 439.* Corn. Stalpart. *l. a.* Eberhard. Gockel. **von denen wütenden Hunds-Bissen** *cap. 4. p. m. 12. seqq.*

§. 32. Possibilitatem equidem Contagii hujus per solam Salivæ aspersionem, vel in distans, negat Hieronymus Fracastorius *de Morb. contagios. Lib. 2. cap. 10. Oper. Part. I. pag. m. 171.* rabiem, inquiens, non concipi contactu omni, non fomite, non ad distans, sed tum solùm, cùm è morsu canis ita dilaceratur cutis, ut sangvis eliciatur, quasi in sanguine ipsô contagio fiat per contactum dentis & spumæ animalis rabientis. Inquit etiam Amatus Lusit. *Cent. 7. Obs. 41. Schol.* se scire, canis rabidi sputum, si sangvinem non attigerit, exteriùs applicitum nihil noxii inducere posse. Et contra adducta exempla Nicolaus Tulpius, nedum cuiquam detrimento fuisse rabidorum sputa, scribit *Obs. med. Lib. I. cap. 20. pag. m. 44.* interim tamen addit, ne fortè talia sputa nocerent, se nihilominus curiosè mari semper abluere jussisse, &c. Et Johannes Fernelius *de abdit. rer. caus. Lib. 2. cap. 11. p. m. 494.* solus rabidi canis halitus contagione quenquam non polluit; sed in partem demorsu apertam & salivam vel humorem eructat, cum quô virus illinc sensim in omne corpus evadit; in integram verò cutem si incidat, nihil officit. *vid. etiam cap. 14. p. m. 508.* Idem negat etiam Cornelius Stalpart van der Wiel *l. a. p. 109.* ubi ait: Per inspirationem contagiosum esse hunc morbum, â verô alienum videtur. Si enim tantæ esset efficaciæ, ut etiam eminus, & per inspirationem inficeret, non lateret tam diu, antequam se proderet illud virus. Et pag. 413. de Contagiô per salivam canis rabidi aut hominis rabie infecti dubitare videtur, si sputum, inquiens, hujusmodi infectorum cutem attingens alios quoque inficeret, quidni eadem sudori esset vis. Hic tamen (pergit Autor) cùm maximè oppressorum sudantes manus, arterias carpi exploraturus, arriperem, quarum pori istô in angore plurimum plerumque emittunt humoris, mihi nunquam nocuit, quamvis non aliô fuerim usus Antidotô, quàm quod aqua pura, quâ manus lavi, suppeditat. Ad-

*dubium contra aspersionem.*

Admonet etiam Paulus Spindlerus *l. a. p. 176.* horrenda illa ſymptomata non ex ſimplici morſu, ſed communicatione contagii rabioſi, quod non in dentibus, ſed in ſpuma vel ſalivâ canis hærere credit, provenire. Alii hoc negant eò, quòd venenum iſtud ſit imbecillis activitatis, hoc eſt, ita ignavum in penetrando & agendo, ut niſi apertâ fiſsâve cute communicari non poſſit. Imò in aliquibus rabidis virus iſtud eſſe ita tardum ac debile ajunt, ut etiam per morſum non communicetur, & hinc videri multos a cane rabido commorſos nullis adhibitis præſidiis a rabie præſervari, alios etiam rabie non corripi, niſi virus ſit in quantitate debitâ ac convenienti, ut vulneri inflicto adhærere ac altius penetrare queat. vid. Bapt. Codronch. *l. a. p. 41. ſeq.*

*Defenſio.* §. 34. Huic tamen ſententiæ alii contradicunt atque poſſibilem veneni per cutem communicationem defendunt. De canis enim rabidi morſu & ſolâ ſalivæ conſpurcatione ita ſcribit Roſinus Lentilius *Jatromnem. cap. 6. p. m. 37. ſeq.* A cane rabioſô cùm homo mordetur, discontinuantur in admorsâ cute quidam tubuli non modò ſanguivehi, ſed potiſſimùm lymphiferi ad glandularum acinos terminati, ejusque ſaliva, in quantillâ etiam copiâ cum latice ſeu lymphâ, corporis humani miſcetur. *modus operandi;* Neque fit aliud in illis, qui ſine commorſione, tantùm ab ejusmodi ſalivâ, minùs etiam advertentes, conſpurcantur, vel â rabioſis canibus lambuntur. Cutis enim cùm ſit perſpirabilis, è glomeraminibus glandularum, ad quas lymphatici tubuli deſinunt, contexta, ſalinum acre corroſivum, fixum rabioſæ ſalivæ fermentum in dictas glandulas tubulosque facilè transmittitur atque ſic eodem modô latici admiſcetur. Idque fieri poſſe, vel ſoli ſcabioſi declarant, per qvorum ſtragula ſanis quibuslibet Pſoram affricari poſſe nullô non tempore conſpicamur. Item cur multi non ex morſu, ſed tantùm ſalivâ vel ſpumâ ſuperfuſi ſuô tempore rabiem patiantur, hoc inde contingere, cùm ſalinæ ſcoriæ ſummum exaltationis & volatilitatis gradum nactæ ſunt, & Epidermidem



dem, imò cutem penetrant, ſtatuit Carolus Muſitanus *Chirurg. Tom. III. cap. 30. p. m. 106.* Et ſanè, quid mirum, quin ſaliva, cùm ſæpius nimis acris ſimulque ſatis viſcida ſit, ob glutinoſitatem ſuam, humani corporis poris quàm facillimè ſe adaptet atque diutius adhærendo, virus ſuum & acrimoniam humoribus internis communicet? quod, uti per oſculum, v. g. in ruſtici, ex Julio Palmario allegati, liberis, ita etiam in aliis ſubjectis eorumque partibus, quæ rarioris texturæ, hincque miasmati huic hauriendo aptiores ſunt, facillimè fieri poterit. Interim negandum non eſt, longe citiùs & vehementiùs per morſum rabidi canis ejusque ſanguini admixtam ſalivam, quàm per ſolam ſalivæ aſperſionem malum hoc communicari poſſe. Quam differentiam etiam annotare videtur Julius Palmarius *l. a. p. 331.* Rabiei, inquiens, cauſa cenſetur maligna & venenata, eaque cæca & inexplicabilis qualitas, é rabioſô cane in partem demorſu apertam vel ſalivæ contagione infectam inſerta. Ea autem, quoniam ſpumoſæ rabidi canis ſalivæ inſidet, in integram cutem ſi inciderit, nihil ſiniſtri tantoperè metuendum hortatur, modò ſtatim probè deterſus & elotus fuerit locus: neque enim denſa & adſtricta epidermis craſſiorum venenorum (cujusmodi eſt venereum, elephantiacum & rabioſum) vim humori inſidentem protinus altiùs in corpus penetrare ſinat, niſi vel fiſſa vel dilatata ſit: alioqui vulnera demorſu illata quis unquam ex veterum præſcripto ſugere audeat? At in partem demorſu vulneratam, qvum incidit venenum, tempore membratim inſinuatum, non ſolum humorum & ſpirituum, ſed etiam viſcerum conſtitutionem ſenſim pervertit ac labefactat, dum tandem victoriam conſeqvutum in corde vitæ triumphet, in eoque accenſum manifeſta ſui furoris edat ſymptomata. Item Zacutus Luſitanus *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. 5. Hiſt. 12. Qv. 23. f. 841.* rabiem eſſe morbum contactu & ad diſtans contagioſum contra Petrum Salium, Fracaſtorium & Amatum defendit. Et Baptiſta Codronchus *l. a. p. 42.* tam per morſum, quam ſolam

lam Salivæ aspersionem hoc virus inferri posse censet, si virus rabidum sit multum & insignis malignitatis, tangatque etiam carnem diu, seu partem mollem & raræ texturæ, ut sunt præcipuè labra & lingva, & potissimum si corpus sit imbecille vel malis succis refertum. Quodsi virus sit exiguum, minoris pravitatis, tangatque carnem brevi temporis spatio, duram ac densæ texturæ, non solum non ex contactu solò, verum ne inflictò quidem parvò vulnere rabiem semper excitari, & potissimum si corpus sit validum & optimâ salubritate fruatur. Quin potius citra contactum ex solâ inspiratione seu afflatu morbidi animalis rabidi aerem inficiente hoc virus posse communicari, quidam Autores arbitrantur.

*Contagii modus.* §. 35. Quodsi proinde per solam salivam externæ cuti aspersam, vel etiam per levissimam læsionem atque sculpturam ab ungue (imprimis spumâ venenosâ maculato) felis rabidi factam (qualem Observationem jam supra ex Gviel. Fabric. Hildani *Cent. 1. Obs. 86. pag. m. 101.* recensivimus) hoc periculum communicari seu Rabies inferri potest, tunc sane â rabidi Canis morsu ejusque Salivâ rabiosâ, per vulnus massæ sangvineæ communicatâ, multò magis tale contagium expectandum erit. Circa hujus tamen Operationis seu rabiei mediante Salivâ propagationis modum, qui Michaeli Ettmüllero *Oper. Vol. II. fol. m. 971.* â nemine hactenus perspicuè explicatus videtur, Autores varias fovent sententias & explicationes, quarum aliqvot adducere liceat. Imprimis autem illi rem acu attigisse videntur, qui morbos ideales defendunt, atque in hoc affectu Ideas seminales ab animali rabidò in animal, quod lædunt, mediante contagiô spirituosô, transplantari statuunt; â qvibus ideis archeus animalis læsi postmodum ita determinetur, ut pro illarum directione & non aliter operari queat; siquidem secundum Joh. Baptist. ab Helmont *Tr. Demens Idea §. 35. seq. fol. m. 113. seq.* cum in sanitate alioqui non fiat conceptus absque ideis, necessariò & in deliriô



riô suæ sunt amentes Ideæ: sed omninò sub hac distinctione; quod ideæ in sanitate formentur â libertate animæ, insanæ verò sint sigillares notæ, invitis nobis in sensitivam delatæ, ideoque & hanc violenter extra orbitam abducunt. Tantum abest quòd insanæ ideæ formentur â mente stultescere nesciâ. Nam patet, quod Ideæ sequantur perturbationes rerum, unde fiunt. Qvod maximè clarum est in rabiente & Tarantulâ: quorum virus propriam, determinatam æqualemque amentiam producit & Ideas sibi perpetuò consimiles &c. vid. idem *de Ideis morbosis fol. m. 332. seqq.* item David von der Becke *Experiment. & Meditat. circa Natural. Rer. princip. Lib. 2. p. 217. seq.* & Martin Heer *Introduct. in Archiv. Arch. Tr. 2. §. 41. pag. m. 141.* Horum tamen sententiam de Ideis rejicit Michael Ettmullerus *l. a.* Hi ipsi Autores inquiens, præ cæteris omnibus nonnihil plausibiliter rem explicant, sed idealis hæc hypothesis, utut subtilis admodum & primâ facie plausibilis videatur, illis tamen, qui intelligibilem, seu, ut vocant, sensatam amant Philosophiam, nullò modò satisfaciunt. Nam si ad ipsum fundamentum perveniamus, est hæc hypothesis simpliciter idealis. Unde & hic profitendum est, aquam in hisce nobis hærere & rem â priori non esse explicabilem; â posteriori ergo saltem dari potest hypothesis nonnihil plausibilis.

§. 36. Fermentum autem peculiare ab animali rabidô per morsum communicatum idem Autor locô allegatô accusat, *an per Fermentum.* quod fermentum ideas, ab animali furente impressas, homini communicat, primariò spiritûs animales; quod etiam confirmant pathemata convulsiva, secundariò massam sangvineam afficit, ita ut fere similes evadant spiritibus & sangvini animalis furentis: hinc fieri non potest, quin easdem quoque actiones edat, quas canis aut aliud animal rabidum edit. &c. Tale fermentum fermentativum agnoscit etiam Georgius Wolffgangus Wedelius *Amœn. Mater. Med. Lib. 2. Sect. 2. Cap. 1. pag. m. 315.* his verbis: Venena animalia agere potissimum vi fermentativâ peregrinâ, sive viperæ morsus exempli loco

locô fit præcipuè, feu canis rabidi, feu alia confimilia. Hinc cum Salivâ talismodi fal peregrinum, iratô cumprimis animali, in vulneratam partem illatum, mox ferum & fangvinem immutat, ut corrumpantur, στάσιν, fermentationem, νέκρωσιν patiantur, factâ hinc, recurfu ad Cor, communicatione, etiam reliquam maffam fangvineam mox inficiendo. &c. Et *Difput. de Hydrophob. cap. 3. p. 16.* idem fcribit: Actuationem hujus venenofi Miafmatis optimè poffumus concipere, fi confideremus, venenum effe fui generis, animale puta, fpecificum & fic vi potisfimum fermentativâ agens. Fermentativum eft, quatenus humores vitales imprimis aggreditur, inquinat, turbat, profundius unitum eosdem mutat, immutat & alienâ prorfus natura characterizat: unde ipfam etiam contagii rationem non nifi per fermentationis analogiam explicari poffe affirmat Kergerus &c. Item *Patholog. med. Dogmat. Sect. 3. cap. 9. p. m. 605.* hæc habet Wedel. Optimè affectus hic feu rabies â morfu inducta, explicari poffe videtur ex principiis chymicis, circulationis fangvinis & venenorum naturâ, quæ ex animalium genere funt fermentifica magis feu immutativa; additô cumprimis eô, quod anima brutorum magis corporea & materialis fit, adeoque in fangvine & huic analogis habitet. Hinc fi rabidis Saliva, fermentô biliosô volatili, fulphureo-falinô inqvinata per vulnus demorfione factâ ad maffam fangvineam fibi aditum inveniat, in eâdem fermentationem, imò graviori ftatu confermentationem inducit, unde fpiritus turbantur, & cum fimilem rabido animali difpofitionem nancifcantur, mirandum hinc non eft, confimilem infaniam oboriri. Plura de hoc fermento vid. Theoph. Bonet. *Medicin. Septentr. Part. 1. Lib. 1. Sect. 20. fol. m. 207.* Statuit etiam Richardus Mead Tractatu Anglico, *Mechanical Account of Poiffons, feu Mechanic. Relat. de Venen.* quòd Rabies in Canibus effectus fit febris violentæ, quæ fub æftatis calore intenfiore accenditur, &, cum per fudores Canes heterogeneitates eliminare nefciunt, augetur, ita ut in glandulis copiofi-



fior lympha, eaque falinis & activis particulis referta fecernatur; quæ fi per morfum fangvini hominis affricetur, fermentorum inftar fe multiplicat, & effervefcentias p. n. humorum & fpirituum animalium motûs inordinatos concitat. Hinc quoniam eodem motu hi moventur, ac in canibus, non mirum, quòd Canibus furiofis fimiles actiones, prout Organorum conftitutio id permittit (morfus, puta, latratus &c.) exerant homines rabiofi &c. vid. Act. Erudit. Lipf. *An. 1714. Menf. Mart. p. 133.*

§. 37. Alii Contagii hujus modum Salivæ mobilitati vel fpiritibus vel aliis caufis adfcribunt. Inquit enim Johannes Walæus *Medicin. pract. Lib. 2. c. 2. p. m. 138.* Quomodo ex tali Salivâ Hydrophobia nafcatur, dictu difficile eft, &, fi tamen in re difficili aliquid divinare liceat, videtur id contingere propter Salivæ mobilitatem & penetrabilitatem & coagulandi vim, quæ fangvini per circulationem communicata, eum inftar coaguli incraffat, unde ftatim fequitur Melancholia, deinde Mania, poftea Hydrophobia. Hæc vero Saliva dum fangvinem ita coagulat, fegregat tenuiores partes â crasfis, tenuior autem ille humor facile fufcipitur & imbibitur â gulâ propter partium circumjacentium fpongiofitatem, unde aliquam mœftitiam & moleftiam ægri hic percipiunt, quam adeò magnifaciunt, ut fefe deglutire non poffe arbitrentur; & juxta Stephani Blancardi *Inftitut. Medicin. Part. 3. cap. 9. Oper. Tom. I. pag. m. 429.* Cum quis a cane rabidô morfu fit læfus, certè nonnihil ex Canis Salivâ in Vulnere eft impreffum, quod in vulnere receptum, ibi non quiefcit, verùm fenfim fenfimque à fangvine aliisque fuccis abforbetur, hinc fangvini admifcetur: porrò aliquid etiam in vulnere remanet, quare vulnus corrumpitur, & fucci in idem ftillantes, & illi iterum fangvinem prætereuntem: hinc tota fangvinis maffa inficitur, non fecus ac â paucô fermentô magna farinæ pafta fermentatur. Sic â particula Opii vel Olei Cinamomi omnes noftri Corporis fucci afficiuntur, imo vel centefima

*an a fpiritibus.*

ſima parte grani unius Moſchi. Hiſce ita poſitis, debet ſanguis noſter tandem particulâ hac ſalivæ iſtius canis totaliter infici & circulariter circumduci, eodem modò, ac in cane illo rabido. Et *Prax. med. cap. 12. Oper. Tom. II. pag. m. 241.* inquit idem : Cauſa rabiei Hydrophobicæ externa eſt canis rabidi morſus, atque hoc modò ab ipſius ſalivâ, ſive per vulnus morſum, ſive per os, nonnihil ſanguini noſtro communicatur : quare tunc tota maſſa inficitur; non ſecus ac tantillo fermenti acidò integra farinæ maſſa acida redditur. Separatis itaque ex tali ſangvine in cerebro ſpiriribus, eorum ope tales quoque, uti in cane, canaliculi in cerebrò aperiuntur: hinc ſymptomata, ut in rabidò cane, ita in homine eadem ſunt. Et ſi materiâ ſubtili vehementer moveatur, maniæ, deliria, vigiliæ, iræ generantur. Huic porrò ſi accedant acres & pungentes particulæ, convulſiones, dentium ſtridores, dolores, lipothymiæ, ſingultus & mordendi appetitus oriuntur. Spiritibus hisce æſtuantibus ad pulmones euntibus, calore non amœnô ſuffunduntur pulmones, cor, ventriculus, reſpiratio læditur ; & convulſionibus factis mirus efficitur clamor ac geſtus, quibus ſpuma è pulmonibus quoque exprimitur; Oeſophagi Muſculi ſpasmo affectis, difficultatem humido deglutiendo pariunt ; hinc iis injicitur metus potulenta degluriendi, atque eâ de causâ aquam timent : non tam propter aquam, quàm quia bibentibus nocet. poſt potum enim ſtatim in convulſiones & ſpasmos incidunt. Et ex Chriſtiani Johannis Langii *Prax. med. cap. 19. Oper. med. Tom. II. fol. m. 123.* ſententia Hydrophobia cauſam agnoſcit ut plurimum canis, felis aut alius animalis rabidi morſum. Quæris modum fiendi? Scias in ſalivâ non paucas ſpirituoſas hærere partes, quæ ſub hoc tegmine vulneri a dentibus inflicto ſimul ac inſtillantur, ideam ſuam rabiosam ſpiritibus imprimunt, ſicque in nobis ſimilem non modò rabiem metumque aquæ, ſed etiam reliquas caninas proprietates communicant. Si dubites de hacce idearum communicatione, probationis locô vipe-



viperarum morſum accipe, cujus venenoſitas ſi non ex totô, maximam tamen partem ab exagitatione et excandeſcentiâ harum beſtiolarum dependet. Nondum hæc tibi ſi ſatisfecerint, aliud adducam forſan magis amicum exemplum. Docent, qui amandi præcepta tradunt, nullis illecebris citiùs ad amorem reciprocum invitari poſſe puellas, quàm oſculis, non tamen vulgari & ruſticorum more cum crepitatione & ſonô impresſis, quàm quæ cum aliquali labiorum morſu tremuloque Salivâ madentis lingvæ motu dantur. Adhuc hæres, quomodò tam exiguâ in copiâ rabioſi animalis ſpiritus tantas in humanô corpore turbas excitare inſignemque ſpirituum noſtrorum copiam ſubigere posſit? nihil hoc mirum, cùm illi rabioſi, hi meticuloſi ſint, ut hi fugiant ab illis fugati.

§. 38. Patet etiam ex ſuprà allegatis & aliis Autoribus, homines ab animalibus rabidis demorſos non modò rabiem incurrere, ſed quandoque etiam mordentium animalium mores & actiones imitari, ita ut â morſu canis rabioſi novam naturam caninam aliquatenus induant atque inſtar canum latrent & ringant, ac in terrâ manibus & pedibus gradientes, ſe etiam canum more in eâ volutent, obviam factos morſu adoriantur ac mordendô ſimili vitiô labefactent. Id quod nonnulli â depravatâ phantaſiâ & exinde derivant, quòd â rabidô cane demorſi, ſe canes eſſe, imaginentur, vid. Marcell. *Donat. de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. 6. cap. 1. pag. m. 595.* quô locô etiam *ſequentibus verbis* ex Montuô cujusdam meminit, qui morſus fuit â cane rubidô & non curavit inde ; & ſine læſione exercendo ſua negotia ſtetit triginta quinque diebus, manè verò diei trigeſimi ſexti ſurrexit & poſuit ſe retrò uxorem ſuam ſtans in terram ſicut canis & cæpit latrare poſt eam ; & cùm reprehenſus fuiſſet ab eâ, ſurrexit de terrâ ſubridens ; & hunc actum pluribus vicibus eodem die fecit ; ſerò corrupta eſt ratio ejus in totum & mortuus quadrageſimô die â die morſus. Quare, pergit allegatus Donatus, ad depravatam imagi-

*a morſu mores.*

 natio-

nationem dicti symptomatis causam deducendam esse magis rationabile videtur, quàm ad alias recurrere. Lautier Vabrensis demorsus â Cane rabidô obiit septem abhinc annis ab illius morsus veneno, ratione tamen servatâ usque ad mortem; dum autem sanus omnibus haberetur, imò sibimet, subito ei latrandi cupiditas maxima supervenit, imo tanta, ut sociorum amicorum consortium dimitteret, ut, aversô ab iis vultu, latrare posset, sed postea paulatim resipiscens, percepit mentem suam quodam venenô laborare, & quædam remedia sibi admoveri jussit, sed frustra. Quare paulò post in Hydrophobiam incidit, & in horrorem äeris motus, adeò ut vultum tegeret, dum quis ad illum accederet. &c. vid. Petr. Borell. *Obs. medic. Cent. I. Obs. 74. p. m. 78.* Juvenem quendam â rabidô Cane morsum, instar Canis latrâsse, sedisse, ac manibus, pedibusque incessisse, ut caninam omninò videretur induisse indolem, ex Philostrato refert Cornel. Stalpart van der Wiel *Cent. 1. Obs. 100. Schol. p. m. 419.* Corporis spiræ similis sive caninam involutionem, id est, Corporis decùbitum Canum dormientium contractioni similem non modò inter signa præsentis Hydrophobiæ locat Cælius Aurelianus *de morb. acut. cap. 11. p. m. 220.* sed etiam *pag. seq.* addit, Sorano quendam Atheniensem retulisse, quòd viderit Hydrophobum ex domo fugatum ad locum venisse, ubi inclusus corpore implicatô, seu canis more convolutô vitam finiverit: sed in ipsô locô fuisse canem jacentem, quem rabie accensus repentè accurrens momorderit. Imprimis hos ægrotos Canem oretenus plùs imitari, quàm ullis aliis corporis membris, ubi scilicet Salivæ propria excretoria vasa sunt, inquit Martinus Lister *de Morb. chron. p. 122. seq.*

§. 39. Miram etiam ac caninam sagacitatem in Viro à rabidô cane demorsô annotavit Pet. Borellus *Cent. 3. Obs. 68. p. 250.* Visus est, inquiens, Vir â multis amicis meis, qui cùm â canis petitus rabidi morsu fuisset, ejus venenô non solùm rabidus factus est, & canis venenum in eum non modo inseruit, sed etiam odoratum &



& sagacitatem suam venaticam illi communicavit, adeò ut accedentes amicos è longinquô, licet eos non videret, olfactu venire perciperet, & amicis diceret, talis N. amicus meus hic jam venturus est, & statim veniebat &c. Sequentem Observationem communicat Johannes Rhodius *Observ. med. Cent. 1. Obs. 46. p. m. 30.* Anno 1630. Patavii superstes erat Virgo instituti Capucinorum ante triennium post morsum canis ab annis duodecim rabie correpta. Ingens per accessionem torquebat mordendi desiderium, mente nihilominus integrâ. Præcepit enim se arctè constringi, ne adstantes læderet. Imminente furore loci demorsi stigma evanuit, &c. Pariter etiam in illis, qui â felibus rabidis vel morsu vel scalpturâ læduntur, earundem mores observantur, dum mores felinos sonô oris, ungvibus & digitis mutuò in alios invadendo imitantur. *mores felium* Talem rabiem â morsu felis in Indice digitô post duas horas lethalem, quâ æger mordere volebat, ex Johanne Colle refert Michael Ettmullerus *Oper. med. Vol. II. fol. m. 971.* Et Juvenis ille viginti annos natus, cujus supra ex Gvil. Fabric. *Hild. Cent. I. Obs. 86. p. m. 101.* meminimus, post scalpturam â fele rabiosa in dextrô pollice acceptam, se in adstantes projiciebat, eosque dentibus arripere tentabat, nisi custodes eum retinuissent, Imò demorsos a cane rabidô non modò instar canis latrare, aliosque morsu petere, sed quandoque etiam penitus dilacerare, jam supra, Observatione Viti Riedlin. *Millenar. Curar. med. Obs. 658. p. m. 410.* de sponso quodam adduximus, quippe qui nuptiarum die choreas ducens â cane quodam parvô morsus paulò post cum sponsâ concubiturus tantam incidit rabiem, ut sponsam aggrederetur atque totum ejusdem pectus dentibus suis dilaceraret. Huc etiam referre liceat, quod scribit Athanasius Kircherus *Scrutin. Pest. Sect. 2. cap. 2. p. m. 123.* qvòd felis rabidæ aut morsus aut comestio omnia venena superat, dum non secus ac canis rabidus admorsum in sui transformet imaginem, ita & felis in suam; & lugubre superioribus annis exemplum docuit trium Helvetiorum juvenum, qui

qui Patriam repetituri, dum nescio in quas cum Caupone tricas circa ciborum conditionem incidissent, is vindicaturus se felem in rabiem primò actam assatamque hospitibus apposuit, quam illi cuniculum reputantes totam consumpserunt, sed vix itineri se, peractô prandiô, commiserant, dum ecce omnes in rabiem acti voces simulantes felinas, manibus quoque digitisque in ungvium modum incurvatis obvios quosdam impetierunt, capti tandem constrictique omnes intra paucas horas interierunt.

*Campanellæ sententia.* §. 40. De hac materia liceat etiam Thomæ Campanellæ *de Sens. rer. Lib. 4. cap. 11. p. m. 310. seq.* verba adducere: Qui mordentur à Cane vel feli rabidis, molestiam vix sentiunt usque ad quadragesimum diem. Dehinc langvent & latrant ut Canes aut feles, mordentque alios homines, sicuti ipsi morsi fuerunt. In aquam claram introspicere abominantur, & fugiunt, tandem quasi canes aut feles vociferantur rabidoque furore pereunt; & emittunt ex genitalibus semen instar catulorum canis aut felis, & tandem in canes transformantur, licet non in figurâ exteriori & miserè pereunt latrando & imaginando se esse canes. Unde palam fit, ardentem spiritum humoremque in vulnere â Cane derelictum passim augeri & temperamentum vincere, sicut modicum coagulum lac multum inque seipsum convertit. Quapropter spiritus adeò afficitur, quod obliviscitur esse humanus, imaginaturque esse caninus. Motiones enim passionesque caninæ in eô prævalent, imaginantemque vim caninam faciunt, sicut furiosus quidam se esse Papam credebat. Et veluti modicum semen frumenti terram multam mutat in frumentum, sic caninus ille spiritus modicus operatur vehementia suâ immutando temperiem sensumqve in se. Itaque patiens credit, se esse canem, & jam canis est intrinsecus, non autem in figurâ; nam sicuti mutatur in corpore canis cibus & sangvis in spiritum caninum: ita & in corpore nostro, dum caninum semen sic potens est. Mens autem â Deo nobis indita patitur eadem passione & credulitate, qvia est involuta spiritu patiente & credente,



dente, se canem esse. &c. Et *p. 315.* inquit: Generant quidam catulos, quoniam caninus factus est spiritus ipsorum, ergo ex semine canes format; sicut semen hominis in uterô format hominem, quoniam ejus spiritus retinet in se Ideam genitoris & veluti nutriebat & vivificabat & sentiebat & operabatur in genitore, sic agit & operatur in utero, ergo & similem genitori fabricatur. Sic etiam spiritus caninus operatur, quod & sicut in Cane operabatur, & nutrit & generat & latrat & omnia aget juxta Ideam suam &c.

§. 41. Porrò circa Canis rabidi morsum notanda venit nonnullorum opinio, qui ex ejusmodi Canis rabiosi spumâ, in veste demorsi relictâ animalcula quædam minutissima, Canibus simillima, progenita fuisse, item in excretâ demorsorum urinâ ejusmodi canum imagines vel potiùs catulos minutissimos apparuisse statuunt, cui sententiæ tum veteres, tum recentiorum etiam Autorum nonnulli adhærent, quos prolixè allegavit Caspar à Reies *Camp. Elys. Quæst. 62. §. 2. p. m. 806. seqq.* vid. etiam Dan. Sennert. *Institut. medic. Lib. 2. Part. 3. Sect. 2. cap. 4. p. m. 431.* Zacut. Lusit. *de Medic. princip. Histor. Lib. 5. Hist. 14. fol. m. 844.* Marcell. Donat. *de Medic. Histor. mirabil. Lib. 6. cap. 1. p. m. 595. seq.* Quod etiam exemplô Fœminæ Seruestanæ, in cujus fimbriæ locis, qvibus Canis dentes infixerat, Vermes capite catulis prorsus consimiles conspicui fuerunt, ex recentioribus probat Philippus Salmuth *Cent. 2. Obs. 83. p. m. 100.* Et Mich. Etmullerus *Oper. Vol. II.* Veterum sententiam defendit; notabile est, inquiens, quòd subinde animalcula generentur vel conspiciantur in saliva vel lotiô animalium rabidorum, similia iis quodammodò animalibus, â quibus rabies fuit inducta; unde v. g. vermes catelliformes, aut capitulis catulorum similes in urinâ taliter ægrotantium observarunt. Notarunt hoc jam suô tempore veteres Arabes, in specie Avicenna & Avenzoar; quod tamen rarum est, unde ex modernis quidam plane negare volunt, sed male. Certum enim est, reperta interdum fuisse talia animalcula, non tamen semper. *an in Salivâ animalcula.*

Fidem

Fidem facere aliqvalem videtur exemplum illud notabile *Salmuth Cent. 2. Observat. 83.* de muliere, quæ fuit in fimbria vestis morsa seu lacerata â Cane rabidô, & ista fimbria Salivâ adspersa; unde mulier suspendit vestem laceratam äeri libero, ut exsiccaret & post unum vel alterum diem in locô, ubi fuit Saliva, percepit parva animalcula, quorum capita simillima fuerunt Capiti canino.

§. 42. Non autem tantummodò in demorsorum Salivâ, sed etiam in Urina ejusmodi vermiculos reperiri scribuntur; siquidem Pet. Andr. Matthiol. *Comment. in Dioscor. Lib. 6. cap. 36. fol. m. 1008.* dicit: scribit Avicenna, evenire interdum, ut â cane rabidô demorsi quædam frusta carnis ingenti cum dolore mingant, quæ formâ propè catulos parvulos referant: quod etiam ab aliis recentioribus accepimus, quin & ab iis, qui hujusmodi catulos se minxisse fatentur, &c. Juxta Petr. Borell. *Cent. 1. Obs. 28. p. m. 37.* in urinis demorsorum â canibus rabidis effigies canum percipiuntur, ob seminis æstuantis portionem quandam, per canis spumam morsu communicatam, quæ etiam cerebrum inficiens eos in canum naturas mutat, latrant enim & mordent, ut canes. Inquit etiam Emanuel Kœnig *Regn. animal. Sect. 3. Articul. 8. p. 345.* Canis rabidus morsu suo venosissimum est animal, dum hominem mire transformat, ejusque spiritus inficit ac velut transscendit, sicque in similem Hydrophobiam, latratum ac venenatum, morsum adigit, prout & quidam experti grumos sangvinis vel etiam frustula carnis per secessum & urinam deposita formam exiguorum catulorum habuisse, imò in tali vulnere vermes esse enatos capita habentes canum similia. De hac materiâ ita loquitur Samuel Hafenrefferus *de Cut. Affect. Lib. 3. cap. 6. p. m. 443.* Est urina a cane rabido morsorum pingvis, in quâ res carnosæ mirabiles, similes parvis canibus aut eorum stercoribus, vel visceribus, aut aliis consimilibus & horribilibus: quia venenum rabidi canis, ex sui proprietate, quam habet ad hominem, disponit omnes humores ac humiditates hominis, cui communicatur mirabiliter ad ipsius rabidi canis complexionem, naturæ ut introducat formam, ex continuatâ veneni in hominem actione & diuturnâ veneni ipsius dispositione, assiduâ fortissimaque patientis imaginatione de canibus, aut eorum stercorum vel viscerum, in vapore præfatorum humorum introducit ipsas canum figuras in superfluitates ultimæ digestionis, quæ expulsæ cum urina, tanquam hypostasis, repræsentant in ipsâ urinâ figuras canum, patienti priùs, quàm aliis, præcipuè concurrente melancholicâ patientis dispositione; præcedente verò adhuc ulteriùs confirmatione dispositionis, repræsentant non solùm patienti, sed etiam aliis non patientibus, parvorum Canum figuras, seu eorum stercorum, vel viscerum aut aliarum horribilium rerum, Inquit etiam Paulus Ammannus: si Saliva canis rabidi hoc seminium ad verminationem, juxta Phil. Salmuthii Observationem, in se continet, quidni etiam accedente Phantasiæ vitiô illud ulterius propagari, ulterius efformari & urinæ communicari poterit? Uti ex Ammanno allegat Christianus Fridericus Garmannus *de Miracul. mortuor. Lib. 2. Tit. 10. §. 182. p. m. 817.* qui Autor etiam equidem non negat, nec inficiatur, adstantes aliquando, in ejusmodi Urinæ inspectione, phantasiam non minùs, quàm oculos adhibere; interim caruncula aut vermiculos caniformes etiam inter ea, quæ naturæ impossibilia, non reputat. Et Christianus Franciscus Paullini *Cynograph. curios. p. m. 224.* intrepidè asserit, è seminio hydrophobico hujusmodi animalcula seu ideas caninas verè in lotiô interdum generari posse. Imo frusta octodecim albicantia, Catellis nuper natis ita similia, ut ovum ovo, â muliere ex morsu Canis rabidi diu rabidâ ejecta atque ab Illustrissimâ Dominâ Bathianianâ propriis oculis observata fuisse, refert Paulus Spindlerus *Obs. 99. p. m. 176.* Cujus Observationis meminit etiam Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obs. 58. p. 98.* ubi Illustrissimam Dominam Budianam Anno 1638. oretenus Spindlero eandem retulisse dicit, & simile ferè exemplum annectit. Porrò etiam in Urinâ eorum, qui â phalangiô

langio commorsi sunt, conspici substantias quasdam innatantes aranearum telis persimiles ex Pet. Andr. Matthiol. *Comment. in Dioscorid. Lib. 6. cap. 36.* refert Zacutus Lusitanus *de Medic. princip. Histor. Lib. 5. Hist. 14. fol. m. 844.* (quem tamen locum in Matthiolo reperire non potui) & Daniel Sennertus *Practic. med. Lib. 6. de morb. occult. Part. 8. cap. 24. pag. m. 348.* nonnunquam vel per Urinam ab araneis læsorum, aranearum simile quid excerni scribit. vid. etiam Casp. à Reies. *l. a. Quæst. 62. & 4. p. m. 807. seq.*

*negatur.* §. 43. Quamvis autem Casparus a Reies *l. a. p. 808.* prolatis variis exemplis & autoritatibus de Corpusculis catuliformibus, concludat, non omnino fabulosum esse, quod de Urinâ rabidorum ajunt, conspici quidem in eâ aliquando catulis aliquid simile, cujus eventûs veram causam nullus rerum naturalium acerrimus licet indagator afferre poterit; nihilominus tamen paulò post de veritate dubitat, inquiens: Licet hujusmodi miracula non penitus in naturæ majestate impossibilia judicem, cùm aliàs sciam, credibilia non rarò esse, quæ talia non videntur; tamen istis vel leviter fidem præstare doctis non convenire arbitror, potiusque hoc ipsius rabientis corruptis imaginationibus, quas canis perpetuò obvolvit, tribuendum fore judico: quæ licet hîc sicuti in gravidarum conceptibus aliquam immutandi vim habere posse non videantur, conceptam tamen canis speciem cum horrore & metu menti infixam in aquis & liquoribus, si non verè, erroneò tamen mentis excessu sibi ipsis repræsentari ac aspicere imaginantur; quod ab aliis, qui integro fruuntur judiciô, non conspici certum est, cùm nec in urina aut aliis liquidis aliquid hujusmodi realiter existat, nec mens caninô venenô minimè delibuta ac depravata, canum figuram nullô modô existentem percipere valeat, cum a falsis phantasmatibus haud possit deludi: quare ipsos solummodò laborantes in suâ, vel alienâ etiam urinâ, illa canum idola conspicere dicendum est. &c. ubi prolixius hanc opinionem defendit. Hanc sententiam amplectitur etiam Marcellus Donatus *de med. Histor. mirab. Lib. 6. cap. 1. p. 593. seqq.* scilicet, cùm rabidi effecti homines operationes intellectûs corruptas habeant, fiat, ut ex longâ circa Canes cogitatione imprimantur in eorum imaginatione formæ & idola canum, ita ut assiduè fermè præ oculis canes habere sibi videantur; quin imo & se ipsos canes effectos putent, tumque potissimum, cùm aquam, tanquam speculum splendidum imaginem reddens intuentur, imaginentur in ea canes esse; quòd verò alii non demorsi nec phantasiâ depravatâ laborantes in rabidorum urinâ ejusmodi animalcula seu catulorum imagines conspicentur, id minimè verum esse suspicatur allegatus Marcellus Donatus, cùm ex antiquioribus neminem, quos legerit, id certò affirmantem observare licuerit. Item Carolus Musitanus *Chirurg. Tom. III. cap. 30. pag. m. 101.* fabulosum judicat, in lotiô excretô canum imagines apparere, quæ nullâ experientiâ comprobetur. Anilis quoque fabella eidem habetur illud, quod ex Canis rabidi spumâ vesti aut linteo inhærente, animalcula quædam parvis catellis similia generata fuerint. Et Georgius Wolffgangus Wedelius *Disp. de Hydrophob. cap. 3. p. 14. seq.* relationem Sennerti de animalculis è spumâ Canis rabidi in Veste hærente, canibus similibus progenitis, suo loco relinquit.

§. 44. Utri verò sententiæ, an affirmativæ, an negativæ, adhærere debeam, in materiâ tam obscurâ dubius adhuc maneo, cùm nec Salivam nec urinam a Cane rabidô demorsorum, indeque rabidorum, examinare mihi licuerit. Quia tamen allegati Autores varia Exempla & rationes pro affirmativâ adducunt, præterea etiam in aliorum subjectorum non rabidorum Urinâ, Salivâ & spermate, absque præcedente morsu, testantibus Observationibus, quandoque Vermiculi variæ figuræ apparent, quidni etiam in dictis demorsorum & rabidorum liquoribus excrementitiis nonnunquam Vermiculi reperiri poterunt? quos fortasse veteres Medici, Microscopiis nostræ ætatis destituti, ex persvasione pro minimis Catulis seu vermiculis catuliformibus habuerunt, cùm præprimis ejusmodi vermiculorum capitula utplurimum cæteris *Autoris sententia.*

teris partibus majora eſſe ſoleant. An tamen in omnium demorſorum Salivâ & urinâ tales beſtiolæ deprehendantur, affirmare nolo.

*Vermiculi in Saliva & Urina.*

§. 45. Reperiri autem in ſalivâ, urinâ & ſemine non rabidorum vermiculos, ſequentes teſtantur Obſervationes. Saliva ſcilicet ſeu ſputum verminoſum imprimis in ſcorbuticis ſecundum ſuprà allegata annotari ſolet. Tale ſputum cum horrendâ Ophthalmiâ & lacrymis ferè perpetuis in decrepitâ ſcorbuticâ obſervavit Gabriel Lühr, vid. Chriſt. Franc. Paullin. *Mort. verminoſ.* §. *38. p. m. 76.* ſcorbuticus item Hamburgenſis Swalbachii, Joh. Dolæo præſente, ſalivam valde fœtentem & vermiculis ſcatentem exſpuebat, *vid. M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 130. p. 305. ſeq.* In Richburgis, comitiſſæ & religioſæ ſororis, ſummè ſcorbuticæ ſputô rejectô manifeſtè viſi ſunt puſilli vermiculi albi, ut in caſeô. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Append. p. 195.* & Chr. Franc. Paullin. *Obſ. med. Cent. 4. Obſ. 10. p. m. 415.* Sputa etiam verminoſa in Adoleſcente venereô annotavit idem Paullin. *l. a. Cent. 2. Obſ. 58. p. 222.* In urinâ eorum, qui Lue venereâ laborant, multoties innatare videntur minuta animalcula, formicis affinia, aut iis præſertim, quæ æſtivis menſibus in aquâ cœleſti volutari conſpiciuntur. vid. Joh. Wier *Oper. Part. IV. cap. 16. p. m. 316.* Puerperæ urinam cruentam vermibusque craſſiuſculis refertam annotavit Thomas Bartholinus *Cent. I. Hiſt. 89. p. m. 127.* Plura ejusmodi exempla reperies in Helmintologiâ noſtrâ. Et de vermiculis in ſemine virili vid. Spermatologia noſtra.

*Autores de Hydrophobia*

§. 46, Qui plura de Morſu Canis rabidi & Hydrophobia ejusque ſignis & Cura deſiderat, evolvat Baldaſſar. Timæi â **Güldenklee** *Caſ. medic. Lib. 7. cap. 22. p. m. 326. & Epiſtol. med. Lib. 5. Epiſt. 17. p. 826.* Eberhard Gockel *de Venen. cap. 14. pag. m. 80. ſeq.* it. *Conſil. medic. Decad. ſex. Conſ. 19. p. m. 207. ſeq.* Baptiſt. Codronch. *de Rabie, Hydrophobia communiter dicta.* Ejusd. **Bericht von wütenden Hunds-Biſſen** *per totum.* Joh. van Beverwyk **Schatz der Ungeſundheit** *Part. 2. cap. 9. fol. m. 152. ſeq.* Martin. Liſter. *de*

*morb*



*Morb. chronic. p. m. 100. ſeqq.* Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. 1. cap. 20. p. m. 42. ſeq.* Iul. Palmar. *de Morb. contag. p. m. 327.* Franc. Joelis *Oper. med. Tom. 5. Lib. 2. p. m. 149. ſeq. 152. ſeqq.* Petr. Sal. Diverſ. *de affect. particular. cap. 19. p. m. 340.* Roderic. â Fonſec. *Conſultat. med. Tom. I. Conſil. 25. p. m. 167 ſeq.* Georg. Wolffg. Wedel. *Diſp. de Hydrophob.* Joh. Jac. Waldſchmid. *Prax. med. p. m. 1086. ſeq.* Joh. Michael. *Oper. med. p. m. 67.* Carol. Muſitan. *Chirurg. Tom. 3. cap. 29. p. m. 78. ſeq. & cap. 30. p. 98.* Theodor. Craan. *Obſervat. ſeu Prax. medic. Obſ. 17. p. m. 252.* Roſin Lentil. *Iatromnemat. cap. 8. pag. m. 27. ſeqq. & p. 50. ſeq.* Frid. Deckkers *Exercitat. pract. cap. 7. pag. m. 565.* Theodor. Zwinger. *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſerv. 104. p. 132. ſeq.* Franciſc. Valleriot. *Obſ. med. Lib. 3. Obſ. 3. p. m. 255. ſeqq.* Et Camerar. *Diſſertat. Taurin. Epiſtol. med. phyſ. 2. p. 23. ſeq.* Gregor. Horſt. *Oper. medic. Tom. II. Lib. 7. Obſ. 23. f. m. 334. Tom. III. f. 103. ſeq. 196.* Dan. Sennert. *Prax. med. Lib. I. Part. 2. cap. 16 pag. m. 429. ſeq.* Joh. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. 7. fol. m. 847. ſeqq. 853. ſeqq.* Petr. Foreſt. *Obſerv. Lib. 10. Obſ. 28. fol. m. 350. ſeqq.* Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. pag. m. 848. ſeq. M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 104. p. 132. ſeqq.* Joh. Vict. **Jägerſchmid** *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 105. p. 197. ſeq.* Conrad. Geſner. *de Quadruped. Lib. I. fol. m. 182. ſeq. 191. ſeqq.* et Petr. Borell. *Hiſtor. & Obſ. rarior. Cent. 3. Obſ. 38.* Bernard. Gordan. *Lilii Medicin. Partic. I. cap. 17. p. m. 67. ſeqq.* Lumin. rational. medic. *cap. 21. pag. m. 135. ſeqq.* Joh. Tagault. *Inſtitut. chirurg. Lib. 2. cap. 11.* Paræi *Oper. fol. m. 770. ſeqq.* Aetii *de Re medic. Lib. 6. cap. 24. Oper. Tom. I. fol. m. 251. ſeq.* Hiſt. Academ. reg. Scientiar. Pariſienſ. *An. 1699. p. m. 64. ſeqq. 68. ſeq.* ubi inter alia ratione Curæ ſequentiâ Poupart aſſeruit, fœminam rabidam præmiſsâ venæſectione ad deliquium, per annuum ſpatium ſellæ alligatam, & ſolô pane & aquâ ſuſtentatam ad ſanitatem rediiſſe; Dn. Berger retulit, quòd è pluribus demorſis duo, quibus in fronte vena ſecta fuerat, evaſerint, cæteris morientibus; Et Dn. du Hamel, quod aqua ſalſa vulneri impoſita ſufficiens ſit. Adducebantur quoque exempla eorum, quibus excuſſus fuerat metus aquarum, obruendo ipſos magnâ earum copiâ,



præ-

præcipue viri cujusdam, quem arbori alligatum ducentis aquæ amphoris perfuderant, nullâ aliâ re adhibita. Sed pleniorem historiam non audivimus illâ, quam a Domino Morino accepimus. Virgo viginti annorum â pueruló rabiosó in manu demorsa erat, omniaque exhibebat Rabiei symptomata. Jam sedecim â læsione dies effluxerant, cum demum incidit, eam balneo magno aquæ fluvialis, frigidæ magis, quàm calidæ, solutâ in ei salis quantitate, imittere. Nudam itaque demergebant, iterum extrahebant, idem sæpius repetentes, donec tandem hoc exercitió miserè divexatam, nihilque amplius sibi consciam, in balneo sedentem relinquerent. Illa deinde visâ aqua, cui insidebat, mirata atque demirata est seipsam, quòd aquam sine horrore videre posset. Posthæc morbus ejus jam tantum morbus ordinarius erat. Febris invadebat, cui secundum methodum communem obviam itum. Vomituriebat frequenter & levamen a vomitu sentiebat, subventum igitur naturæ & hac in re. Pluribus adhuc vicibus balneo immissa est, tandemque plenæ sanitati restituta, cùm morbus universalis non ampliùs unô mense durasset &c.

## CAPUT VII.
## DE
# QVÆSTIONIBUS MEDICO-FORENSIBUS.

RESTANT adhuc circa nostram de Salivâ Tractationem Quæstiones medico-legales, ultimô hoc Sialologiæ nostræ Capite proponendæ, & quidem

### QUÆSTIO I.

*An ille, qui Blasphemiam, Homicidium aut aliud grave aut capitale delictum commisit, ex eô fundamentô, quod ante illud patratum facinus â Cane vel aliô animali rabidô demorsus fuerit, defendendus atque â pœnâ ordinariâ liberandus sit?*

1.De



§.1. De variis variorum animalium, ipsiusque hominis, tam irati, quàm rabidi, morsibus indeque exortâ Hydrophobiâ seu Rabie caninâ prolixè hactenus egimus. Cùm verò ab ejusmodi demorsis atque rabidis quandoque varia mala, & ipsa mors, (quæ ab ipsis, absque inductâ rabie, non fuissent expectanda vel metuenda) aliis interdum inferantur, vel alia ejusmodi delicta capitalia committantur, non immeritò quæritur, an in ejusmodi delinquentibus pœna ordinaria locum habeat? Antequam autem ad hanc quæstionem respondeam, monendum mihi videtur, quòd, sicut â quamplurimis delinquentibus, pro declinandâ torturâ vel pœnâ ordinariâ sæpissimè varios morbos gravissimos, v.g. Epilepsiam, Apoplexiam, Vertiginem, Hernias & alios morbos (qvi juxta Paul. Zacch. *Quæst. Med. legal. Lib. 6. Tom. 2. Qv. 6. n. 7. 8. 9. fol. m. 530.* impedimento sunt, ne rei tormento subjici possint) fingi atque simulari experiamur; ita etiam in præsuppositô casu, scilicet in Blasphemiâ, Homicidiô & ejusmodi delictis, quandoque pro excusandô patratô scelere, pariter delinquentes seu incarcerati canis rabidi morsum, sive proximè sive jamdudum antea inflictum, & inde dependentem amentiam, furorem & rabiem simulare soleant, atque mortis indè pœnam indictam declinare tentent; quale exemplum Paulus Ammannus *Prax. Vuln. lethal. Dec. 6. Histor. 9. pag. m. 472.* recenset. *Simulatio morsus canini.*

§.2. Ne itaque in tali Casu vel Medici, quorum judicium atque consilium hôc in passu ordinariè â Magistratu vel etiam judiciis superioribus expeti solet, vel ipsi etiam judices præcipitanter quicquam agant, ante alia, juxta Fortunat. Fidel. *de Relation. med. Lib. 2. Sect. 2. cap. 1. p. m. 203.* advertendum ipsis est, num de propositâ ægritudine satis constet, veraque sint supplicum postulata, an potiùs suspecta res sit ac subesse dolus aliquis possit? *Cautela.*

§.3. Pro indagandâ autem talismodi allegati morsûs veritate, qui modò proximè antegressus, modò etiam jamdudum & quandoque ante plures menses, interdum etiam ante aliquot *Morsus indagandus.*

annos

annos, inflictus venditatur, ante omnia, signa diagnostica, partim â cane mordente, partim â personâ demorsâ, item â testimoniô domesticorum vel adstantium, desumenda, necessaria erunt.

*per signa canis rabidi.* 4. Canis rabidi signa quamplurima ex variis Autoribus collegit Conradus Gesnerus *de Quadruped. fol. m. 196.* Canis, inquiens, rabiosus potum & escam aversatur, torvè & solitò tristiùs intuetur; Corpus ei est strigosum & solitò compressius conspicitur; Largam spumantemque pituitatem naribus & ore projicit, hians quàm maxime anhelat, lingvam exerit, langvidæ ei aures, cauda demissa, incessus segnis ac veluti stupidus: si verò currat, celeriùs solitò currit, idque intempestivè & inæqualiter; siticulosus est, sed potu ferè abstinet; mutus utplurimum ac demens, ita ut ne suos qvidem familiares agnoscat, in omnes passim sine latratu irruit æque feras hominesque, tam familiares, quàm ignotos mordet. Caput ipsi ad terram nutat, lingva exeritur, idque adeò interdnm, ut retrahi non possit: timore plenus est & solitudinem quærit. Oculi rubent, caudam inter femina inserit, raucus est, lingva porrecta tanquam bile colorata. vid. etiam Petr. Forest. *Observ. medic. Lib. 10. fol. m. 351.* Dioscorid. *Lib. 6. cap. 36.* & Petr. Andreas Matthiol. *in eundem loc. fol. m. 1007.* Hæc & alia signa refert etiam Julius Palmarius *de Morf. can. rabid. cap. 1. Tract. de Morb. contag. p. m. 329. seq.* his verbis: Rabidus canis totô corporis habitu & temperamentô immutatur, gracilis & siccus evadit, siticulosus qvidem est, non tamen bibit, plerumque anhelat, oculis rubentibus & inflammatis, horrendô & torvô adspectu, cauda & auribus demissis, apertô ac spumante ore, lingvâ exorta eâque bilis colore infectâ, contractis naribus, è quibus sæpe fluit mucus aliquis. Esculenra & potulenta aversatur, sed aqvam omnium maximè, caput in alterutrum latus inclinat, atque deprimit, tristis & solitarius oberrat, neque dominum agnoscit. In obvios qvosqve sine latratu irruit, & æque feras hominesqve familiares & notos pariter atque ignotos mor-



mordet ac dilaniat, atque in id, quodcunque obvium est, impetum facit. Modò huc atque illuc intempestive ac inordinatè, citraque modum vagatur & discurrit, deinde rursus subitò vel prorsus consistit, vel segnius incedit, Suas etiam morbus hic, pro febris, quæ illi perpetuò comes est, motu exacerbationes habet, atque in remissione mutus ferè & veluti somnolentus existit. Reliqui canes ab eo diffugiunt, eique, si repente fit obviam, cedunt & blandiuntur. vid. etiam Joh. Wallæi *medic. pract. Lib. 2. cap. 2. Oper. med. p. m. 138.* Bernard. Gordon. *Lilii Medicin. Part. 1. cap. 17. p. m. 68.* ubi etiam Canem rabiosum umbram suam allatrare addit. Et juxta Casp. â Reies *Quæst. 61. p. m. 787.* sunt Canis rabidi signa: corpus gracile & squallidum, oculi exerti patentes ac rubentes valde ac multâ obscurâque tenebrositate obducti, crassa & frigida pituita naribus ; larga & spumosa ore provenit, aures molles & in motu sunt, solitarius, declivis, curvato dorsô & quasi ebrius ambulat &c. Chirurgus quidam juratus Parisiensis in Relatione de Morsu Canis rabidi examinando Canem genuina rabiei indicia in eo invenisse dicit: nequicquam bibit, licet potus illi præberetur, & intra tres dies nihil cibi assumsit, â qvibus macer admodum redditus, caudam intra pedes posteriores recondens, tardè incedens, & mox in hoc, mox in alterum latus titubans cernebatur. Adhæc aures illi erant pendulæ, os spumabat, oculi erant fulgidi, vox rauca & debilis, neminem agnoscebat & quicquid illi obvium erat, morsu prehendere attentabat. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. p. m. 850. seq.* vid. etiam Eberh. Gockel. *de Venen. p. m. 81.* Samuel. Hafenreffer. *de Cut. Affect. Lib. 3. cap. 6. pag. m. 440.* Steph. Blancard. *Prax. cap. 12. Oper. med. Tom. 2. pag. m. 241.* Joh. Jac. Waldschm. *Prax. p. m. 1087* Conr. Barthold. Behrens *de Constitut. Rei med. p. m. 14.* Franc. Joel. *Oper. med. Tom. 5 Lib. 2. p. m. 150.* Carol. Musitan. *Chirurg. Tom. III. cap. 30. p. m. 99* Christ. Franc. Paullin. *Cynograph. Sect. IV. cap. II. p. 213.* Baptist. Codronch. *de Hydroph. Lib. I. cap. 14. p. 121. seq.* Casp. Schwenckfeld *Theriotroph. Siles. p. m. 77.* Joh. Coster. *Theor. & Prax. med. Tab. II. p. m. 43.* ubi addit:

addit: Instantis rabiei signum esse, quando Canes sellas, ligna aut quævis alia objecta rodunt aut mordent, sic dignus Dominus Levinus a Nolden olim mihi retulit; quod ubi adstantes animadvertunt, tubercula sub lingvâ istius canis latentia aperiunt, vermibus referta, quibus exemptis, liberari â futurô malô; sin minùs; rabidos evadere asseverabat. Potum, imprimis aquam Canes rabidos siticulosos aversari, hactenus ex Autoribus allegavimus, quibus annectendum, quod Petrus Borellus *Histor. & Observ. rar. Cent. 3. Obs. 38. p. m. 227.* recenset, scilicet, Medicum quendam Parisiensem Canem habuisse morsu alterius rabidi rabidum factum, qui tandem in tantam Hydrophobiam incidit, ut si ipsi aqua tantum admoveretur, imò nocturnis horis, ad terram concideret, sese agitando. Et juxta Martin. Lister. *de Morb. Chronic. Exercitat. de Hydrophob. pag. m. 102.* aliquando jumenti aquas timentis signa hæc sunt, venas omnes habebit extensas, sudabit, suffusis oculis tremorem frendoremque patietur, illidet se parietibus, ex quâ passione converti consvevit in rabiem.

*Signa hominis demorsa.* §. 5. Deinde etiam in ipsis personis â Cane vel aliô animali rabidô demorsis varia signa Autores annotârunt, quæ partim ab ipsô morsu, partim ex aliis symptomatibus desumi solent. Ad explorandum enim, an Canis hominem mordens fuerit rabidus, statim vel proximè post morsum & antequam vulneri Cicatrix inducatur, nonnulli svadent, ut nuces juglandes bene contusæ vel commansæ, vel triticum, per integram noctem canis morsui vel ulceri imponantur & postridie vel post aliquot horas Gallo vel Gallinæ in escam exhibeantur; is vel ea initiô quidem abstinebit: fame autem urgente si devorârit, observetur; nam si canis, qui momordit, non fuerit rabidus, vivet avis, secus sequenti die morietur. Alii panis medullam vulneri affricant, ut emanante sangvine vel sanie imbuatur eamque postmodum aliis canibus offerunt, quam si comederint, pro indicio habetur, Canem non fuisse rabidum; quòd si verò famelicus canis eandem edere vel olfacere recuset, rabie laborâsse dicitur. vid. Conrad. Gesner. *de Quadruped. fol. m. 196.* Quod confirmat etiam Emanuel Kœnig *Regn. anim. Sect. 3. Art. 8. p. 345.* Canem, inquiens, rabidum fuisse inprimis certo dignoscitur, si panis sangvine è vulnere extillante imbutus ab alio cane non comedatur. Et Ambrosius Paræus *Chirurg. Lib. 20. cap. fol. m. 438. seq.* inquit: Hominem â cane rabidô demorsum, per initia non ita facilè est cognoscere, vel hoc maximè nomine, quòd vulnus rabiosi canis dente inflictum, non magis initio ægrum divexat, quàm vulnera quævis alia: contrariâ planè ratione, quàm â cæteris venenatis animalibus inflicta morsu vel puncturâ vulnera: ut quæ statim ab initiô dolorem acutum, summum ardorem, tumorem & aliorum malignorum accidentium congeriem pro veneni specie conjunctam habeant: at non antè rabidi morsus apparet malignitas, quàm venenata vis ad partes nobiles invasione perniciali pervenerit. Cùm tamen suspicio erit ejusmodi vulneris, licebit certam ejus rei scientiam & experientiam nancisci ex intinctô in vulneris saniem pane. Nam si eum famelicus canis negligat, imò aversetur, ac ne olfacere quidem audeat, signum esse putant certum vulneris â rabidô cane inflicti. Addunt alii, si quis panis illud frustum gallinis in escam dederit, morituras eodiem die, quô dovorarint: mihi tamen posterius hoc experientia tentanti non successit: deglutito enim pane illo virulento nequaquam habuerunt deterius; itaque certius arbitror esse prius signum, est enim canum generi odora vis admodum insignis & certa, quâ virus animalis consimilis olfactu facilè deprehendant. vid. etiam Dan. Sennert. *Pract. Lib. I. Part. 2. cap. 16. p. m. 432. sq.* it. Aet. *Oper. Tom. I. Lib. 6. cap. 24. fol. m. 252.* Bapt. Codronch. *de Hydroph. Lib. I. cap. II. p. 90. sqq.* Inqvit

quit etiam Carolus Musitanus *Chirurg. Tom. III. cap. 30. pag. m. 100.* his vulgaribus & vanis experimentis minimè fidendum esse, licet â probatissimis Autoribus adducantur, quâ de re alia indicia sedulò esse perquirenda. Interim idem Autor cum aliis ratione morsûs annotâvit, Canem rabidum semel tantum mordere & morsum non repetere, sed statim, quem momordit, deserere & ad alium properare, ex quô etiam signum morsûs canis rabidi desumi posset.

*Signa in personis demorsis.*

§. 6. Quoad ipsas autem personas demorsas notandum, quòd quia ejusmodi demorsionis vulnus, ob minùs dolorosam & ardentem sensationem, ejusque spontaneam utplurimum, atque subitaneam consolidationem, primô tempore nihil mali inferre videtur, ideoque â quamplurimis ejusdem cura negligitur, plerumque circa trigesimum vel quadragesimum â morsu diem varia rabiei & Hydrophobiæ imminentis vel etiam jam præsentis signa in personis demorsis appareant. Horum plurima congessit Julius Palmarius *de Morsf. Can. rabid. cap. 2. Tr. de Morb. contag. p. m. 332.* Antequam, inquiens, Hydrophobia insiliat, multa illam præcedunt atque prænunciant. Demorsus solitò tristior & cogitabundus est, hominum consvetudinem conspectumque fugit, multa animô fingit & obmurmurat perturbata atque â ratione abhorrentia, eaque ferè tristia obloquitur. Iracundiâ sæpius ardet, somnus deliriis interturbatur, leves quædam extremorum convulsiones ac retractiones ex intervallis fatigant, sitis & oris siccitas molesta est: Vox raucesit, facies rubet, oculi lumen refugiunt & lacrymis nullâ manifestâ causâ madescunt. Hæc igitur cum in demorsis se prodent, hydrophobiam proximam putato. Ejus verò jam factæ hæc signa sunt. Mente capti qvum sint hydrophobiâ prehensi, se suosque ignorant, quô fit, ut modò huc atque illuc, in canis rabiosi morem, impetu ferantur, modò velut somnolenti, stupidi ac langvidi, vel subsistant prorsus, vel lentô gradu incedant: atque horum alii sine ulla furoris intermissione vexântur, alii remissionem habent. Ferè autem exacerbationes recurrunt cum distentione nervorum totiusque corporis rubore, præsertim verò faciei. Solvuntur autem cum frigidiusculô sudore, langvore quodam & virium resolutione. Omnes in exacerbâtionibus adeò furiunt, ut in obvios quosque involent, nisi arctis vinculis cohibeantur. In remissione multi miseriam suam agnoscunt & deplorant. Accessiones autem & sæpius movet & exasperat aquæ conspectus, hactenus ignorata causa, nisi forte eos existimes, quoniam mente non constant, id quod sibi opem ferre potest non agnoscere, ideoque aquam dehorrescere, & ab ejus potu abstinere, hincque fieri, ut ob febrem, quâ intus uruntur, marescant & convellantur, miserrimoque tandem mortis genere intereant. Non minus illos discruciat speculi alteriusve cujuslibet rei pellucidæ intuitus. Hæc enim omnia ingentissimis clamoribus, ac veluti Canum latratu vociferantes, è conspectu suo auferri postulant, quod ni confestim feceris, tremunt, sudant, deficiunt animo, delirant, miròque pavore concutiuntur. &c. Caroli Musitani verba de his signis *loc. all.* sic sonant: Consolidatô vulnere demorsus plus solito & absque causâ sibi cognitâ contristatur & paulatim præter morem cogitabundus evadit, melancholicis se cogitationibus profundit, quæ illi insolitæ sunt, somnia somni tempore cudit de ferocibus canibus se invadentibus, pavidisqve cum illis luctamentis, quibus subinde ad implorandum auxilium pavore expergiscitur & interrumpitur somnus: exinde melancholicæ phantasiæ sensim increscunt, donec tandem turbatâ mente obscura loca & solitudinem diligat, lucem hominumqve consortium perosus, secumque solus submurmurans alloqventes ferinô quodam aspectu intuetur. Spumat, rubet facie & oculis, febre tentatur & extremarum partium convulsione. Quidam Canum more, si â canibus morsi fuerint, latrant, â lupis, ululant &c. & obvios quosque impetunt, & quidem præter voluntatem. Aliqui delirant, aliqui verò ad extremum usque spiritum mente constant. Postremò

eò devenit, quod eſt commune omnibus, ut tales aquam omnemque potulentam materiam, imò ejusdem nomen & ſonitum expaveſcant, quod eſt certisſimum mortis & inexpugnabilis veneni indicium, & tamen vehementiori excruciantur ſiti. Allatâ itaque in ejus conſpectum aquâ, ingentisſimis clamoribus & Canum latratu adſtantes terret. Quod ſi diutius ante eum ipſa retineatur aqua, tremit, ſudat, animo deficit pavoreque concutitur, ac ſi in ignem illicò ſe projiciendum cerneret. Juxta Bernardi Gordonii *Lilii Medicin. Part. I. cap. 17. p. m. 68.* Signa, quòd impresſio venenoſitatis ſit facta in corpore, ſunt, quoniam patiens habet ſomnia timoroſa & terribilia, eſtque ſtupidus, ſentiens puncturas & mordicationes in corpore, habet ſingultum, ſitim & ſiccitatem oris, permiſtionem mentis & abhorret aquam, & moritur.

*alia.* §. 7. Præter adducta ſigna addit Ambroſius Paræus *l. a. f. 439.* quòd demorſi canes cogitent videreque videantur, imò & latrare ac mordere Canum more geſtiant; credit etiam dictus Autor, quod virulentus ille humor in ſibi ſimilem naturam omnes eorum humores totumque corpus demutaverit, adeò, ut ſe quoque canes eſſe credant: ex quô vox illis ranceſcat, ex multo ad latrandum conatu decoris omnis impudentium canum more obliti, magno adſtantium horrore. Cæterum aquam timent refugiuntque ſpecula, quod in his videre canes videantur, á quibus valde ſibi timent, quô nomine aquam politaque omnia, & lucida, quæ ſpeculi uſum præſtant, horrent: adeò ut ſe tum humi ſternant, quaſi terra ſe occluſuri, ne iterum morſu rabidò impetantur. &c. Sic Johannes Hublinius & ejus Conjux poſt Canis rabidi morſum binis diverſis lectis alligati melancholicò deliriò laborabant, ſibi imaginando, quod canes rabidos ob oculos habeant ſe devoraturos, & quandoque horribiliter exclamabant. Omnes, qui illos viſitabant, truculentò vultu inſpiciebant, cumprimis, ſi illis aliquid de cibis liquidis & potulentis porrigebatur, ſeque ita flectebant & rotabant, ut ſufficienter deſcribi non poſſet, uti ex Medici



Medici & Chirurgi Pariſienſium Atteſtatô refert Mich. Bernh. Valentini *Chirurg. p. m. 849.* vid. etiam Felic. Plater. *Prax. Med. Tom. I. Cap. 3. p. m. 86.* Conrad. Gesner. *l. a.* Joh. Gorræi *Definit. fol. m. 336. b.* Juxta Sam. Hafenreffer. *de Cut. Affect. Lib. 3. cap. 4. p. m. 425.* Hanc venenoſitatem poſt hominis irati morſum venenatum manifeſtant phlegmonis dolor inſequensque lividus tumor, quem morſus inducere ſolet; nervis quoque communicata illa incaleſcentia, humores fundendo, tremere facit; unde & pulſus redduntur celeriores urinæque ſunt magis tinctæ. Mala hæc altiùs ſi ſerpant, ipſum Cor tandem tentant, Lipothymias, quandoque leviores, quandoque graviores inducunt, Paralyſin quin etiam promovent, in quibusdam ipſum morbum Herculeum. Poſt morſum autem Canis rabidi *c. 6. p. 441.* præter alia ſymptomata annotantur motus membrorum involuntarius eorumque rubor, nauſea, ſpermatis emisſio involuntaria, urinæ retentio, proclivitas ad mordendum, tremor, in terram prolapſus volutationisque delectatio, denique ſyncope, & ſudor frigidus. vid. etiam Attil. Bulget. *de Morb. venenat. & venen. cap. 6. p. m. 118.* Pet. Andr. Matthiol. *in Dioſcorid. Lib. 6. cap. 36.. fol. m. 1007. ſeq.* Chriſtoph. de Vega *Prognoſt. Hippocrat. Lib. 3. Progn. 22. Op. f. m. 878.* Jodoc. Lomm. *Obſ. med. Lib. 2. p. m. 78. ſeq.*

§. 8. Secundum verba Hieron. Fracaſt. *de Morb. contagioſ. Lib. 2. cap. 10. p. m. 171.* primò poſt morſum tempore nec febris ulla ſentitur, nec ullum aliud malum, neſciente ægrô, quanta pernicies lateat, quam mox tum ferè percipit, quum ea ad Cor pertingit; quò ubi pervenit, incredibili cruciatu hominem affligit, Cor & præcordia vellicantur, æger nec ſtare nec quieſcere poteſt, ſed more furentis huc illuc agitur, manibus corpus dilacerat, ſitit immensè, ſed illud maximum incommodum accedit, quòd & aquam & liquida omnia adeo reformidat æger, utpotiùs emori eligat, quàm bibere, aut ad aquam deduci, tum verò & alios ipſi mordent, ſpumat os, oculi torvi aſpectu ſunt, ac demum fatigati vitam miſerabiliter efflant. Ipſisſima hæc verba extant etiam apud Johannem Fer- *Signa rabiei incipientis.*

Fernelium *de Morb. Contag. Lib. 2. cap. 14. p. m. 508.* Danieli Sennerto *Pract. Lib. 1. Part. 2. cap. 16. p. m. 433.* Signa incipientis rabiei sunt anxietas & iracundia sine ratione, ventriculi vellicatio & gravitas, & querela de aëre inclementiore & quasi austrinô, etsi serenus & mitis sit, corporis gravitas & impotentia ad omnes actiones, vigiliæ & somnus perturbatus, tumor sine causa, parum bibendi desiderium contra morem. Ægri secum loqvuntur & murmurant, lucem ac luminum accensionem etiam de die optant. In parte olim vulneratâ & commorsâ, etsi ulcus jamdiu fuerit consolidatum, dolor quidam percipitur, ac versus caput tendit; quod cùm apprehenderit, quædam vertigo excitatur, ut æger rectè progredi non possit; & hæc jam instantis rabiei signa sunt. Ubi verò jam facta & confirmata est rabies, accidit membrorum quædam veluti distensio, pandiculationi similis, sed non continua, corporis & faciei rubor; ægri sunt anxii, spumant, oculos torvos & aspectu horribiles habent, in proximos exspuunt, quidam more canum, si â canibus morsi fuerint, latrant, & obvios quosque dentibus impetunt, & quidem præter voluntatem. Narrat etiam Gentilis, adolescentem quendam rabiosum matrem hortatum fuisse, ne sibi propinquaret; siquidem se continere non poterat, quin appropinquantes morsu invaderet. vid. etiam Franc. Hildesheim *Spicileg. 2. p. m. 197. seqq.* Paul. Æginet. *Enchirid. med. Lib. 5. cap. 3. p. m. 393.* Franc. Joelis *Oper. med. Tom. V. Lib. 2. p. m. 152.* Gvil. Fabric. Hild. *Obs. Chirurg. Cent. 1. Obs. 86. p. m. 100. seq.* Petr. Sal. Divers. *de Affect. particular. cap. 19. p. 365. seq.* Joh. Beverw. Schatz der Ungesundheit *Part. 2. cap. 9. fol. m. 154.* Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. II. fol. 972.* ubi inter cætera inquit: quidam latrant instar canum, si â cane rabidô morsi sunt; collum & fauces ringunt, & si â cane sit, obviam factos invadunt, & dentibus impetunt; sin â fele, unguibus lacerare tentant, &c. G. W. Wedel. *Disp. de Hydrophob. cap. 5. p. 27.* Steph. Blancard. *Oper. med. Tom. I. pag. m. 429. & Tom. II. p. 240.* ubi addit: mirum & observatione dignum, quod piscatores vel nautæ narrant Rabie hydrophobica laboran-

boran-



borantes semper circa maris fluxum magis furere atque mordendo sævire, at in maris refluxu omnia fieri mitiora, imò & vehementer furere, quò sint mari propinquiores. Et quod magis mirandum, quando, ægrô insciô, in cubili clam cantharus cerevisiæ plenus abscondatur, nihilominus tamen symptomata magis exacerbari.

§. 9. Varia etiam symptomata & signa recensent Observatores, v. g. *Observationes.* Adolescens quidam annos natus plus minus septendecim trigesimô â morsu die cœpit de brachii sinistri, in cujus digitô annulari â Cane rabido commorsus fuerat, dolore conqueri, & aquam metuere, postero die vinum, cerevisiam & omnia liquida ac frigida abhorruit, tertiô die nec sonitum, imò nec nomen liquidorum ferre potens insigniter febricitavit &c. vid. Theodor. Craanen *Observ. in Henr. Regii Prax. med. Obs. 17. p. m. 152.* Filius Lanii cujusdam Basiliensis â rabidô Cane in brachiô dextro ac etiam in dorsô sub scapulis vulneratus, & a carnifice malè tractatus, quintâ post vulnus utrumque acceptum, quorum alterum jam Cicatrice obductum erat, hebdomadâ, in Hydrophobiam incidit. Mens ipsi & sana ratio constabat, sed respiratio, paulatim adauctâ pectoris inflammatione, magis magisque impedita fuit, ita ut tertio abhinc die inter miserrimas anxietates suffocaretur, teste Theodoro Zwingero *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obs. 104. p. 141.* A morsu felis rabidi Bracteator quidam Fridericum Deckkerum torvô vultu aspiciens de summâ melancholiâ, anxietate præcordiorum gravissimâ ac intolerabili, respiratione difficillimâ, lipothymiâ, inquietudine, vigiliis, insomniis subinde horrendis, pavoribus, capitis dolore gravissimô, ardore summô sitique maximâ ac febri ardente &c. conquerebatur & maximè dolendum sibi esse, quòd bibere nequiret. Præterea oculos flammeos, lingvam aridam, pulsum valde frequentem & parvum habebat, instarque Canis defatigati ore patulô hiabat. Demum Dekkerus consultum duxit in mare conjicere hominem, statimque robustioribus ex vicinis aliisque hominibus

 bus

bus mandatum curru insidentem ad mare vultu aversò vehi jussit, tum verò furibundum, & quò propius mare accederet, eò majore furore correptum referebant, quorum custodiæ fuerat mandatus &c. juxta verba dicti Friderici Deckkeri *Exercitat. pract. cap. 7. pag. m. 563.* Refert etiam Carolus Musitanus *Chirurg. Tom. 3. cap. 30. p. m. 105.* quid sibi acciderit: inquiens, domi nostræ Catellus Venatorius villo-alebatur, inquiens, domi nostræ Catellus Venatorius villosus, â quô per jocum parùm irritatô demorsi fuimus, ita morsus ille nostram perturbavit imaginationem, ut ferè semper â demorsionis horâ nobiscum canem profundè cogitaverimus, tandem eò devenit demens & fortis Canis apprehensio, quæ circa phantasiam & ferè ante oculos se obvolvebat, ut in delirium rabiosum incidissemus, ni ratio, quæ â seminio rabidô immunis erat, superâsset actionem. Porrò Oenulcus quidam Cautstadiensis annorum quinquaginta quatuor, Vir robustus, morsu petitur in Carpô manûs sinistræ, Cute pollicem lato vulnere fissâ, & in pollice manûs dextræ, â Cane ante aliquot dies ab aliô rabiosô demorsô. Bimestre hic transegit absque ægritudine, postea intumescere cæpit ac dolere primum sinistra manus, postmodum dextra in ipsô locô vulneris olim accepti, abhinc dolor sese extendit versus præcordia & infimum ventrem. Æger sumptâ Theriacâ sudorem provocavit cum aliquali juvamine, vinum tamen aversari cæpit per aliquot dies. Sumsit purgans â quodam Chirurgô propinatum & subsequente die gravissimis corripitur torminibus, anxietatibus præcordiorum & subinde deliriô, absque multâ evacuatione. Alterô die extremâ rabie corripitur, omnes obvios morsu, sputo, dirisque minis adoriens, ut a sex robustis viris in lectô vix detineri potuerit. Sæpius intervalla dilucida nâctus monitis adstantium faciles præbuit aures, & subinde rogavit, ut omnes cujuslibet sortis mulieres, imò liberi quoque sui foràs exigerentur, ne hos, tanquam de sangvine suo ortum ducentes, discerpere cogeretur. Tandem post perpetuas anxietates, frigidum sudorem largissimum & deliria frequentissima absque motibus convulsivis demortuus est. Cadaver nullibi livorem exhibuit & brevi post mortem insignem fœtorem spiravit. vid. Rosin. Lentil. *Iatromnemat. cap. 8. p. m. 50. seqq.* Et *p. 28.* refert idem Autor, quòd Medicus Francofurtensis Guckelinus in Juvene octodecim annorum, cujus digitorum apicibus, ante tres menses, aliquot leviora vulnuscula mordendô Canis inflixerat, signa Hydrophobiæ pathognomica deprehendit, & quamvis hic sitiens bibere vellet, cyathusque aquæ fontanæ ad ejus jussum ipsi porrigeretur, tanta erat anxietas, horror, membrorum jactitatio, concussio colli, oculorumq; quadantenus convulsio, ut potui ne labiis degustando multò minùs deglutiendo daretur facultas. Periculum etiam cum aliis liqvidis fecit Guckelinus, jusculô nempe, & imprimis lacte, cum micâ panis similaginei coctô, sed idem ipsum mansit fatum, è longinqvô enim visa, & ad vocem audita, ut apportarentur, exhorrescebat, omnibus precibus contendens, ut ab ejus aspectu hæc ipsa, quæ quidem appeteret, deglutire tamen non posset, potulenta removerentur. Id tandem effecit Medicus, ut particulam qvandam exteriorem & crassiorem panis ejus similaginei, lacti incoctam, avidè qvidem ori ingereret, difficulter tamen & non sine anxietate deglutient, qvod & cum aliqvot pyri maliqve frustis factum, indiciô, liqvida solùm, non æqvè solida exhorrruisse. Hæc ipsa symptomata experiebatur quoque, quando vel levissimus aer frigidus ipsius Corpus circumstabat. Cor palpitabat continuè, pulsus intermittens magis quam celer, nulla vel exigua virium dejectio, nec deprehendi poterat Calor febrilis, non Cephalalgia; torvum equidem videbat, oculi verò non rubebant, mente sibi optimè constans, demum præter opinionem adstantium placidissimè, menteque integrâ obiit. vid. etiam Rosini Lentilii *Dissertat. de Hydrophob. X. 5. seq.* Plura ejusmodi & alia signa & symptomata â Cane vel aliô animali demorsorum, ex plurimis suprà allegatis Observationibus peti vel evolvi

evolvi possunt; quibus tantummodo ratione Hydrophobiæ annectere licet, quod Martinus Lister *de Morb. Chron. p. m.112. seq.* de quodam hydrophobô refert, cui aliquoties aqua est oblata, sed frustra, quique Listerum magnopere rogavit, ut non amplius ei molestus esse velit, ut saltem quietè mori sineret, adeò aqua ei terribilis, ut nil supra. Multa autem difficultate hominem hunc vestitum dictus Medicus persvasit, ut se in faciem inclinaret, lectoque incumbentem super ventrem prosterneret, pectore tamen & vultu in terram ultra lectum liberè deorsum prospiciente: nam ipsi verisimile esse videbatur, ut hoc Corporis positu (scilicet caninô, aut quadrupedum more, quàm erectiore humanoque) facilius biberet. Ita Cerevisiæ tenuioris urnam capacem ipsius ori placidè subjici curavit, quam protinus, ut aspiceret, infinitô gaudiô amplexus est, & ejus odore se admodum refici dicit, potionemque jam cum insigni voluptate vidit, seque minimè dubitare, quin totam urnam siccare possit, affirmavit; & qui jam tantum non moribundus videbatur, jocosè locutus est, & cum Uxore & necessariis ejus multa lepidè & jucundè confabulatus est; inventionem Medici mirificè laudavit, ipsique gratias quam maximas ex animo dedit. &c. Caput autem versus cerevisiam maximâ festinatione impetuque movit, sed frustra, nam quoties labia aperuit, stomachus vehementer offensus est: lingvam jam exeruit, ac si lamberet; sed cùm vel summô ejus apice cerevisiam tangere contigit, territus resilit; bibendi tamen vanâ imagine usque delectatus est, amphoramque è conspectu ejus subducere ancillam sinere noluit, & quoties eam parum & leniter subtrahere conata est, odorem secutus est naribus, canum more, follicans. Diu & multum sic frustra fatigatus se jam plurimum offendi dixit odore cerevisiæ tenuioris, scilicet nimium vapidô & langvidô; idque sibi, ne biberet, impedimento esse; Itaque alam (fortiorem cerevisiam Anglis dictam) petiit; atque illa ex votô dictô citiùs oblata est; sed post infinitos conatus & lingvam millies, caninô more, exertam, neque ex eâ vel primis labiis gustare potuit. Atque hac positione modò ventri incumbens, modò manibus & genubus innixus, integrâ minimùm horâ persistebat, (Tantalum agens) at omninò citra potionem. Deinceps tenuis fistulæ, è pennis coagmentatis confectæ, alterum caput ejus ori, atque alterum cerevisiæ immisit Medicus, sed illò siphone uti non potuit. &c. Plura vid. ibidem; item Marcell. Donat. *de medic. Histor. mirabil. Lib. 6. cap. 1. p.594. seq. M. N. C. Dec. III. An. 2. Obs. 104. p. 132. seq.* Mart. Lister. *de Morb. Chronic. p.103.* Theoph. Bonet. Medicin. Septentr. *Part. I. Lib. 1. Sect. 20. fol. m. 207.* Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. II. fol. m. 971.* Quandoque etiam accidit, ut si Hydrophobiâ vel Hygrophobiâ laborantes aquas & similes liquidas potiones deglutire tentent, naribus iterum efferatur ingestum illuc resiliens & regurgitans, vel ægri strangulationis metum incurrant, uti in puerô se notâsse scribit Georgius Wolffgangus Wedelius *Patholog. medic. dogmat. Sect. 3. cap. 9. p. m. 605.*



§. 10. Quod si itaque, ut ad Quæstionem nostram redeamus, proximè ante vel post commissum aliquod homicidium, blasphemiam vel aliud quoddam grave aut capitale delictum, in personâ delinquente aliquot vel pleraque ex hactenus adductis signis, imprimis ipsa rabies, adhuc observanda occurrant aut deprehendantur, atque insuper de Canis vel aliûs animalis rabidi, sive adhuc viventis, sive jam occisi, inflictô morsû, â personis fide dignis secundum hactenus adducta rabidi canis signa testimonium deponatur; tunc sanè hominem illum delinquentem ejusmodi facinus non liberâ voluntate patrâsse, sed â phantasiâ corruptâ & depravatâ seu rabie graduali vel etiam perfectâ, per morsum Canis rabidi communicatâ, ad tale facinus impulsum fuisse; ideoque etiam tanquam sanæ rationis non compotem, â pœnâ ordinariâ, cum aliis insanis, utique absolvendum esse, indubitatò exinde colligi seu concludi poterit. *Responsio ad quæstionem.*

*Hydrophobia & Rabies quomodo differant?*

§. 11. Gradualis autem Rabiei ideò mentionem feci, quod, quamvis Hydrophobia & Rabies canina utplurimum pro Synonymis habeantur, nonnulli tamen Autores non immeritò illam ab hâc magnopere discernant, dum in Rabie equidem ægrotos cum furore delirare concedunt, in Hydrophobiâ autem ſanam quandoque rationem adhuc conſtare defendunt; ut ita Hydrophobia absque Rabie ſæpius, nunquam verò Rabies canina ſine Hydrophobiâ exiſtere poſſit. Hinc etiam, juxta Theodorum Zwingerum, hydrophobus qui eſt, commodè adhuc ratiocinatur, & non niſi invitus plures membrorum motûs patitur; membra ipſius citra animæ voluntatem, velut in Epilepſiâ aut rigore febrili, moventur, tremunt & ad conſpectum liquidorum, vel ad auræ liberioris admisſionem ſuccutiuntur. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 104. Schol. pag. m. 130.* ubi idem Autor exemplum hydrophobi adducit, qui interrogatus, cur non quieti ſua tradere membra ſuosque artûs ſtuderet. ſtatim reſpondit, ſe non poſſe, quantumcunque velit & tentet, continere artûs, ſibi invito contingere omnes illos motus. Qui verò Rabie laborat, protinus ſecundum eundem Autorem rationis eſt expers, quique adeò non delirat ſaltem & furibundas actiones committit, ſed & inconditos ſermones & ejulatûs vel clamores horrendos edit, adſtantes etiam ſine discrimine adoritur, morſibusque cum furore impetit. Quod confirmant etiam exempla, imprimis de Hydrophobiâ, v. g. in fœminâ, cujus ſupra ex Eberhard. Gockel. *Gallicin. Deciſ. 2. Obſervat. 9. pag. m. 687.* meminimus, hæc ſcilicet poſt morſum nigri felis rabidi tantam incurrebat Hydrophobiam, ut non modò omnia liquida, Juſcula, Cereviſiam, Vinum &c. ſummô cum horrore averſaretur neque nudum eorum nomen tolerare poſſet, ſed etiam ſummâ cum inquietudine, rectâ tamen ratione pollens, Corpus hinc inde convulſivis motibus quatiens & ejulans decederet. Item in bajulo, â felis rabioſi morſu hydrophobò & variis ſymptomatibus correptô, juxta Anton. de Heide *Obſ. 52. p. m. 120.* mens ad mortem usque conſtabat; Ut de Hydrophobiæ poſt rabidi canis morſum exortæ, cum mentis & rationis præſentiâ, exemplis, ex ſupra dictis repetendis, hoc loco taceamus. Rationem, cur Hydrophobia non ſemper cum Rabie exiſtat & conjungatur, Theodorus Zwingerus *l. a. pag.* 137. hanc reddit: ſi venenum minus potenter & copiosè in laticem ſpirituum fuit admiſſum, Hydrophobia ſola producitur: ſi autem æque ſpirituum ac maſſæ ſangvineæ rivos ſubiit & in utroque latice turbas, excitavit, tunc & Hydrophobia & Rabies ſimul junguntur.



*P. Salii Diverſi ſententia.*

§. 12. Porrò, ſicuti ſecundum allegatum & alios Autores Rabies canina nunquam ſine Hydrophobia exiſtit vel annotatur, Hydrophobia verò non ſemper Rabiem habet comitem, ita etiam in ipsâ Rabie nonnulli nullum agnoſcunt delirium, quod tamen alii defendunt. Ita enim Petrus Salius Diverſus *de Affect. particular. cap. 19. pag. m. 357.* ſcribit: An in Rabie ſit delirium, hoc non rationibus, ſed particularibus experimentis eſt declarandum. Non poſſum quidem ego negare, me nonnullos vidiſſe rabientes, qui non tantum delirarent, ſed etiam furerent: plurimos tamen ſcio, mente ſemper, usque ad ultimam vitæ horam, conſtitiſſe, cujus meritò npn poſſum delirium hujus morbi pathognomicum ſignum conſtituere. Quod ſi â viris gravisſimis aliter aſſeratur, hoc fuit, vel quia hujus rei experimentum ipſi non habuere, vel quia tantummodo delirantes rabidi ipſis curandos ſe obtulerunt. Ego autem teſtor, me vidiſſe & illos, in quibus nulla unquam vel minima fuit delirii ſuſpicio: imo perſvaſi ad bibendum dicebant: Claudatis mihi oculos ne videam, & omni conatu conjicite ad intra os aquam & omnia alia, quæ in potu prodeſſe poſſunt: cùmque dentibus fremerent, moreque canum alios morſu petere ob virus rabidum cogerentur, precabantur adſtantes, ut ſe validè continerent, ne è manibus eorum ad aliquem mordendum exilirent, eosdemque admonebant, ut ad os eorum manum vel aliam corporis

corporis partem non admoverent, ne ex ea propinquitate cogerentur, eos dentibus petere. Hos eosdem propriam miseriam & calamitatem lamentari novi, conquerentes, morbi principium non valide oppugnatum fuisse, seque in omnibus Deo maximâ cum commiseratione commendantes, ab eo peccatorum veniam & vitam æternam implorantes audivi: Hæc & similia vidi, quibus experimentis plenâ fide testificor, delirium necessariò rabiem non sequi.

*aliis displicet,* §. 13. Huic tamen Petri Salii Diversi sententiæ alii, tam Medici, quàm Juris consulti, contradicunt, hydrophobos & rabidos insanis annumerantes, quorum sententias cum propriis rationibus collegit Paulus Zacchias *Quæst. med. legal. Lib. 2. Tit. 1. Qu. 17. fol. m. 191. seq.* maximè, inquiens, controversum est, num necessariò cum rabie adjunctum sit delirium: Nam Medici omnes ex unâ parte esse videntur, qui in affirmativam sententiam inclinant. Quibusdam enim Rabies nihil est, nisi alienatio mentis; alii, ex Rufi sententiâ, Melancholiæ speciem hunc morbum faciunt; alii rabidos inter maniacos numerant; & Baccius hos ægrotos ad instar cæterorum melancholicorum imaginativam primùm & ratiocinatricem læsam habere virtutem manifestè docet; imò tandem excitatâ ex hoc affectu febre, hominem furore ac maniâ deprehendi narrat, quin & sub mortem oblivione & sui, & domesticorum, & consequenter rerum omnium detineri & furibundos denique obire concludit, huncque dicit esse insaniæ affectum, quia imaginationem & bonum sensum depravat; ex quô fit, ut ægrotantes indiscriminatim omnes, notos scilicet & ignotos obvios quosque impetant. Quamvis etiam Eustachius Rudius hydrophobos mente constare voluerit, ipse tamen sibi non constat: nam eosdem etiam melancholiæ morbô detineri dicit, & nunc mente constare, modò contrarium asseverat. Et ipsi Paulo Zacchiæ modò adducta Petri Salii Diversi opinio minùs probatur; Inquit enim, licet non omnes rabientes furiant, & ex eis nonnulli sint, qui præter aquæ timorem, in quô irrationabiliter



liter peccant, in aliis qvibusvis optimè discurrant, ut in exemplis allatis satis liqvet, tamen hos ipsos qvoqve insaniisse manifestum est, dum aliis hic morbus species quædam Melancholiæ est, ex quâ ægrotantes aquam timent, quemadmodum ex reliquis melancholicis alii aliam rem timent, & circa particulare quoddam tantummodò delirant, circa cætera verò sanâ mente se esse & factis & verbis ostentantes. Manifestissimum verò delirii signum est in omnibus, nullô exceptô, quòd etsi inextinguibilem sitim patiantur, aquam aut potum non exigunt. Quinimò plures rabientes non modò eâ melancholiâ afficiuntur, quia aquam pertimescunt, sed ita læsam rationem habent, ut se in eâ canes conversos esse sibi persvadeant; ideò enim quoscunque obvios mordent, ideò ut canes latrant et ululant, & ideò per terram se volutant. Deinde Paul. Zacchiæ illud satis est ad hoc, ut hydrophobi inter insanos connumerentur, quòd absque ratione aquam & liquida omnia timeant, cùm ea timere non debeant, imò potiùs avidissimè expetere, ob sitis urgentiam. vid. etiam Zacut. Lusit. *de Medic. princip. Histor. Lib. 6. Histor. 12. f. 840,* &c.

§. 14. Non autem irrationabiliter sed rationabiliter rabientes liquida timere, variis rationibus, imprimis ab abominatione seu aversatione & impeditâ liquida deglutiendi vi desumptis defendit allegatus Petrus Salius Diversus *l. c. p. 356. sq.* statuens, totam eorum gulam materiâ pituitosâ, crudâ, viscidâ & virulentâ usque ad fauces occupari, non tamen omninò occludi, â quâ elevetur & resudet spuma ad os rabientium; hinc ipsos timere extingui & suffocari ab assumptis potulentis, ideoque tales rabidos homines liquida omnia abhorrere, non ratione vani timoris, nec meritô alicujus falsæ imaginationis, sed quia verè & sensibiliter ab his non tantùm assumptis, sed etiam oblatis interius admodum lædantur & crucientur; Imò sequentibus verbis pergit Autor: ut rem concludam, vel in rabie non erit timor aquæ; cùm aquam non timeant rabidi homines, imò valde sitientes eam admodum desiderent: quam *quomodo rabientes liquida timeant*

 tamen

tamen, & unà cum eâ omnia liquida tantummodò aversantur, ob læsionem in internis partibus, ab eis assumptis vel oblatis excitatam: quam læsionem si sensibiliter, eamque validam, non persentirent, aquam & omnia liquida, ob præsentem sitim, libentissimè admitterent. Vel, si in rabie aliquis aquæ ponendus est timor, quem succedere ob læsionem, non ab aquam, admitterem, saltem irrationalis, ut omnes sensêre, non erit dicendus, imò maximè rationalis erit: cùm enim ab eâ, vel assumptâ vel oblatâ, persentiant se admodum cruciari eamque ipsi adversari animadvertant, si eam timent, jure maximâque cum ratione timent, non secus ac sanus homo res virosas & abominabiles noxam ab eis inferendam animadvertens timeat aversetur que, cum ei oblatæ fuerint. Item Mead Hydrophobiam non ab errore phantasiæ, sed a dolore intolerabili derivat, quem omnis generis liquida in gulâ stomachoque ob inflammationem summè sensili excitent, eumque esse hujus doloris gradum, ut in Convulsiones ægrum conjiciat, usumque rationis ipsi adimat. v. El. Camerar. *Dissertat. 2. p. m. 23.*

*alia sententia.* §. 15. Huic vero Mead sententiæ contradicit dictus Camerarius *l. a.* quia adhuc in quæstione sit, an illa faucium inflammatio causa sit, an effectus Hydrophobiæ, orta demum â siccitate faucium. In principiò enim illa inflammatio non statim adest, nec proin Hydrophobiæ causa. Deinde adducit exempla hydrophobiæ, in quâ nullus faucium dolor, sed sola mentis â liquidô aversio observabatur. Deinde etiam hæc Salii Diversi argumenta contra depravatam rationem seu insaniam non sufficiunt. Priori enim rationi, de pituitosâ, crudâ & viscidâ gulam & fauces hydrophoborum occupante ferèque penitus occludente, hincque deglutitionem impediente noxamque inferente materiâ rabidorum sectiones, quarum jam supra multas adduximus, contradicunt; in quibus quippe exemplis unicum tantum Oesophagi inflammati, & aliud valde angusti & quasi constricti Oesophagi, nullum verò viscidæ faucesque implentis pituitæ, bene tamen alia varia signa observata allegavimus. Deinde rationali aquæ timori, seu quòd hydrophobi non ob aquam, sed ob inde timendam noxam, & ita sanâ cum ratione, omnia liquida aversentur, contradicit Paulus Zacch. *l. a. fol.* 192. quod si Salius, inquiens, velit hydrophobos rationabiliter liquida timere, quia ab eis nocumentum percipiant, ex quò capite videtur eorum timor absque ratione non esse: respondeo, vel hoc falsum esse, quia â copiosò aquæ potu & â balneis sanitatem acquirunt, uti ex Philosophi cujusdam â Cane rabidò commorsi atque per aquæ potum sanati exemplô & quam plurimis aliis palam fit. Vel etiam si cum ratione timeant, insanire tamen eos dixerim, quod neque timoris causa ipsis nota sit, neque eam unquam causam reddunt, nam etiam talia non experti timent. Quod si causam timoris in illud rejicias, quia canem, â quô commorsi sunt in aquâ videant, vel, ut aliis placet, catulorum intestina ac viscera, & idcircò ab eâ abhorreant, dico quòd vel ipsi mente non constant, si veritatem habet, vel quòd simpliciter id verum non est, ut multi voluerunt. Ad Philosophi verò illius allatum exemplum dico, fortasse in illô tunc primùm advenisse aquæ metum: unde non mirum, si adhuc ratio non omnino corruerat, ita ut facilè cognoscere potuerit, canis visionem in balneô esse imaginationis delusionem, quamobrem intrepidè bibit, & sanatus est. De hoc verò Philosophô, cujus meminit Zacchias, ita scribit Aetius *de Remed. L. 6. c. 24. f. m.* 251. Philosophus quidam morsus a cane rabidô & egregiâ virtute animi passioni resistens, dum sibi canis imago appareret in balneô (illi enim quoque, sicuti & reliquis eodem morbo affectis apparebat) diu intra se meditatus, & quid inquit commune est cani cum balneo? quod effatus balneum intravit & imperterritus bibit, atq; ita morbum superavit, & sanitatem adeptus est. Ex quâ relatione videmus, Philosophum hunc juxta Aetium quadam animi passione seu phantasia depravatâ laboràsse, quod etiam de reliquis rabientibus catulosque eorumve intestina in aqua videre imaginantibus judicandum est; hinc etiam G. W. Wedel. *Disp. de Hydroph. Cap. 1. p. 4.* Hydrophobiam strictè & propriè

propriè dictam vocat timorem aquæ, eumque vehementem, & ſine ratione, morboſum a morſu venenato inductum. Imò annotatur in hydrophobis nonnunquam timor, non modò ad aquæ viſum, ſonitum & nomen, ſed etiam fomentationis olei timorem inter ſigna præſentis Hydrophobiæ ponit Cælius Aurelianus *de Morb. acut. Lib. 3. cap. 11. p. m. 220.* â quâ tamen Olei fomentatione nullum hydrophobo nocumentum ratione faucium vel deglutitionis eſt metuendum. Modo allegatus Autor quoque memorat, fuiſſe hydrophobum Medicum, qui, cùm prænoſceret periculum, ſuppliciter ingredientes exoraret, & cùm lacrymarum fluore guttis deſtillantibus tangeretur, exiliens veſtem conſciderit; Item, Soranum infantem hydrophobum vidiſſe, ubera matris expaveſcentem. Et quamvis dictus Autor Hydrophobiam non animæ, ſed corporis paſſionem eſſe *cap. 13. p. m. 223. ſeq.* defendat, concedit tamen, candem etiam animæ occupare qualitatem, tanquam in furioſis vel melancholicis. Si etiam Phantaſia in Hydrophobis non eſſet depravata, ſed vitium in deglutitione hæreret, cur quæſo tantæ liquidorum averſionis ad quæſita non reddunt cauſam, ſe ſcilicet ob faucium vel œſophagi vitium deglutire non poſſe; ſiquidem dantur & alii ægrotantes, qui absque Hydrophobiâ, liquida vel planè non, vel difficulter nec ſine dolore, & quidem ob vitium muſculorum deglutitioni inſervientium, meliùs tamen ſolidiora deglutire poſſunt; cum pariter quoque hydrophobi ſolidiora aſſumere obſerventur, v. g. ægrotus ille, cujus meminit Martinus Liſter *de Morb. Chronic. in ſpecie de Hydrophob. pag. m. 108. ſeq.* Diaſcordium â Pharmacopolâ oblatum aſſumſit, aquam verò theriacalem aſſumere non potuit; ſed cum ori ejus poculum appropinquaret, inhorruit tremuitque, ac magis magisque attonitus caput retrò avertit, ſingultiens & aquam torvis oculis intuens non ſine dentium ſtridore tandem & vociferatione. Ægroto huic etiam poſtea Liſterus Theriacam Andromachi, cinerem cancrorum fluviatilium, Rutam, Agaricum, &c. formâ boli propinavit, dum



dum ſolida quæque cochleari aſſumere potuit, ſed non ſine multò tremore & metu; obnixè ſupplicans, ut cautè id fiat, neque aliquis ea ſubitò & improvisò afferret, & ut in ejus manus leniter deponerentur; quibus acceptis, manum ſuam ſuspenſam paulatim verſus os dirigens ſubitò cochleare intra id, velut ejaculando, conjicere voluit, & dicto citiùs, velut canis ad offam, quidquid in cochleare contentum eſt, deglutire, idque multò expeditiùs voraciusque, quàm eſt hominum aut conſvetudo aut natura.

§. 16. Interim non omni tempore, nec eodem vel ſummô gradu, ſed quandoque tantùm atque per intervalla, vel leviter etiam hydrophobos delirare vel inſanire, libenter concedimus, ſiquidem tales ægrotantes interdum, ſanâ nimirum ratione gaudentes, adſtantes admonuiſſe, ut ipſos vel valide continerent, vel ipſis non nimis appropinquarent, ne fortè impetu ſeu paroxysmô furioſô concitati ipſos morderent, ex ſuperioribus & hactenus adductis relatum novimus; Quapropter etiam tales hydrophobos æque ac verè rabientes, certô ad minimum tempore ſeu per intervalla, tali deliriô vel inſaniâ ſtimulatos, adſtantes contagioſô morſu lædere vel aliud etiam capitale delictum patrare poſſe, non impoſſibile nobis videtur; Cùmque tale delictum ſine perfectâ ratione commiſerint; non immerito ejusmodi delinquentes pro delirantibus habendi atque hoc in paſſu cum aliis melancholicis, delirantibus, rabientibus & maniacis â pœnâ ordinariâ abſolvendi erunt. *hydrophobi per intervalla delirant.*

§. 17. Conſentientes quoad hanc ſententiam videmus etiam Autores, Medicos & Juriſconſultos, ſiquidem ratione læsæ rationis Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. 6. cap. 1. pag. m. 598* de Juvene quodam, qui, dum rabie detineretur, appropinquantes ſibi mordebat; matri tamen ſuæ dicebat, quòd non approximaret ad eum, quia non poterat ſe continere â mordendò eam, hanc reddit rationem: quoniam in eô nondum potentiæ intellectivæ corruptæ erant omninò, quod ex validâ reſiſtentiâ potentiæ factum cenſendum, vel ex *â pœnâ ordinaria liberandi.*

ex agentis imbecillitate. Et Paulus Zachias *Quæst. med. legal. Lib. 2. Tit. 1. Qv. 17. n. 24. fol. m. 192.* putat, Juvenem illum, matrem admonentem, ne ad se appropinquaret, non omninò quidem, sed maximâ ex parte rationem habuisse læsam, ita ut eò, quod adhuc remanebat, intellectus nomine cognoscere posset, matrem non esse mordendam, cùm tamen â deliriô impulsus, exteros omnes morderet. Deinde pergit idem Zacchias: Cum ex his ergò apertissimè constet, rabientes omnes insanire, jam de his ea conclusio firmari potest, quod omnes ut melancholici illi habendi, de quibus diximus, quod circa unum quid delirant, non circa omnia, si modò solò aquæ timore afficiantur; nam possibile, & eventu non rarum est, ut omninò furentes evadant, & tunc ut cæteri furentes habendi. Ad majorem autem confirmationem insaniæ, in hujusmodi ægrotantibus illud notatu dignum est, quòd a Cane rabido commorsi, etiam antequam in rabiem impingant, non integrâ mentis sanitate fruantur &c.

*sicuti furiosi.* §. 18. Furiosos autem, maniacos & Melancholiâ hypochondriacâ laborantes, si tempore rabiei vel paroxysmi capitale aliquod delictum commiserint, pœnâ ordinariâ afficiendos non esse, res decisa est; siquidem secundum Matth. Wesenbec. *Part. 7. Consil. 336. n. 242. seq. fol. m. 1242.* furiosi & mente capti ignoranti & absenti comparantur; Et juxta Paulum Zacch. *l. a. Qv. 16. n. 29. fol. m. 189.* in præjudicialibus non puniuntur de iis, quæ tempore furoris patrârunt, quia tales voluntate carent. Exemplum Lanii per intervalla Mania correpti amicum confodientis, pœnam tamen homicidii non luentis annotavit Felix Platerus *Observ. medic. Lib. 1. pag. m. 88. seq.* Lanius quidam, inquiens, Basileæ furore penè maniacô interdum corripi solitus, præsertim cùm vinum liberalius bibisset, insidias sibi strui, ut caperetur, dicens, per urbem strictô gladiô discurrebat, & cùm eum nemo verbis aut vi compescere posset, metuentes sibi ab eô, excitatus fuit sartor quidam, qui jam dormitum se contulerat, illi adeo familiaris, ut quævis, ipsô monente



nente & objurgante faceret. Quem cùm denuò reprimere vellet, nec sibi caveret, ab ipsô furiosô fuit transfossus, ense latum pedem extra dorsum prominente. Hinc manè, cùm jam furor nonnihil desiisset, captus & quia maniacus putabatur, non capite plexus, sed ad Carceres perpetuos damnatus fuit, in quibus semper blasphemando & dejerando dies noctesque conterens post annos aliquot, hyeme, frigore intensissimo, periit & veluti congelatus manè repertus est. Sic etiam Facultas medica Lipsiensis Nobili cuidam, Blasphemiæ accusato, ob Melancholiam hypochondriacam, per aliquot Attestata medica probatam, sequens dedit Responsum: Als uns derselbe in einem Schreiben von 2. Feb. Herrn S. H. von H. Zustande weitläufftig zu erkennen gegeben und unter andern über nachfolgende Frage unser Sentiment gebethen, nehmlich, ob der Herr von H. pro summè melancholicô zu achten und im übrigen dafür zu halten sey, daß diejenigen Excesse und Verbrechen, so ihm beygeleget worden, mehr ex affectibus melancholicis, als ullâ malitiâ, ihren Ursprung nehmen, und dahero er mehr cum commiseratione zu übersehen, als deshalben zu bestraffen sey? So haben wir die in Abschrifft uns zugeschickte Attestata Medicorum collegialiter durchgesehen, u. befinden aus denselben, nach Erwegung derer hierinnen angeführten Umbständen, daß oberwehnter Herr von H. secundum relationem horum Medicorum, allerdings Melancholiâ hypochondriacâ laborire, und solch malum quasi ex hæreditate a Parentibus den Ursprung habe; indem flugs in der Jugend es bey ihm sich spühren lassen. Weil denn dergl. Affectus, crescentibus annis & accedentibus variis excessibus in Diætâ, & in specie animi perturbationibus gravioribus immer mehr und mehr sich zu vermehren und öffters wohl gar in Maniam zu degeneriren pfleget: So ist zu vermuthen, daß dessen Begünstigungen nicht aus einer malitiâ, sondern vielmehr ex perturbatiône animi & deliriô melancholicô von ihm begangen worden &c. Leipzig den 8. Mart. 1689. vid. *Medicin. Forens. seu Respons. Facultat. Med.*

*Med. Lipſ. a Paulo Ammanno & Chriſtiano Johanne Langiô Profeſſoribus Lipſienſibus collecta & a Johanne Friderico Zittmannô edit. Cent. IV. Caſ. 77. p. m. 1018. ſeq. Et Cent. V. Caſ. 68. p. 1293.* Incendiarius, quia non compos mentis, exculpatur. Porrò etiam juxta Matth. Weſenb. *Reſponſ. Jur. ſeu Conſil. Part. 5. Conſ. 228. n. 7. fol. m. 1083.* Amentia & delirium Teſtatoris vitiant teſtamentum, ut ab eô, qui mentis compos non ſit, fieri nequeat, vid. etiam *Part. 7. Conſil. 336. n. 238. ſeqq. fol. 1242.* Prolixè etiam de furiosô pœna ordinariâ non afficiendô agit Enoch Glæſerus *Diſp. de Grat. delinquentib. faciend. Reſpond. Georg. Chriſtoph. à Paſſel. Helmſtad. An. 1667. habit. Membr. 5. n. 86. Cauſ. 4.* de furiosô; inquiens, apud omnes conſtat, furioſum nec ex delictô ſuo obligari, nec pœnam aliquam incurrere; idque tum textibus juris, tum etiam rationibus facilè probatu eſt. Illud enim quod ſpectat, diſerte hoc diſponitur *L. infans. 12. D. ad Leg. Cornel. de Sicar. L. pœna parricidii 9. §. 2. D. de Leg. Pompei. de parricid. L. Divus Marcus l. 4. D. de off. Præſid. L. apud Ariſtonem. 61. in fin. D. de adminiſtr. & pericul. tutor. c. Jndicas* Hermannum *14. cauſ. 3. qv. 9. c. aliquos 5. cauſ. 15. qv. 1. Clement. unic. de homicid. volunt. vel caſual.* Neque rationes obſcuræ eſſe poſſunt. Quoniam enim in tali homine intellectus & appetitus ſunt corrupti, vera actionum noſtrarum principia, itaque nec conſilium peccandi aut προαίρεσιν habere dici poterit, nec actiones ipſius humanæ erunt, ſed hominis, ut loqvuntur Philoſophi. Indeque nulla furioſi voluntas eſſe dicitur: at verò maleficia voluntas & propoſitum delinquendi diſtingvit: nec in iis exitus ſpectatur, ſed voluntas. Nam ut Auguſtinus inquit: usque adeo peccatum voluntarium malum eſt, ut nullô modô peccatum ſit, ſi non ſit voluntarium. Deinde ſi infans ex delictô neque obligatur, neque puniri poteſt, ſequitur nec furioſum pœnam aliquam incurrere, quia utriusque eadem eſt ratio, ut qui etiam in delictis planè æquiparantur ac conjunguntur. Adhæc furioſus abſentis in jure & quieſcentis ac ignorantis locô habetur, imò mortuo aſſimilatur; At pœna in tales fieri nequit: ergò nec furioſo aliqua

qua



qua debetur. Tandem argumentari licet, cùm furioſus furore ipsô ſatis ſit punitus, non debere illum ulteriori pœnâ affligi; aliàs afflicto major adderetur afflictio, quod fieri haud debet: certè enim furorem per ſe magnam eſſe afflictionem, nemo negabit. vid. etiam Gothofred. Beringer. *Diſput. inaugur. de Grat. ſeu Jur. aggratiand. ſub Præſid. Joh. Chriſtoph. Falckner. Jen. 1680. habit. cap. 3. Membr. I. Sect. I. §. 24.*

§. 19. Quodſi itaque, ſecundum hactenus allegata, maniaci aci ſeu furioſi, inſani, delirantes, imò Melancholiâ hypochondriacâ, tanquam longè leviori Maniæ gradu, laborantes, à pœnâ ordinariâ abſolvendi ſunt, quidni etiam hydrophobis ſeu rabidis vel â rabidi Canis morſu in talem affectum prolapſis, & pariter ad delirantium Claſſem pertinentibus, eadem gratia expectanda erit? modò de Hydrophobiæ rabioſæ ſeu Rabiei caninæ veritate, ſeu delinqventem tunc temporis verè rabidum fuiſſe, certò conſtet. *affirmatur c. limitatione.*

§. 20. Cùm verò hoc in paſſu variæ Circumſtantiæ, & alia, notanda veniant, ex modò allegatâ Glæſeri Diſputatione (quæ non in omnium manibus eſt) ſequentia hîc referre atque ad Rabiem caninam applicare liceat. Obſervandum itaque *primo*, quod fundans ſe in furore eum probare teneatur. Neque enim cuilibet alleganti furorem ſtatim credendum eſt & pœna remittenda: cùm quilibet homo ſanæ mentis præſumatur: & hæc præſumtio eſt maximè ſecundum naturam, ut quæ homines ſanâ mente præditos in lucem edit. Verùm quia res difficilis eſt probatio, ideò Judex præſertim de ſimulatione ſuſpicans non modò teſtes ſuper ſigna exteriora, geſtus & facta furioſi examinet: ſed etiam peritum Medicum adhibeat, qui cum furioſo converſetur, ac temperamentum ejus cauſasque inſaniæ exquirat: cui poſtmodum de furore rationabiliter deponenti tutò fidem habere, reoque pœnam remittere queat. *Secundo*, quæ de excuſatione furoris dicta fuere, capienda ſunt de caſu, quô aliquis continuâ mentis alienatione tenetur. Qui enim in confinio quaſi furoris & ſanitatis atque in conſpectu inumbratæ *Cautela.*

 quietis,

quietis, ut Dd. loqvuntur, conſtitutus, dilucida intervalla habet, ille pœnâ omninò liberandus non eſt. Sed tamen & hîc neceſſe erit probari, eô tempore, quô reus crimen admiſit, eum non fuiſſe rabioſum: aliàs enim, qui ſemel furioſus perhibetur, in poſterum quoque talis eſſe creditur, quia de præteritô in præſens præſumitur. Probè interim hîc notanda eſt diſtinctio illa, quam Jaſon adfert. Aut enim apparet, aliquem fuiſſe furioſum, non ſemper, ſed aliquô momento temporis, puta unâ vel duabus horis, vel unô die aut duobus; & talis furor non attenditur, neque ex eô aliquid probatur: Aut verò apparet, aliquem habuiſſe furorem ſucceſſivum, licet quædam intervalla habuerit, & tunc quicquid agit, præſumitur feciſſe tempore furoris. Cùm enim furor ut hedera ſerpat, ſemper & continuò durare cenſetur, niſi in totum deſiiſſe probetur. Quamobrem, ut dictum, probatione illâ deficiente, nempe quòd in dilucidis intervallis deliquerit, reus adhuc â pœnâ ordinariâ immunis erit. Tertiò nec intelligenda ſunt ſuperius diſputata de eô, qui poſt furorem ad ſanam mentem rediit; hunc furor præteritus neutiquam excuſaverit. Etenim ſi is, qui dilucida habens intervallæ ſenſu ſaniore peccat, pœnâ non eximitur; multò minùs hoc probandum erit in eô, qui licet aliquando furioſus fuerit, priſtinæ tamen ſanitati jam reſtitutus delinquere non eſt veritus. Quartò advertendum eſt, quòd licet verè furioſus à pœnâ excuſetur, ille tamen prorſus liber dimitti non debeat: ſed cuſtodiendus ſit â ſuis in conclavi aliquô, aut, ſi opus fuerit, vinculis etiam coërcendus; ne quid pernicioſius ipſe in ſe moliatur, aut aliis ſit exitio. Imò ſi cuſtodes negligentes ſe geſſerint, & furioſus quid patraverit, pro modò culpæ & negligentiæ caſtigari debent. &c. vid. etiam ſuprà allegata Falckner. *Diſputat. de Jure aggratiand. l. c.* §. *26. ſeqq.* qui tamen Autores benè monent, quòd inſtar furioſorum non ſint excuſandi, qui nec totâ mente præditi, nec etiam totâ ſint privati: cùm in eos adhuc aliquis dolus, vel certè lata culpa cadere poſſit, hinc tales dementes, omni intellectu non



non carentes, ſi non ex dolô, ex culpa tamen adminimum obligentur & pœnâ extraordinariâ plectendi veniant. Unde etiam hac de cauſa Scabinos Lipſienſes in furioſis delinquentibus intellectum aliquem vel culpam deprehendentes in carcere eos virgis caſtigandos eſſe quandoque pronunciâſſe, ex Carpzoviô addit Falcknerus *l. a.* §. *27.* Quæ ſanè circumſtantiæ atque cautelæ imprimis ratione graduum & intervallorum in omnibus Inſaniæ & delirii ſpeciebus bene obſervandæ, talesque ſpecies inter ſe diſtingvendæ ſunt, de quibus vid. Irenæi Vehr *Diſſert. de Mania Reſpond. Joh. Hauboldo Grosmanno Francofurt. An. 1701. habit. Part. I.* §. *3. ſeqq. p. 8. ſq.* Enoch. Græſel. *l. a.* Mich. Ettmuller. *Oper. Tom. II. fol. m. 946.* Georg. Wolffg. Wedel. *Diſput. de Melanchol. reſpond. Joh. Georg.* Neuſe *Jen. 1685. habit. cap. 1. p. 6. ſeq. & cap. 5. p. 24. &c.*

*Defenſio ob morſum longè antè inflictum.*

§. 21. Vidimus hactenus, in illis hydrophobis, qui paulò poſt rabidi Canis morſum rabioſi facti grande aliquod delictum commiſerunt, pœnam ordinariam locum non habere, ſed potius tales delinqventes, ob rationem corruptam, commiſeratione dignos, vel planè abſolvendos, vel ratione circumſtantiarum mitiùs puniendos eſſe; ſi videlicet per teſtes conſcientioſos atque ſigna, partim a Cane rabidô, partim ab ipsâ perſonâ poſt morſum rabioſâ, deſumpta, rabiei veritas confirmetur. Quodſi verò accideret, ut ejusmodi delinquens â Juriſconſultô vel Cauſidicô quodam, non ob proximè antecedentem, ſed longè & aliquot ante annos perpeſſum Canis vel alterius animalis rabidi morſum ictumve defenderetur, & quidem ex eâ ratione, quòd venenum dictô modô communicatum per tantum temporis ſpatium in demorſo delituerit, poſtmodum autem in ipsô perpetrati delicti momentô, vel ab excandeſcentiâ vel datâ occaſione in actum vel efficaciam eruperit; quæritur an talis excuſatio ſeu defenſio locum habeat?

*Venenum diu latitat.*

§. 22. Circa quam reſponſionem ante omnia indagandum mihi videtur, an

tale per morsum Canis rabidi communicatum venenum tamdiu latitare, demumque datâ occasione in demorsô rabiem excitare valeat? Notum enim ex superioribus est, utplurimum proximè post morsum, vel ad minimum circa trigesimum vel quadragesimum â læsione diem, tale venenum per communicatam rabiem vires suas exserere, quod varii confirmant Autores; serpit enim hoc contagium, secundum Hier. Fracastor. *de Morb. contag. Lib. 2. cap. 10. Oper. Part. 1. p. m. 171.* tam segniter & per moras, ut rarissimè ante vigesimum diem prodatur infectio, majori ex parte post trigesimam, multis non nisi post quatuor aut sex menses; & juxta Franc. Joel. *Oper. med. Tom. V. Lib. 2. p. m. 152.* non continuò post illatum morsum, sed primum post quadraginta aut plures dies, ubi vulnus jam est consolidatum & nihil periculi metuitur, tunc enim sine ullâ evidente causâ solitò subtristior efficitur morsum passus, & paulò post in fixas & melancholicas cogitationes incidit ac nocturnô tempore de canum ferocium invasione somniat &c. quibus consentit Carolus Musitanus *Chirurg. Tom. 3. cap. 30. p. m. 102.* rabidi, inquiens, animalis venenô per Salivam communicatô, Hydrophobia utplurimum infra quadraginta dies contingit, quia infra id tempus in Cerebrum repit, & phantasiam ac rationem ferit. Tunc humorum omnium & totius corporis dispositiones sibi similes reddit, quas exoticâ inficit Tincturâ. Tandem rationem è suâ majestate deturbat, pervertit & dementat, unde delirium, mentis omninò alienatio ejusque ablatio, ideoque id, quod auxiliari potest, non considerat, & hac de causa non tantum aquam & omnia liquida exhorret, verum etiam cibum, quia phantasia & ratio circa phantasma perpetuo est occupata.

*juxta Observationes.* §. 22. Quod probant etiam Observationes medicæ, siquidem Bracteator ille, cujus supra ex Friderici Deckkers *Exercitat. practic. cap. 7. p. m. 561. seq.* meminimus, tertiâ circiter, post rabidi felis morsum, septimanâ torvô vultu de summâ Melancholiâ, gravissimâ præcordiorum anxietate, difficillimâ Respiratione, Lipothymiâ, Inquietudine, Vigiliis, Insomniis horrendis & aliis symptomatibus cum siti maximâ, simul tamen bibendi impotentiâ conquerebatur, unde Hydrophobia & Rabies sequebatur. Filium Lanii cujusdam Basileensis, â rabido Cane in brachio dextrô ac dorso subscapulis vulneratum, quintâ post vulnera accepta septimanâ, in Hydrophobiam incidisse refert Theodor. Zwinger. *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obs. 104. p. 140.* Post trigesimum sextum diem Juvenis quidam annos natus septendecim â Cane in digitô sinistræ manus commorsus omnia liquida metuere & paulò post delirare cœpit, teste Rembertô Dodonæo *Obs. med. c. 12. p. m. 32. seq.* Puer quinque annorum, temperamenti sangvinei, canicularibus An. 1716. diebus canis rabiosi morsu in extremitate indicis manus dextræ graviter sauciatus a Chirurgo brevi temporis spatio sanatur. Puer, occluso vulnere, sat bene se habere videtur; elapsâ autem quartâ a morsu septimanâ insultibus febrilibus, spasticis commotionibus ac melancholicis tentari cœpit deliriis. Die 28. Augusti sub noctem puer è lecto surgens eam totam insomnem ducit & delirat. Summô mane sequentis diei vocatus Medicus, Philippus Eberhardus Dillenius, non modò de morsu Canis, verùm etiam de omnium liquidorum æque ac solidorum horrore & fuga certior fit. Puer nunc melancholicis cogitationibus defigitur, nunc furibundis agitur motibus, torvum videt, de capitis dolore cordisque ac pectoris summis oppressionibus conqueritur, crebrius oscitat, spuitionibus spumosis adstantes conspurcat, liquida & solida quævis, quibus tamen non visis quam maximè inhiabat, visa & porrecta horret, & nihilominus urinam solito copiosiorem emittit. Porro cum impetu adstantes adoritur, vim morsu & quovis modo illis illaturus, nisi tenera obstitisset ætas; Rabies invalescit, morsibus quosque petit, nec parentibus quoque parcens, nec propriis digitis, quos morsu sauciabat, nec pilis in capite, quos evellebat, & hora duodecima nocturna inter tales furiosos motus obiit. vid. Ephemerid. Acad. Nat. Curios. *Cent. VII. & VIII. Obs. 54. p. 101. seq.* Lithotomus quidam ante sex aut septem septimanas a cane

ne rabidô morſus, cùm aliquandiu nihil mali ſenſiſſet, ſubitò timor aquæ ſupervenit, intra biduum miſerrimè periit, uti ex Conrado Geſnero refert Petrus Foreſtus *Obſerv. medic. Lib. 10. Obſ. 28. fol. m. 350.* Ante ſex hebdomadas commorſus fuerat a Cane rabioſo in manu dextra Molitor quidam hydrophobus & circa mediam noctem quaſi attonitus in accubantem uxorem invadens atque incondita ſimul præfatus. vid. Roſin. Lentil. *Jatromnemat. cap. 8. p. m. 53.* Puellam ſeptem ferè annorum, ante ſeptem hebdomadas, felis momorderat, quæ rabida extiterat, referente Vito Riedlino *Millenar. Curar. med. Obſerv. 658. p. m. 409.* Poſt duos menſes â morſu Canis rabidi hydrophobus evadebat ruſticus quidam, ita ut non ſolùm ſitim pateretur inextingvibilem, nihilominus bibere vel non valens vel non audens. Prætereа ſi feneſtræ vel fores aperiebantur, Symptomata ſtatim vehementiora reddebantur, ut non ſecus liberum aerem atque liquida horreret. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſerv. 104. pag. 132. 135.* Mercatorem Lipſienſem, ante novem ſeptimanas, a Cane rabidô demorſum, omnem liquorem maximè horrentem annotavit Chriſtianus Johannes Langius. *Prax. cap. 19. §. 5. Oper. medic. Tom. II. fol. m. 123. Annot.*

*poſt aliquot menſes.* §. 24. Quandoque etiam tale morſu aut Salivâ communicatum venenum diutius latitare atque poſt aliquot demum menſes vel etiam annos manifeſtari ſolet. Per tres enim menſes Juvenis quidam, cujus labium Canis rabidus morſu læſerat, ſanus atque vegetus manebat, demum verò Hydrophobiam incidebat, juxta Stephan. Blancard. *Collect. med. phyſ. Cent. 3. Obſerv. 45. p. m. 409.* Sequentem Obſervationem recenſet Amatus Luſitanus *Curat. medicin. Cent. 7. Curat. 41. p. 739.* Uxor, inquiens, Samuelis Capuani, mulier Virago, quùm ex cubili ſurgeret, â cane domeſtico, ſub lectô abſconditô, in pede ſiniſtro commorſa fuit: abſconderat ſe autem canis hic, quia commorſus ab alio cane fuerat; Cæterum hæc, Canis morſum parvifaciens, vulnus accerſitâ mulierculâ una vel altera brevi curavit, clauſit & ad Cicatricem traxit. Porrò elapſo tertio menſe, hæc cum extra domum exiret, pes, in quô inflictus morſus erat, inflatus eſt, & noctu, cùm dormiret, fortè marito præſente, ingenti pavore tremoreve percita ſe polluit: â quâ horâ rabidi canis venenum deoccultari cæpit, & ipſa graviſſimis ſymptomatis tentari: tremebat autem & anguſtiabatur, &, quod magis mirari eſt, Satyriaſi & ingenti coëundi deſiderio premebatur, ſed tertiò die in aquæ metum ingenti cum ſiti incidit, ad quam quarto die vocatus ipſe, noto, hanc verè viraginem hac lugubri, triſti & miſerandâ affectione tentari corripive. Cum igitur aquam coram afferre juſſiſſem, Deus bone! Deus ſancte! quantô tremore, quantô ejulatu & quantis anguſtiis opprimebatur; & toties, quoties illi aqua aut liquor aliquis offerebatur, aut ex accedenti eam videbat, & fortè hac de cauſa, omnes è cubiculô ingenti tremore, torvo quodam viſu, levatis manibus, rejiciendos curabat, me autem inter cæteros accerſebat, quæ mente ſemper conſtans cum fuit, & judicio ſingulari prædita, morbum & ejus originem citabat narrabatve, ſed inter cætera ingentem tentiginem cum ſeminis emisſione pati inculcabat, adeo ut intra diem trigeſies ſemen cum titillatione emitteret &c. Aliud exemplum de Juvene octodecim annorum poſt tres, â rabidi Canis morſu, menſes Hydrophobiam patiente vid. Roſinum Lentilium *loc. allegat. pag. 30.* Puella quatuordecim annos nata â rabioſô cane vulnuſcula quinque in tibiâ acceperat, quibus poſt applicationem ferri candentis & ungventi cujusdam conſolidatis, poſt tres menſes ſubitò Melancholiâ, triſtitiâ, mœrore ac timore ac paulò poſt Hydrophobiâ correpta eſt, demumque è vitâ discesſit, obſervante Gvilelmo Fabricio Hild. *Obſ. Chirurg. Cent. I. Obſ. 86. p. m. 101.* ubi etiam meminit Juvenis viginti annos nati, qui tempore mesſis â fele rabioſô ſculpturâ, vix epidermidem offendente, acceptâ, poſtmodum ſequentis anni die primo Menſis

Mensis Martii paulatim incepit melancholicus fieri, & pavoribus atque falsis imaginationibus commoveri, & paulò post vivere desiit. Famigeratissimus Juris-Consultus, Baldus, quartô, post acceptum â catello melitæo minutissimum vulnusculum in labiis, mense, Hydrophobiam passus interiit. vid. Eberh. Gockel. *de Venen. pag. m. 82.* ubi etiam refert, Adamum Schneitlin, Chirurgum, mentionem facere Equitis, quadraginta annorum, ab equô rabidô in femur morsi, qui post octodecim menses rabie fuerit correptus. Et *pag. seq.* addit, Johannem Bauhinum infantem vidisse, qui post octo menses demum in rabiem inciderit. Ante quintum mensem, Viro cuidam Hydrophobiâ laboranti, canicula rabida exile aliquod vulnusculum inflixerat, referente Nicolao Tulpio *Obs. med. Lib. I. cap. 20. p. m. 43.* Johannes Wallæus quendam vidit, qui per quinque menses Hydrophobiâ laboravit. vid. ipsius *Medicin. pract. Lib. 2. cap. 2. Oper. p. m. 138.* Post sextum mensem ex morsu canis rabidi Delphis adolescens in Hydrophobiam incidit, quamvis priùs in principiô in mari demersus fuerat, teste Petrô Forestô *Obs. medic. Lib. 10. Obs. 28. fol. m. 250.* ubi etiam exemplum refert de muliere Delphensi, quæ gravida ac prægnans in ultimô Mense â Cane rabidô demorsa, cùm postea peperisset, atque infantem jamdudum lactasset, post semiannum â morsu in Maniam & insaniam gravissimam incidit. Meminit etiam Cornelius Stalpart van der Wiel *Cent. 1. Obs. 100. Schol. p. m. 400.* Civis cujusdam Lugdunensis, cujus tertium pollicis articulum rabida felis momorderat, unde iste Civis septem octove post mensibus varia symptomata, immensam sitim nec non potûs fastidium tandemque mortem passus est. Meminit etiam Hieronymus Fracastorius *de Morb. contag. Lib. 2. cap. 10 p. 171.* se vidisse puerum, qui octo post Menses, ex quô demorsus fuerat, contagionem ostendit, ex qua mox periit. Filium Tinctoris in campo S. Pauli Venetiis a Cane rabidô demorsum & curatum â Medicis, non edidisse rabiei signa, nisi per octo menses post, ex Nicolaô recenset Johannes Schenckius *Obs. medic. Lib. 7. fol. m. 849.* vid. etiam





etiam Melchior. Sebiz. *Disput. de Morb. contag. Argentorat. 1650. habit §. 85.* Sic Hieronymus Fracastorius *de Morb. contag. Lib. 2. cap. 10. Oper. Part. 1. pag. m. 177.* puerum vidisse scribit, qui octo post menses, ex quô demorsus fuerat, contagionem ostendit, ex quâ mox periit. Plura ejusmodi exempla ex aliis Autoribus refert Baptista Codronchus *de Hydrophob. cap. 5. p. 44. seqq.*

§. 25. Post unum vel plures demum annos hoc malum se prodere ex Autorum Observationibus constat; siquidem Equitem quendam, aversâ parte â rabidô cane in pede commorsum, non nisi post exactum sesquennium furere cæpisse; item post tertium annum Thessaloniæ hominem â cane rabidô morsum in rabiem actum fuisse, ex Amatô Lusitanô refert Joh. Schenckius. *l. a.* Exemplum hujus mali ad biennium latentis vid. Sam. Hafenreffer. *de Cut. Affectib. Lib. 3. cap. 6. p. 441.* Vir quidam generosus gladiô, quô ante octo annos canem rabidum perfoderat, tres personas graviter percusserat, quæ, vulneribus curatis, citra manifestam causam post tres annos hydrophæ atque in rabiem versæ miserè perierunt. vid. Zacut. Lusitan. *de Prax. med. admir. Lib. 3. Obs. 87. fol. m. 116.* quô locô etiam recenset, binos pueros in lectô decumbentes â fele rabidô in pede ungvibus dilaceratos post quatuor annos rabie vexatos obiisse. Post sexennium nonnullos aquæ metu fuisse tentatos scribit Dioscorides *Lib. 6. cap. 39. Edit. Matthiol. fol. m. 1011.* Albertus Magnus hominem vidit â cane rabidô in brachio morsum, & annô septimô post incepit inflari locus cicatricis, & mortuus est infra duos dies. vid. Joh. Schenck. *l. a.* vid. etiam Lud. Cæl. Rhodigin. *Lection. antiquar. Lib. VI. cap. 28. fol. m. 662.* Mulier quædam per urbem negotia habens â cane rabidô ex improvisô impetitur atque in sinistrô brachiô mordetur, per medicamenta autem tam interna, quàm externa paucis diebus, Deo volente, salva & incolumis evasit, nullô in corpore, ut apparebat, restante venenô. Septimô demum abhinc annô recurrunt symptomata sæviora multò: persentit in brachiô, aliàs quondam læsô, dolorem acerbissimum

*post aliquot annos.*

veluti â canibus discerpi & dilaniari. Inde paucô interjectô tempore furor & mentis alienatio subseqvuntur, mœror, tristitia, vigiliæ summæ, sitis inexplebilis, febris, maxima virium prostratio, ciborum denique omnium odium, nunquam tamen â potu abhorruit, nec liquida, quæ sitim extingvere valebant, rejecit. Morti denique proxima judicata nihilominus intra paucos dies perfectè sanata visa fuit. Post annos autem septem ab hac invasione & decimo quartó â Canis morsu mulier illa mirabilibus iisque gravissimis morbis iterum tentari cæpit, sed iterum sanata, iterumque post aliquot annos tentata fuit, juxta verba Gvilelmi Fabricii Hild. *Cent. 1. Obs. 86. pag. m. 107. seq.* Albertus Magnus quendam vidit, cui in brachio morsum infixit rabiens canis, anno autem septimo pòst cicatricis locus intumescere cæpit, atque intra biduum interiit. vid. Baptis. Codronch. *de Hydrophob. cap. 5. pag. 45.* De venenô morsu canis rabidi inductô & post octo annos in puella quadam excitatô Johannes Benedictus Gründelius sequentem communicat Observationem *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obs. 203. p. 380.* Viennæ puella quædam sexto ætatis annô in pede â cane rabido fuerat morsa, vulnus, cùm leve esset, nec ullum malignitatis vel rabiei signum appareret, curabant domestici per remedia vulgaria & etiam citò cicatricem inducebant; Puella ista octo integris annis optimè valuit. Tandem decimô quartô ætatis annô Variolis epidemicè tunc grassantibus corripiebatur; antequam autem illæ in cute se manifestarent, variis cruciabatur symptomatibus; jam delirabat, modò instar canis latrabat, (quod mirum, dum & ipsi canes rabidi non latrant) aquam autem coctam & omnia liquida, imò & aquam destillatam pro pulveribus alexipharmacis sumendis summè fugiebat. Variolis autem perfectè protrusis præfata symptomata cessabant. Exemplum Hydrophobiæ lethalis, quæ tredecim annos post canis morsum evenit, ex Lindano refert Carolus Musitanus *Chirurg. Tom. III. Cap. 30. pag. m. 108.* Repertos esse quosdam, qui decimo sexto



sexto anno rabiem contraxerunt, ex Antonio Musa refert Baptista Codronch. *l. a.* De iis, qui decimo septimô & octavô annô post morsum rabiem demum contraxerant, vid. Tim. â Güldenklee *Respons. 34. pag. m. 1064.* Decimô septimô annô post morsum canis rabidi quosdam rabiem contraxisse ex Antonio Musâ refert Daniel Sennertus *Pract. Medic. Lib. I. Part. 2. cap. 16. pag. m. 431.* item Baptist. Codronch. *l. a. pag. 45. & cap. 8. pag. 75.* scribit: Venenum, per decem & octo annos latuisse, postmodum autem morsum a cane rabidô, cùm sub umbra sorbi transiisset seu permansisset, intra tertium diem esse mortuum. Et cuidam post decimum octavum annum a cane rabidô morso metum aquæ accessisse, ex Guainerio refert Paul. Forestus *Observat. Medic. Lib. 10. Observat. 28. fol. m. 351.* Hydrophobiæ, in uxore cujusdam Lapicidæ, â cane rabidô commorsâ, per viginti annos occultatæ exemplum observavit Johannes Schmidius, Physicus Gedanensis. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Observat. 43. pag. 116. seqq.* Et Petrus Borellus *Observat. Medic. Phys. Cent. 1. Observat. 74. pag. m. 78.* cujusdam in digitô auriculari a cane rabidô demorsi mentionem facit, qui equidem curâ palliativâ fuit curatus, sed triginta abhinc annis hydrophobus factus & insigni dolore ejusdem digiti correptus vitam cum morte commutavit. Ibidem etiam cujusdam Montalbanensis meminit, qui in crure morsus & curatus, longô post tempore tamen simili die & in eodem loco, in quo morsus fuerat, dolore magno in parte demorsâ correptus fuit, quasi veneno in hoc loco urbis per annum integrum servatô, unde eo transeunte ad magnetem veneni in vulnere ejus latitantem transvolavit. Denique per quadraginta annos rabidi canis venenum in corporibus delituisse, experientia Alzaharavii testatur, vid. Daniel. Sennert. *l. a.* Plura & alia exempla de hac materia reperies apud Tim. â Güldenkl. *l. a.* Martin. Lister *de Morb. Chron. p. m. 103. 108. 118.* Eberh. Gockel *Consil. 19. p. m. 222. seq.* Christ. Franc. Paul. *Cynograph. curios. p. m. 221. seq.* Casp. a Reies *Camp. Elys. Qv. 61. p. m. 792. seq.*

*Causa differentis moræ.* §. 26. Causa autem differentis hujus effectûs, sive cur ejusmodi per morsum canis rabidi communicatum venenum, Rabies & Hydrophobia in nonnullis subjectis demorsis citiùs prorumpat, in aliis econtra diutius latitare soleat, antequam vestigia sua ostendat, juxta Benjamin. â Broeckhusen *Oeconom. animal. Art. 96. p. m. 165.* in eô consistit, quia certa materia subtilis cum spumâ Canis rabidi in vulnus eructata non statim agit & angit, sed tum demum, quando certò tempore effervescentiam quandam istâ in parte conceperit, ob quam mox sangvinis mixturam turbare possit. Secundum Johann. Coster. *Theor. & Prax. Tabul. 11. p. m. 42.* Venenum communicatum brevi temporis spatiô agit, si fortius sit, nervusque, vena aut arteria læsa, per quas cordi & cerebro citiùs communicari potest; diu verò latitat, si debilius sit, pars ignobilior, nec cum nobilioribus consensum habens, demorsa sit. Idem statuit Caspar a Reies *Camp. Elys. Quæst. 61. §. 11. pag. m. 793.* Causam, inquiens, istius moræ ad ipsius veneni vim, & patientis resistentiam aut aptitudinem esse reducendam omnibus patet: quibus multum adjuvat partis commorsæ & læsæ natura, an vena, nervus, vel arteria læsa fuerit; citiùs enim per has partes, tardiùs, si ignobiles ac distantes offendat, malignitas ad principes partes serpit, per quas non ita facilis est aditus, nec viæ patent; quibus etiam addi potest illud, quod Aetius advertit, citiùs in affectum devenire, qui vitiosis humoribus repleti sunt, quàm qui illis carent. Inquit etiam Julius Palmarius *de Morb. contag. in spec. de Morf. Can. rabid. cap. 2. p. m. 333.* quòd, quò commorsus quisque deteriore est Corporis constitutione & habitu, & quò impressum virus acerbius, hoc & citiùs Hydrophobia prehendit & crudelius discruciat. Prolixè de hac materiâ scribit Dan. Sennertus *Institut. medic. Lib. 2. Part. 3. Sect. 2. cap. 4. p. m. 428.* Rei hujus admirandæ, inquiens, si ratio quæritur, hæc reddi posse videtur. Venena, cùm totâ substantiâ â naturâ nostrâ aliena sint, neque a calore nostrô vinci aut superari posfint, quamdiu



diu etiam in corpore nostrô lateant, suam naturam retinent, atque vim suam tandem exserunt; etsi id aliàs citiùs, aliàs tardiùs fiat. Quæ diversitatis ratio in agentis & patientis fortitudine ac debilitate consistit. Venenum enim aliud aliô, atque aliô quoque tempore, efficacius est, morsusque venenatorum plerorumque animalium in regionibus & temporibus calidis vim suam efficaciùs atque citiùs exserunt, quàm iisdem frigidis. Ita etiam corpus patientis aliud alio ad resistendum fortius est, & plures sæpè eodem venenô assumtô, non eodem tempore, neque omnes extincti sunt. Itaque quamvis forsan plures vel ab eodem cane aut lupô rabidô læduntur, alius tamen unô, alius duobus, tribus aut pluribus mensibus pòst rabie corripitur; quòd nimirum alius ad resistendum veneno est fortior, alius debilior. Ita & venenum in hôc animali rabidô vehementius & efficacius esse potest, quàm in aliô. Potest & victûs ratiô hîc aliquid præstare. Si quis enim utatur victu, qui vim veneni hebetandi habet, diutiùs malum differetur. &c. Et Theodorus Zwingerus *M. N. C. Dec. III. An. 2. Observat. 104. Schol. pag. 137. seq.* primò ad quæstionem, cur Hydrophobia non semper morsum rabidi canis subsequatur? has reddit rationes, quoniam primò venenum, quod in Salivâ rabiosi animalis consistere credit, non semper in vulnus immittitur, aut saltem non ita profundè, ut non citò iterum vel inde extrahi, vel præcipitari & suâ corrosivâ qualitate privari queat. Secundò vulnus, subinde duntaxat leve est, non capiens aut retinens facilè Salivam deleteriam, â quâ morbus ille produci debet. Et tertiò frequenter immissum vulneri virus remediis efficacibus, tam internis, quàm externis destruitur, ita ut corrosivam suam naturam prorsus exuat, & vel sudoris ope expellatur vel aliter extrahatur. Deinde ad quæstionem, cur aliquando accedat Hydrophobia? & cur eadem nunc citiùs, nunc tardiùs sequatur? idem Autor responsi locô dat, venenatæ Salivæ portionem subinde in vulnerum cavitatibus integram, atque à remediorum adhi-

adhibitorum virtute tutam remanere. Hæc igitur veneni portio, occasione quacunque arreptâ, effervescens ac fibrillas, sive vasculorum humoralium; sive tubulorum nerveorum discindens partim sangvini aut lymphæ, partim spiritibus sese immiscet; sicque turbas excitando Hydrophobiam producit. Venenum illud quandoque sub velamine viscidi cujusdam seri diutiùs in partis demorsæ fibrillis latitare potest; subinde autem minùs obvolutum & magis activum existens citiùs in apricum prodit, effervescit, pungit, scindit ac rodit, donec viam sibi fecit in quemcunque laticem irruendi suamque vim nocivam exercendi. Excitatur etiam sæpius â causis externis & procatarcticis, sicque instar canis dormientis expergefit ac in motum agitur; quod fit partim â nimiô Corporis exercitiô, partim ab irâ vehementiore, partim ab æstu corporis in Laconicis aliisque Balneis; partim â crapulâ sive inebriatione; partim etiam aliis causis. Juxta Maximiliani Preuss. *Differt. de parv. magnor. morbor. init.* fieri hæc mora videtur, partim quando communicatum μίασμα est minus agile vel viscidiori nimis inclusum tegmini, ut succesivè demum hoc penetret & liberum magis evadat: partim quando subjectum recipiens ad suscipiendum illud est minùs dispositum & viscidiatibus copiosis, lentoque humorum motu præditum, ita ut, ineptitudine hac ex parte demum ablatâ, istud in actum & scenam saltim prodire possit: quod imprimis ineunte de novô Vere facilè fieri potest, dum aer activis tunc particulis admodum refertus contenta Corporis magis magisque actuari & resolvi facit, vel etiam novô quôdam miasmate hostili inspiratô vetus illud simul excitat, ita ut sæpius annô demum exactô hoc in actum deducatur. vid. Casp. Theoph. Bierling. *Thesaur. theor. pract. Observat. 9. Sch. §. 2. p. m. 67.* Verbô: dependet hæc differens veneni occultatio vel ab agente, vel â patiente, Ratione agentis, si scilicet communicatum illud Miasma est nimis acre, activum, exaltatum aut volatile, tunc citiùs vim suam exserit atque massam sangvineam



gvineam corrumpit; ubi verò magis est fixum vel viscidiori nimis tegmine involutum, adeò ut non statim liberè agere, sed succesivè saltim sese extricare, liberumque evadere possit, tunc segniter agit & diutissimè sine sanitatis læsione delitescit. Deinde ratione patientis seu recipientis venenum morsu vel Salivâ communicatum citiùs vel tardiùs in effectum ducitur, prout nimirum subjectum recipiens naturâ seu constitutione robustum est, aut partes solidas & fluidas ita formatas habet, ut externis causis resistere posit; aut quando subjectum patiens corpus habet magis frigidum aut nimiâ humorum viscididitate lentôque eorum motu gaudet, aut si demorsum subjectum tali victu seu alimento utitur, quod veneno resistit, illiusve acrimoniam vel venenositatem in tantum corrigit, tunc hujus veneni vires per longius temporis spatium hebetari atque latitare possunt. Econtra verò, ubi subjectum patiens est calidum, biliosum, scorbuticum, ad iram & excandescentiam pronum, atque alimentis calidioribus, illud venenum acuentibus, utitur, tunc rabidum hoc virus longè citiùs prorumpit. Quò etiam regiones calidiores & sicciores pertinere videntur, ita ut in regionibus & temporibus calidioribus ocyus agat venenum, quàm in frigidis. vid. etiam Chr. Franc. Paullin. *Cynograph. curios. pag. m. 222* & Cornel. Stalpart. van der Wiel *Cent. I. Obs. 100. Sch. pag. m. 428.* Gvil. Fabric. Hild. *Cent. I. Obs. 86. pag. m. 105.*

§. 27. Non autem tantummodò in Hydrophobiâ & Rabie caninâ, post morsum Canis rabidi, tale venenum contagiosum tam diu latitare solet, sed etiam in aliis casibus, *in aliis Casibus.* quale exemplum recenset Mæglinus apud Rosinum Lentilium *Jatromnem. cap. 8. pag. m. 34.* scilicet Cerdo quidam, cùm adhuc juvenis esset, aliquando pellem Vaccæ, peste defunctæ, ferrô abradebat, & manum dubio procul commaculatam ac tabo cujusdam carbunculi conspersam imprudens oculo sinistro, pro capillis, qui visum impediebant, removendis adhibebat; subsecuta fuit confestim

festim gravissima Ophthalmia, cum anxietate & intumescentiâ præcordiorum conjuncta, per aliquot menses durans, & tandem usurpatis plurimis exquisitissimis alexipharmacis, cum jactura ciliorum & utriusque palpebræ ex parte consumptæ, visu interim manente integrô, curata. Interjectis abhinc quindecim annis, quibus nullam planè molestiam sentiebat, Patiens hic correptus fuit febre tertianâ intermittente & postmodum colicâ spasmodicâ, subsequente mox, post tertiam scilicet septimanam, & non tam per metastasin causæ morbificæ, quàm per resuscitationem prioris in corpore latitantis veneni, primum intumescentiâ & anxietate præcordiorum & alterô die intolerabili oculi sinistri dolore, qui nycthemeri spatiô in tantum fuit exacerbatus, ut corneâ tandem ruptâ humor aqueus efflueret, ac tunicâ uveâ prolapsâ Staphyloma exhiberet, &c. Sic etiam morbos hæreditarios modò citiùs, modò tardiùs in liberis aut nepotibus insultum facere observamus.

*Judicium de venenô diu latitante.*

§. 28. Quodsi itaque ejusmodi latitans venenum post aliquod, quandoque etiam satis longum, tempus maturescit, â viscididate se extricat aut vehementi animi commotione, sive irâ sive amore excitatur, quid mirum, quin exortâ rabie proximo, tam inimico, quàm amico varia ab ejusmodi rabiosô homine pericula evenire, aut alia facinora atque delicta committi possint? quale horrendum exemplum, præter superiùs jam allegata, Philippi Salmuthi verbis ex *Cent. I. Obs. 96. pag. m. 57.* hîc adducere liceat. Scilicet retulit ipsi Nobilis Vir ab Hagen, Nobilem quendam a cane melitæo, quem in deliciis habebat, rabidô in faciem commorsum seminaria istius veneni diu in sinu suô quasi fovisse, eaque tandem erupisse. Postquam enim is aliquot annis nihil incommodi vel molestiæ ex morsu illô sensit, animum ad virginem applicans eam in matrimonium duxit. Cœnâ itaque nuptiali peractâ & sponsâ ad lectum genialem deductâ, agnati eam paulô post vagientem & lamentantem audiunt: unde jocari, ridere & lusum venereum putâre. At verô ejulatu isto in multam noctem continuante fores Cameræ obsera-



obseratas vi effringunt, irrumpunt, & sponsum faciem sponsæ itemque scapulas, brachia & loca illa carnosiora, canis planè more, dentibus arrosisse & nondum ejusmodi morsibus finem imponere inveniunt. Hoc itaque tristi spectaculo & atroci facinore admodum perculsi illum animô iratô & percitô statim interficiunt. Verum & ipsa nova nupta eodem quoque die moritur. Item alium a Catellô, quem rabire nescivit, demorsum, neglectô vulnere post trimestre, eô ipso tempore, quô uxori virgini ductæ accubare primâ nocte debebat, in rabiem incidisse & strangulatam sponsam dentibus lacerasse, postea se ipsum invasisse, ex Libavio refert Christianus Franciscus Paullini *Cynograph. cur. Sept. 4. cap. II. p. m. 222.*

*quomodo veritas indaganda.*

§. 29. Sicuti verò in illô Casu, ubi scilicet aliquot tantùmmodo dies, vel septimanæ, vel etiam pauci tantummodo anni a dictô canis rabidi morsu usque ad commissi delicti tempus, præterfluxerunt, morsûs veritas, & quidem secundum superiùs adducta signa diagnostica, tam ab ipsô demorsô, quàm ab amicis, & aliis personis vel testibus adhuc viventibus eò faciliùs indagari potest; ita econtrà in posteriori casu, ubi morsus ejusmodi delictum capitale longum temporis spatium, v. g. decem, viginti aut triginta annos præcessisse dicitur, creditur, vel etiam fingitur, longè sanè difficilius veritas eruenda erit; quare in tali casu tam Medicum ratione relationis & postulati judicii, quàm Jurisconsultum & ipsum Judicem ratione defendendi rei & ferendæ sententiæ, cautos atque circumspectos esse decet; ut videlicet ante omnia de morsu, sive â cane aut lupô, sive etiam ab homine rabidô, ante plures annos inflictô, certiores fiant. Quare secundum superiora signa in symptomata, post acceptam læsionem aut inflictum morsum, communiter occurrentia, diligentiùs inquirant; siquidem μίασμα illud seu venenum per morsum canis rabidi communicatum in plerisque subjectis aliquot dies & ad quadragesimum, in nonnullis etiam aliquot menses & annos, juxta hactenus adducta, latere potest & solet, ita tamen, ut durante



rante

rante hoc temporis ſpatio interdum & per intervalla, & quidem vel ſecundum certas lunæ phaſes aeriſque conſtitutiones, vel poſt aſſumptum nimis generoſum aut ſuperfluum potum, vel poſt excandeſcentiam ſeu iram, quæ aliàs furor brevis audit, vel etiam poſt accenſam amoris flammam, quædam veſtigia aut certi gradûs dementiæ, delirii, melancholiæ, furoris aut ejusmodi corruptæ mentis ſigna, in commorſorum dictis & actionibus ab adſtantibus & familiaribus obſervari queant. Quamvis negandum non ſit, in aliis ſubjectis demorſis tale venenum etiam ita latitare poſſe, ut nec ipſi demorſi aliquid exinde incommodi vel morboſi, per totum illud tempus, in ſe ſentiant, nec alii quoque cum ipſis converſantes ullum rationis defectum aut furoris latentis notas in ipſis agnoſcere valeant; quæ tamen rabies tandem ex improviſo & datâ occaſione, v. g. ex nimiâ animi commotione, irâ aut œſtrô amoris cum proximi damnô excitari ſolet.

*demordens quando a pœna liberandus.*

§. 30. Quodſi proinde ex hactenus dictis & aliis ſignis, tum ab ipſius demorſi oculari inſpectione, tum ab adſtantium & amicorum teſtimoniô petendis, de verô Canis rabidi morſu ſive recentiori ſive jamdudum præteritô, certô conſtet, tunc ſanè, ut ad ſupra propoſitam Quæſtionem reſpondeam, in ejusmodi delinquente, ſive proximè ſive etiam longiùs ante commiſſum aliquod delictum ille â rabidô cane commorſus fuerit, (quanquam ſaltem levia phantaſiæ ſeu rationis depravatæ aut amentiæ ſigna ante patratum delictum apparuerint) pœna ordinaria poſt patratum homicidium, blaſphemiam &c. ob rationes allegatas, meâ quidem ſententiâ, locum habere non poterit, aut ad minimum cum tali perſonâ, per ſe miſerabili, mitius agendum erit; imprimis ſi vel ſtatim, vel poſt aliquod tempus â commiſsô tali facinore, nonnulla rabiei vel amentiæ ſigna, etiam leviora, aut perpetuò aut per intervalla tantum, in eodem ſubjectô delinquente reverâ adhuc obſerventur; quia rebus ſic ſtantibus delinquens non liberè, ſed vi per morſum olim communicatæ rabiei, actus ac ſtimulatus

tale



tale delictum committit & alteri damnum aut ipſam etiam mortem infert; hinc etiam ratione pœnæ pro rabioſô ſeu furibundô eſt habendus.

*de morſu ſimulatô.*

§. 31. Econtra verò ſi de rabidi Canis morſu in tali ſubjectô non certò conſtet, atque nec ante, nec poſt patratum aliquod facinus talia ſigna annotentur, tunc non immeritò ejusmodi morſus pœnæ metu effictus & ſimulatus videtur. Difficile enim, imò impoſſibile fere judicatur, rabiem per multos annos latitantem in momentô quaſi tantum furoris orgasmum in homine excitare atque poſt commiſſum actum facinoroſum extemplò iterum absque ulteriori notâ penitus ceſſare poſſe, adeò ut nullum planè rabiei vel inſaniæ ſignum ulterius appareat aut ab adſtantibus animadverſum fuerit. Cùmque illos, qui nunquam per totam vitam canis rabidi morſum paſſi ſunt, ſola irâ ad capitale aliquod facinus patrandum ſæpius adigi experiamur, cur non etiam ille, qui in teneriore ætate equidem â cane rabidô morsus fuit, absque tamen ejusmodi rabiei communicatæ operatione, pariter ſolâ excandeſcentiâ ad tale delictum committendum impelli poterit? Quamvis etiam in ejusmodi caſu plerumque delinquens â pœnâ ordinariâ liberetur, nihilominus tamen Medicus a Magiſtratu vel Judice ad ferendum judicium requiſitus ſecundum conſcientiam & circumſtantias ex Actis perluſtratis deſumendas veritatem & ſimulationem defendere tenetur.

*Exemplum & Reſponſum.*

§. 32. Tale Atteſtatum medicum de inſpectione ejusmodi inquiſiti triginta aliquot annorum, quem blaſphemiæ accuſatum Patronus causæ ob morſum â Cane rabidô, tertiô ætatis annô ipſius labio ſuperiori inflictum, a pœnâ liberare conabatur, reperimus in P. Ammann. *Prax. vuln. leth. Dec. 6 Hiſt. 9. p. m. 474.* ſcilic. Auff requiſition &c. habe ſo viel befunden, daß Inquiſit pro nunc keinesweges pro furioſô oder rabidô zu halten, indem er auff alles gantz beſcheiden und vernünfftig geantwortet: Und ob wohl in ſeiner Defenſion weit angeführet worden, daß die

 ver-

vermeynte Rabies und Furor von einem in ſeiner Jugend erlittenen thörichten Hunds-Biſſe herrühre, und vielleicht erſt damahls, als er die beſchuldigte Reden ausgeſtoſſen, ſich geäuſſert, ſo ſtreiten doch folgende rationes darwieder, weil 1) zwar nicht zu verneinen, daß bey vielen Autoribus Exempel vorhanden, da das Virus malignum per miaſma Canis rabidi vulneri communicatum ſich öffters gute Zeit, ja etliche Jahre verhalten, und hernach erſt die gewöhnlichen Symptomata cauſirt; Allein bey Inquiſiten iſt dieſes nicht zu præſumiren, indem der Hunds-Biß ihm wiederfahren, als er kaum drey Jahr alt geweſen, und alſo der Effect deſſelben vier biß fünff und dreyßig Jahr müſte zurück geblieben ſeyn, denn bey Examination ſeines gantzen Lebens hat man nicht befunden, daß ſich etwas dergleichen bey ihm hätte ſpüren laſſen. 2) Geſetzt aber, es hätte ſich das Miasma malignum ſo lange verhalten und nach ſo langen Jahren die Rabiem verurſachen können, ſo kan doch ſolches inquiſito nicht zu ſtatten kommen, weil er kurtz vorher, als er die beſchuldigten Worte heraus geſtoſſen haben ſoll, als auch bald hernach gantz nichts geredet oder begangen, ſo eine Rabiem anzeigete, ſo weiß er auch biß dato ſelbſt, was er damahls gethan und geredet, auch was vor Perſonen darbey geweſen &c. Und müſte ſich der furor alſo weiter nicht, als auff die ausgeſtoſſenen Schmäh-Worte erſtrecket und der Paroxysmus kaum in etlichen wenigen Stunden beſtanden haben, ſo aber gar nicht glaublich. 3) Iſt der Hunds-Biß an der Ober-Lippe und weiter nach dem Auge zugegangen. Weil nun dieſe partes dem Cerebro, nobilisſimæ tanquam corporis parti, imò officinæ ſpirituum animalium & nervorum origini ſehr nahe gelegen, ſo würde das Virus malignum (wenn es nicht alsbald durch gute Mittel wäre gedämpffet worden) ſelbigen gar leicht communiciret worden ſeyn, und ſich ſo viel Jahre nicht verhalten haben. Erhellet alſo vielmehr, daß Inquiſit eines feurigen Temperaments animi malitioſi, inquieti & ad iram proni ſey, welches alles dis von Jugend

auff



auff geführtes liederliche Leben, begangene Exceſſe, in Genieſſung ſtarcken Geträinckes und anderer Dinge nicht wenig vermehret &c. Quæ ſanè circumſtantiæ, â Medicô allegatæ, licet non ſint de nihilô, ſed grave pondus pro negativâ habeant: nihilominus tamen Facultas Medica Lipſienſis hunc inquiſitum ob ſequentes rationes, (primò quia ex rabidi Canis morſu teneris adhuc annis ipſi inflictô ad rabiem diſponi potuerit, cujus gradûs quidam ex actionibus, ſermonibus aliisque circumſtantiis, quorum intuitu in vincula ſit conjectus, elucescat, utpote quæ de nullô homine ſanioris mentis, niſi dementia quædam ſubſit, præſumi poſſent, inſuper quòd potûs generoſiores nunquam perferre potuerit, ſed ſi vel tantillum de iis aſſumſerit, mirabili mirabilior evaſerit) deliriô interpolatô laborâſſe & per conſequens â pœnâ blasphemiæ liberandum eſſe judicat. Ipſa autem Reſponſi dictæ Facultatis medicæ verba ita ſonant: Als uns dieſelbe die Inquiſition-Acta, Joachim David Krugmann betreffend, zugeſchicket und über nachgeſetzte Frage unſere Meynung gebethen: Ob nicht an Inquiſiten, zum wenigſten bißweilen ſo viel, daß er ſeines Verſtandes nicht jedesmahl mächtig geweſen, zu vermuthen? So geben wir ihnen nach collegialiſcher Erwegung der Acten zu verlangter Antwort, daß zwar bey Inquiſitens Bezeugung, und läſterlich ausgeſtoſſenen Worten viel Boßheit mit untergelauffen, ſcheinet; Alldieweil aber 1) derſelbe in ſeiner Jugend, von einen tollen Hunde gebiſſen, und hierdurch zu einer Rabie diſponiret werden können, dieſe auch 10. 20. 30. und mehr Jahr in corpore hominis zu latitiren pfleget, ſich auch 2) einige Gradus derſelben, ſo wohl jetzo, als vormahls, bey ihm vermercken laſſen, wir nicht allein fol. 128. 141. ſeq. und 157. ſondern auch aus ſeinen actionibus und Reden, Umbſtänden, welcher halben er zur Hafft gebracht worden, ſo von keinem verſtändigen Menſchen, wenn nicht etwas von einer dementiâ mit unterläufft, zu vermuthen, v. g. er müſſe eine Mord-That begehen: Nicht



GOtt,

GOtt, sondern der Teufel wäre im Himmel &c. die ausgestossene Lästerung und Bedrohung, wieder seinen Landes-Fürsten: er hätte den Teufel angenommen, &c. und gar wohl zu schliessen, daß er (besage fol. 128. 134.) niemals starck Geträncke vertragen können, sondern wenn er desselben auch nur ein wenig zu sich genommen, viel wunderlicher, als sonst ein wunderlicher Mensch pfleget, sich bezeuget, und schonvormahls deswegen den Nahmen des närrischen Krugmanns bekommen: So ist aus allen angeführten Umbständen zu præsumiren, daß er intervalla habe und unterweilen nicht allerdings mentis compos sey, mag auch gar wohl seyn, daß dessen Excesse im Trincken, die übele Ehe und dahero öffters entstandene Commotiones animi die dem Gehirne und denen Spiritibus, durch den Hunds-Biß communicirte Schwachheit, nach und nach vermehret, in actum gebracht worden sey. Leipzig den 9. Jul. 1688. v. etiam Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. med. legal. Part. I. Sect. 2. Cas. 28. p. m. 244. seqq.*

*In rabie â morsu post delictum inflictô, quid judicandum?*

§. 33. Si quis autem sanæ mentis & nunquam canis rabidi morsum expertus aliquod grave atque per longum temporis spatium occultum permanens delictum committeret, postea verò per rabidi cujusdam animalis læsionem in rabiem incideret, quæritur, an in tali hydrophobô seu rabiosô, hujusque facinoris ante morsum commissi, per testes convictô vel etiam confessô, tunc temporis pœna ordinaria locum habeat? Circa quam quæstionem equidem Justitiæ repugnare non videtur, ut delinquens, cùm hoc delictum non in deliriô, nec rabie, sed eô tempore, quô sanæ adhuc rationis potens mentisque compos fuit, & fortasse præmeditatè commisit, debitô etiam suppliciô pœnam luat. Quia vero Hydrophobi, seu rabidi canis morsu rabiosi, juxta Paul. Zacch. *Quæst. med. legal. Lib. 2. Tit. 1. Qv. 17. n. 21. fol. m. 192.* inter insanos connumerantur atque cum delirantibus, insanis & furibundis secundum superius adducta, pari privilegio gaudent, certè etiam hoc in passu ab illô excludendi non sunt. Quod confirmat etiam Enoch Glæserus *Disp. de*



*de Grat. delinquentib. faciend. Membr. 5. n. 86. caus. 4.* Neque verò, inquiens, quæ diximus, saltim obtinent in eô casu, quô furiosus in ipso furore deliquit, sed valent etiam, si peccaverit, cùm adhuc sanæ mentis esset, & postmodum furor eum invaserit. Nam durante hoc neque capitalis pœna neque corporis afflictiva ipsi dictari poterit, sed differenda est tantisper exsecutio, dum sana mens ipsi superveniat. At dicas licet, insaniam hancce tum demum impunitatem afferre, cùm ipsa causam dedit delicto, crimen autem sanâ mente commissum omninò vindicari debere: nihilo tamen minùs moribus nostris non esse receptum, ut furiosus de delictô ante patratô saltim furoris tempore pœnam patiatur, multi ex Ddribus ex. gr. And. Gail. *Lib. 2. Obs. 110. n. 22.* Nicol. Reusn. *Lib. 1. Decis. 17. n. 45.* Farinac. *part. 3. Oper. crim. Qv. 94. n. 13.* Matth. Stephan. *in not. ad art. 179. n. 4.* Petr. Theodor. *in Colleg. crimin. Disput. 10. th. 4. lit. H.* Carpz. *Qv. 145. n. 24.* Itaque consultius censent, pecuniariam, non capitalem pœnam in ipsum statui. &c. Imò non modò durante furore & rabie, juxta Glæserum, sed etiam tempore intervalli, seu mente post paroxysmum redeunte, furiosi & rabidi â pœnâ ordinariâ liberandi mihi videntur, quia ejusmodi affectus â quacunque animi commotione seu pathemate aliisque causis facillimè iterum excitari, rabidique denuò mente alienari atque corrumpi possunt.

*quid judicandum de rabie per salivam communicata?*

§. 34. Quod verò hactenus de verè admorsis seu canis rabidi morsu læsis, diximus, idem etiam, meô quidem judiciô, ad alios applicandum erit; & primò quidem ad eos, qui non equidem per morsum canis rabiosi, interim tamen per ejusdem, quocunque modô communicatam salivam seu spumam tale venenum in se recipiunt, quod aut ocyus aut tardiùs prorumpens eadem, quæ canis morsus, symptomata causari, rabiemque ipsam post aliquod tempus inducere valet; siquidem secundum Robertum Boyle *de Utilitat. Philosoph. experiment. Exercitat. 5. p. m. 323.* Saliva canis rabidi, licet vix dimidii

dii grani pondus exæqvet, Taurum etiam maximum rabie inficere, & in hominibus æquè ac brutis Symptomata tremenda producere potest. Quam vim infectoriam jam supra multis exemplis probavimus. Si itaque, ut breviter repetamus, juxta Baldass. Tim. à Güldenklee *Respons. 34. p. m. 1063. seqq.* à solò rabidi lupi insultu rusticus quidam delirium, Melancholiam & Rabiem contraxit; si secundum P. Andr. Matthiol. *Comment. in Dioscorid. Lib. 6. cap. 36. fol. m. 1009.* duo homines spumâ tantum profusi rabiem incurrerunt; si annotante Gvilelmô Fabriciô Hildan. *Observ. chirurg. Cent. 1. Obs. 86. p. m. 99. seq.* Matrona per solam spumam â Cane rabidô ipsius vesti communicatam inter resarciendum dentibus filum abscindens melancholiam, Hydrophobiam & tandem ipsam mortem passa est: Si, ad relationem Simonis Schulzii *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obs. 142. p. 204.* Puella â Salivâ ex ore spumante catelli domestici in corpore nudô hinc inde tantummodò commaculata vehementi rabie correpta est adeò, ut subsequenti die obierit: si, teste Juliô Palmariô *de Morb. contag. p. m. 329.* rusticus rabidus jamjam moriturus per osculum liberos suos rabie inficere ipsisque mortem accelerare potuit; sique tandem. Mulier illa apud Paulum Spindlerum *Obs. 99. p. m. 176.* demorso serviens atque cum eô pro cibô & potu communi vase utens, mediante Salivâ, rabida facta interiit; quod etiam de Themisone, Medico, judicat Petrus Andr. Matthiolus *l. a. & c.* sanè non immeritò etiam tali Salivâ seu spumâ Canis rabidi, madefactæ personæ post commissum capitale delictum (si videlicet in ipsis ante vel post patratum facinus Rabiei signa observentur) eodem cum verè demorsis Privilegiô gaudere debent, cùm pariter in his, uti in commorsis, communicatum μίασμα per tempus latere datâque occasione ipsam Rabiem excitare possit.

*per Instrumenta venenata.*

§. 35. Dantur etiam secundum superius adducta exempla, casus, ubi neque per morsum, neque per Salivam aspersam, sed tantummodò per gladium aut alia ejusmodi instrumenta, quibus Canis rabidus interfectus fuit, miasma hoc venenosum com-



municatur, ut læsus inde pariter, ac ab animalis rabidi morsu, Hydrophobiam seu Rabiem caninam quandoque etiam post aliquot demum annos, incurrere possit, qualia exempla recensuimus v. g. ex Zacut. Lusitan. *Prax. med. admirab. Lib. 3. Obs. 87. fol. m. 116.* de generoso quodam Viro, qui gladio, quô ante octo annos Canem rabiosum circumfoderat, irâ percitus tres viros graviter percusserat; qui omnes vulneribus curatis post tres annos Hydrophobiam & Rabiem passi perierunt. Aliud ex Joh, Schenck. *Obs. med. Lib. 7. fol. m. 848.* de puerô, qui gladium sub spondâ delitescentem atque ferrugine obductum, quô exactis pluribus annis Canis rabidus confossus fuerat, extersurus & perpoliturus improvidè sibi digito inflixerat vulnusculum, unde Rabie percitus periit. Adhuc aliud exemplum de Phlebotomô, quô Balneator antea partem â Cane rabidô morsam scarificaverat, contagium rabiosum communicante ex Jacob. Wolff. *Scrutin. Amuletor. p. m. 342.* jam supra recensuimus. Sicuti autem ejusmodi armis venenatis vulnerati post aliquot annos rabiem & mortem incurrere possunt, ita etiam, si tali rabie, ex improvisô aut datâ occasione, resuscitatâ adacti delictum aliquod committant, â pœnâ ordinariâ liberandi mihi videntur.

*per halitum.*

§. 36. Tertiò huic Classi quoque adscribendi veniunt, qui neque per morsum, neque per solam Salivam, neque etiam per arma contagiô infecta, sed solummodò per odorem & halitum ex Cane rabidô attractum vel admissum in Hydrophobiam seu Rabiem caninam incidisse leguntur. vid. Cæl. Aurelian. *de morb. acut. Lib. 3. cap. 9. p. m. 218. seq.* Casp. Theoph. Bierling. *Thesaur. theoret. pract. Cas. 9. Schol. p. m. 68.* Inquit etiam Aretæus *de Sign. & Caus. morb. acut. Lib. I. cap. 17.* si canis vel lupus aut animal aliud rabidum tantummodò in faciem, dum spiritus adducitur, inspiraverit, in rabiem homo agitur. Rustici cujusdam, qui â solô insultu lupi rabidi absque læsione externâ post annum summam Cordis anxietatem, delirium & melancholiam, imò rabiem ipsam passus est, adeò ut etiam vinctus custodiri neces-

se habuerit, paulò antè ex Baldaſ. Tim. â Güldenklee *Reſponſ. 34. p. m. 1062. ſeq.* mentionem fecimus.

*per carnem animalis comeſtam,* §. 37. Quartò etiam ex hoc Privilegio non immeritò â pœnâ ordinariâ immunes erunt, qui per carnes Lupi ſævioris, aut alius animalis rabidi, coctas & comeſtas, rabie inficiuntur, quale exemplum ſupra ex Johann. Fernel. *de abdit. Rerum Cauſ. Lib. 2. cap. 14. pag. m. 509.* allegavi. De hominibus, qui comeſtâ carne porci, rabidi canis morſu infeſtati, in rabiem verſi mox mutuis ſe morſibus laceraverant, vid. Johann. Schenck. *Obſervat. Med. Lib. 7. fol. m. 848.* ſimile exemplum refert etiam Petrus Borellus *Centur. 1. Obſerv. 75. p. m. 81.* Omnes ſcilicet, qui porci â cane rabidô demorſi carnem deguſtaverant, rabidos effectos fuiſſe. Huc pertinent etiam illi, quibus venenum ejusmodi rabioſum per alios cibos communicari poteſt, v. g. per eſum lactis vaccæ, â cane rabidô demorsæ; quale exemplum, ſane horrendum, in ruſticô quodam ejusque uxore, liberis & aliis Rabie infectis, ſupra ex Baldaſſ. Tim. â Güldenklee *Lib. 7. Caſ. 23. p. m. 327.* vidimus; cui aliud ex Johann. Riſtii Allerëdelſten Naß *pag. 43.* anneximus.

*de aliorum animalium morſu,* §. 38. Denique in antecedentibus adhuc varia ex aliorum rabidorum animalium atque volucrium morſu & ictu, poſt aliquod tempus, Hydrophobiam & Rabiem incidentium exempla commemoravimus v. g. Rabiei ab ictu Galli gallinacei meminit Cælius Aurelianus *l. a. p. 219.* De Hydrophobia ex felis morſu ante ſeptem hebdomadas inflictô, vid. Vit. Riedlin. *Curar. med. Millenar. Obſ. 658. p. m. 409.* de Hydrophobia poſt duos menſes â felis morſu, vid. Eberh. Gockel. *Gallicin. Dec. 3. Obſ. 9. p. m. 687.* eandem poſt tres ſeptimanas annotavit Fridericus Deckker. *Exercitat. practic. cap. 7. p. m. 561. ſeq.* Poſt ſex menſes, v. Anton. de Heide *Obſ. 62. p. m. 120.* ſeptem aut octo menſes poſt morſum felis, vid. Corn. Stalpart van der Wiel *Cent. 1. Obſ. 100. Sch. p. 400. ſeq.* A ſolâ ſcalpturâ felis rabioſi in dextrô pollice Juvenis poſt octo circiter menſes primò



mò melancholicus, dehinc hydrophobus, demumque rabidus factus eſt, vid. Gvilhelm. Fabric. Hild. *Obſervat. chirurg. Cent. I. Obſervat. 85. pag. m. 101.* De duobus pueris, qui â fele rabidô in pede Ungvibus dilacerati, poſt quatuor annos rabie vexati obière, vid. Stalpart. *l. a. pag. 405.* &c. Si itaque in ejusmodi demorſis aut ictu læſis venenum hoc infectorium per aliquot ſeptimanas, menſes & annos latitare, nihilominus tamen quocunque modô demum excitari poteſt, nemo etiam ejusmodi perſonas in caſu commiſſi alicujus delicti, cæteris partibus, ab hactenus allegatô pœnæ extraordinariæ beneficio excludet.

§. 39. Ut itaque de omnium animalium, imprimis rabidorum, morſu aut ictu judicium noſtrum paucis repetamus, libenter concedimus, quòd, ſi quis, qui proximè aut jamdudum ab ejusmodi animali revera commorſus, vel Salivâ ſeu ſpumâ tali venenoſâ madefactus, vel talismodi infectis armis, aut per carnis animalium rabidorum eſum, vel hactenus dictô modo læſus & infectus fuit, poſt aliquot menſes vel etiam annos, furore quodam, quamvis etiam leviori, per teſtes tamen fidê dignos ſufficienter probatô, adactus delictum aliquod grave aut capitale commiſerit, ob ſuprà, circa morſum Canis rabidi, adductas rationes pœnâ ordinariâ puniendus non ſit; ſiquidem inſuper, ſecundum Paul. Zacch. *Qvæſtion. med. legal. Lib. 2. Tit. 1. Qvæſt. 16. §. 43. fol. m. 190.* Actus, ab ejusmodi infectis celebrati, & quicquid tunc temporis geſſerint, magis ſuſpectum eſſe decet, quàm ſi aliô quovis tempore illud ipſum præſtiterint, &c. Item juxta Gottfr. Svev. *Synopſ. practic. nov. criminal. Saxon. Part. 3. Qv. 145. p. m. 434. ſeq.* regulariter furioſus ex delictô nec obligatur, nec pœnâ tenetur, cùm nullam voluntatem habeat & infanti ſimilis ſit; imò nec pœnâ extraordinariâ verè furioſus puniri poteſt; Interim tamen ſignis exterioribus aut per teſtes, de actibus furorem arguentibus, deponentes furor iſte probandus eſt; Qvâ in re aſſertioni Medici multum tribuitur, qui ex converſatione ejus cau-

*an â pœna liberet?*

causas & rationes deducat; quale exemplum de suspecto blasphemante ex P. Ammann. *Prax. Vulner. lethalit. Dec. 6. Hist. 9. p. m. 472. seq.* modò allegavimus.

*Cautelæ.* §. 40. Quodsi tamen quis tale delictum committens secundum hactenus recensitos Casûs, tanquam reverà â Cane rabidum hactenus recensitos Casûs, tanquam reverà â Cane rabidô ante aliquot annos commorsus, vel ejusdem Salivâ commaculatus, vel armis infectis vulneratus, vel carne rabidi animalis pastus, â Jurisconsulto defendatur; nunquam verò, neque ante neque post ejusmodi capitale delictum, in subjectô delinquente quædam ex superioribus rabiei signis â prudente & cautô Medicô aut ab adstantibus annotata fuerint; tunc talis rabies, quæ in momentô commissi delicti â delinquente ejusque Defensore adfuisse venditatur, vix pro verâ sed potius fictâ & simulatâ judicanda erit; siquidem ejusmodi insania seu rabies, uti jam suprà monitum, non momentanea est, nec statim penitus remittit, sed plerumque ad mensem unum vel plures durat, atque post aliquod tempus seu per intervalla, certas impotentiæ mentis notas aut hujusmodi symptomata post se relinquit, &, nisi mors præveniat, utplurimum tempore brumali aut ineunte vere recrudescere solet. Quare, detectâ veritate, ejusmodi delinquentes, rabiem ex morsu Canis, vel aliis læsionibus simulantes, â pœnâ ordinariâ liberandi non erunt, si videlicet, delinquentem ante aliquot annos â Cane, Lupô vel aliô animali rabidô admorsum vel hactenus recitatis modis læsum fuisse, per testes fide dignos minusque suspectos probari non posset. Præterea etiam in delinquentium vitam tum anteactam, an scilicet jamjam ante allegatum Canis rabidi morsum & commissum homicidium alia quoque facinora patrârit, tum etiam in subseqventem benè erit inquirendum, ejusque mores, actiones & gestûs bene observandi. Quam cautelam optimè notavit Baldassar Timæus â **Güldenklee** *in Responso alleg. p. 1065.* De tardâ veneni post rabidi Canis morsum operatione ubi equidem, â morsu Canis aut Lupi communicatam rabiem quandoque per satis longum tempus latitantem



tem demum erumpere aut excitari, variis Autoritatibus atque exemplis probat; interim tamen certum delinquentem, qui ante decem annos per rabidi Lupi insultum in delirium, melancholiam & rabiem inciderat, post commissum quoddam facinus, pro rabidô aut furioso agnoscere & judicare nolebat; & primò quidem, quia tam proximè ante, quàm post commissum delictum, nulla rabies aut delirium aut alia symptomata fuerint observata; deinde etiam ob vitam anteactam, quia idem delinquens, jam ante Lupi rabidi insultum diversa homicidia tum ipse commiserat, tum iisdem interfuerat.

§. 41. Denique paucis adhuc ex superioribus repetendum *de Hydrophobia sine rabie* mihi videtur, nonnullos â Cane vel aliô animali rabidô demorsos nonnunquam equidem Hydrophobiam, non autem semper rabiem pati, *v. MS. p. 288. Sch. 375. Lang. Oper. Vol. II. f. 122.* v. g. Fœmina quædam â fele rabido commorsa post duos menses integros Hydrophobiâ corripiebatur, rectâ tamen ratione pollens, juxta Eberh. Gockel. *Gallicin. medic. pract. Dec. 3. Obs. 9. p. m. 687.* Bajulus quidam a fele rabiosô morsus elapsis sex mensibus inter alia symptomata tantô horrore â liquidis corripiebatur, ut ad eorum mentionem rigeret atque valde angeretur; mens tamen constabat. v. Anton. de Heide *Observ. 52. p. m. 120.* Artis saltatoriæ quidam Magister â Cane rabidô morsus tertiâ post septimanâ in Hydrophobiam incidit salvô tamen judiciô. v. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 1. Sect. 8. fol. m. 180.* De Juvene, â Cane rabidò in labium demorsô, qui post tres menses Hydrophobiam incurrebat, semper tamen ratione præditus permanebat, vid. Steph. Blancard. *Collect. med. phys. Cent. 3. Obs. 45. p. m. 409.* Agricola quidam secundô mense post acceptum â Cane rabidô vulnus tantâ corripiebatur Hydrophobiâ, ut momentaneô saltem liquidorum intuitu statim angeretur quàm maximè, è lectô exsiliret, brachia pedesque concuteret ac de locô in locum sine quiete moveret, spiritum non nisi cum spasmodicis colli pectorisque motibus duceret, subinde clamores & ejulatûs miscens ita interruptos, ut latratum

tum canum non tam quoad sonum vel vocem, quàm quoad repetitas toties faucium & pectoris concussiones non nihil referrent. &c. Juxta hæc autem nullus unquam in ægrô deprehendebatur furor, quô adstantes morsu impetere aut vulnerare gestiret; quin rationis sufficienter compos in tantâ angustiâ præcordiorum mortis horam unicè petiit, annotante Theodorô Zwingerô, *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obs. 104. p. 134.* Et *Schol. pag. 140.* aliud exemplum pueri hydrophobi, cui tamen mens & sana ratio constabat, recenset. Quod autem hactenus de graduali Hydrophobiæ & Rabiei, â morsu canis rabidi exortæ, differentiâ adduximus, idem etiam circa rabiem, â solâ Salivâ, halitu & armis excitatam, locum habet; Et quamvis ab Hydrophobis, quos etiam graduali rationis defectu laborare supra diximus, absque superveniente Rabie, tanta delicta non adeò facilè neque adeò sæpe committantur; illos tamen per miasma contagiosum, mediante solâ Salivæ aspersione communicatum, pariter ad rabiem hactenus latitantem disponi; postque hujus eruptionem facillime facinus aliquod committere posse, negandum non est, â cujus tamen pœnâ ordinariâ cum ipsis demorsis liberandi erunt.

Hactenus de variorum animalium, verbi gratiâ Canum, luporum, volucrium & ipsorum hominum rabidorum morsibus, indeque ortis symptomatibus, imprimis de Hydrophobiâ seu Rabie caninâ egimus, sequitur nunc in specie ratione morsûs humani

*QVÆSTIO II.*

*de Hominis morsu.*

*An, si homo hominem morsu adeo lædat, vel tale ipsi vulnus infligat, ut pessima inde Symptomata & ipsa mors subsequantur, talis delinquens pœnâ ordinariâ v. g. homicidii sit afficiendus?*

*de morsu sani hominis.*

§. 1. Pro responsione ad hanc quæstionem ex suprà dictis repetendum ante omnia est, morsum hominis, nostrâ sententiâ, utplurimum tripliciter, videlicet vel â sanô, & non iratô, vel ab iratô, vel â rabidô peragi, atque gradu inter se differre. Morsus enim primi gradus, qui vel ab amante, vel etiam a fœminâ picâ laborante, infligitur, secundum experientiam & adducta exempla, nihil aut parum detrimenti vel periculi infert, nisi mordens persona sit valde morbosa, vel morsus admodum penetrando musculorum fibras nimium dilaceret; quod ultimum tamen â persona amante vix metuendum erit. Et quamvis etiam ejusmodi morsus amorosus aliquid incommodi inducat, quia tamen nunquam animo nocendi infligitur, vix ulla de his disceptandi, cum amor omnia perferat, ratio vel locus erit.



*de morsu irati.*

§. 2. Circa secundum autem morsûs humani gradum, qui scilicet ab homine iratô impingitur, longè aliud ferendum erit judicium, cùm non modò animô nocendi fiat, sed varia & pessima Symptomata, quandoque etiam ipsam mortem causetur; siquidem, secundum Johannem Ludovicum Hannemannum, hominis irati morsus æque venenatus est, ac alterius alicujus animalis venenati, & morsus hominis iræ furorisque expertis non est venenatus *vid. M. N. C. Decis. III. An. 3. Observat. 54. pag. 65.* & ex mente Petri Lotichii *Comment. in Petron. Satyr. Lib. 2. pag. 262.* Hominis irati sputum adeo acre ac potens est, ut veneni quasi naturam induat; præsertim si quis ab iratô mordeatur. Inesse autem homini irato vim venenosam, vel maximam nocendi facultatem, varia testantur Symptomata ipsi personæ irascenti supervenientia; prout enim ab irâ commoti spiritus in has vel illas partes irruunt, varia quoque edunt symptomata, dum nunc sangvinem & reliquos humores, nunc solidas partes diversimodè afficiunt; unde nonnulli irati, quid agant, ob disturbationem spirituum nesciunt; alii Vertiginem, tremores artuum, palpitationes cordis, Epilepsiam, Apoplexiam & Paralysin incurrunt; In aliis ab irâ intestina flatu replentur uterusque attollitur, & oritur Colica, Tympanites, Erysipelas, Icterus, calculus in folliculo fellis, scirrhus Epatis, dolor hypochondriacus, hæmorrhagia & sexcenta alia, imò ipsa mors.

*ab irâ variæ symptomata.*

Quod

Quod etiam probant Exempla, v g. Wenceslaus, Bohemiæ Rex, ob nimium iræ fervorem Paralysi interiit. Et Valentinianus ob nimiam in Sarmatas indignationem sangvine prorumpente animam efflavit, vid. Joh. Bicker. *Herm. rediviv. Sect. 2. cap. 7. p. 356.* ubi etiam ex Hieronymô Cardanô refert, Thomam Girardelum, Civem Bononiensem â dentis evulsione irâ percitum statim febri acuta cum doloribus spinæ, pectoris & laterum correptum fuisse una cum palpitatione cordis & vomitu biliosо, quoniam sangvis illa vehementi commotione biliosam dispositionem acquisiverat, cujus portio quædam per stomachum ejecta est, reliqua verò, cum exitum non haberet, ipsum in paucis diebus interemit. Sic vir quidam quadragenariò major, rixâ inter eum & socium natâ, sclopeti majoris tubô, in thorace circa Cordis regionem contusivô ictu percutitur, sub quintam pomeridianam. Noctu irâ æstuans insomnisque mirè agitans consilia, mœrens sibi tantam vim illatam. Manè curarum irarumque plenus domum egressus, sub meridiem rerum suarum satagens, in publicâ plateâ Lipothymiâ corripitur, & nisi parieti nixus, â sociô adjutus fuisset, in terram ruiturus vicini ædibus excipitur; vix sedili ad ignem impositus tres præter propter sangvinis libras vomitu reddit. Erat autem sangvis glomeratus, niger, fæculentus, saporis acidi, odoris tetri, vid. Henr. ab Heer *Obs. 20. p. m. 182.* Militis uxor vegeta ac bene colorata, cùm primò mane ad iram pertinacem adacta fuisset, post prandium insultum apoplecticum, adstantibus tale quid non sperantibus incurrit, totâ facie rutilans, cui supervenientes motus convulsivi vitæ filum penitus abruperunt. vid. Joh. Jacob. Harder. *Apiar. Obs. 36. Schol. p. 167.* item *p. 163.* viri iræ œstro vehementiori perciti atque post varia symptomata defuncti mentionem facit. Sic Pistor Islebiensis a Concivi ad iram commotus illicò cadit humi bos, ac si fulmine sit tactus, sicque in quintum usque diem mutus permanebat demumque Vomitorio restituebatur, juxta Ambrosium Stegmannum *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obs. 103. p. 218.* Scribit etiam Johannes Nicol. Pechlinus *Observ. phys. medic. Lib. 3. Obs. 25. p. m. 458.* se vidisse, quibus ad iram paulò vehementiorem nares protinus stillarent sangvine, etiam fœminas, quibus Naturalium hæmorrhagia ad iræ impetus sæpiusculè recurreret. Ibidem etiam addit novum & inusitatum Magistri Equitum symptoma, qui cum sæpe aliàs ad quamvis excandescentiam, tum maxime in Prælio Ratenaensi, dum cum hoste pugnaret eumque occideret, tanto sangvinis ex auribus profluviô, quod animi irati vehementia concitaverat, inundabatur, ut â suis post prælium agnitus & ipse graviter vulneratus crederetur, donec detractæ vestes illæsum corporis habitum, aures autem ab hæmorrhagiâ svetâ saucias ostenderent. Idem Autor novit etiam Apothecarium perpetuò indignabundum, & vel cum aliis vel secum ipsô litigantem, qui tandem, post varias colicæ species in Tympanitidem incidit nullis remediis superabilem. Mulier quædam cætera sana & felices fœtus edere solita duas horas post effusam iram fœtum quatuor mensium abortiebat, cum insigni sangvinis profusione. Ex eadem causâ non minus tristis sequebatur affectus in quadam matre filiam duorum mensium lactante, quæ post iræ effervescentiam inconsideratè filiæ mammas â virore plus quam biliosо nondum liberatas porrigens paulò post habebat epilepticam & post octo horas mortuam; referente Johanne Georgiô Sommerô, *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 172. p. 387.* vid. etiam Joh. Rudolph. Camerar. *Syllog. memorabil. medicin. Cent. 10. §. 52. p. m. 782.* Nicol. Tulp. *Observ. med. Lib. 2. cap. 20. p. 134. seq.* Apoplexiam ab ira in Cive quodam Dresdensi, cui nomen Neteri; & Epilepsiam in binis subjectis fœmininis ipse observavi. De effectibus iræ evolvatur etiam Johannis Wieri *Liber de Ira, Oper. p. m. 794. seqq.*



§. 3. Sicuti verò ex adductis symptomatibus iræ malignitas ejusque in hominis excandescentis humores operatio, horumque corruptio, facile proditur, ita etiam tale venenum, mediante morsu & permixtâ Salivâ, aliis personis maximô quando- *morsûs hominis irati symptomata.*



que

que cum damno communicari poſſe, modò ſuprà allegata, modò alia exempla confirmant;in quibus varia & peſſima ſymptomata, utpote ulcera cacoëthica, dolores extremos,febres, convulſiones, Syncopen, Gangrænam, Sphacelum & amputationem ſeu reſectionem demorſæ partis, imò Hydrophobiam, Maniam & ipſam mortem annotata rcperimus. e. g. Ulcere cacoëthico diu affligebatur meretrix ſuper ancham immaniter commorſa. vid. Zacut. Luſit. *de Prax. med. admir. Lib. 3. Obſ. 88. fol. m. 116.* ubi etiam viri meminit, cui poſt jurgia digitus index ab alterô morſu violentô abſciſſus eſt, & ita ulcus venenoſum totam manum contaminavit, ut ſolum eâ præcisâ ſuperſtes remanſerit. Item bajulus bajulum humi jacentem ſupra genu morſu ita decerpſit & laniavit, ut commorſus, obortâ Gangrænâ & usque ad bubonem ſerpente virulentia, vitam finiret. Gangrenæ cum variis periculoſis ſymptomatibus meminit Johannes Baptiſta Lamzweerde *Appendic. ad Joh. Scultet. Armament. Chir. Obſ. 96. p. m. 282.* itém Gvil. Fabric. Hild. *Obſ. chir. Cent. 1. Obſ. 84. p. m. 98. & Obſ. 85. p. 99.* item *Cent. 4. Obſ. 87. p. m. 168.* vid. etiam Domin. Panarol. *Pentec. 2. Obſ. 42. p. m. 54.* Maniam & inſanabile vulnus ex iracundi morſu in ruſticô annotavit Joh. Dolæus Encyclop. med. *L. 1. cap. 4. p. m. 61.* Imo Hydrophobiam, Maniam & ipſam mortem incurrebat Juvenis, qui irâ graviter percitus ſibi ipſi indicem digitum morſu cruentô vulnerârat, teſte Joh. Bapt. Scaramuzzi *Act. Erudit. Lipſ. An. 1702. Menſ. Apr. p. m. 147.*

*eorum differentia.* §. 4. Quamvis etiam negandum non ſit, ejusmodi ſymptomata, quæ ſæpius hominis irati & rabidi morſum comitantur, non tantùm Salivæ ipſiusque malignitati per vulnus ſangvini communicatæ, ſed interdum etiam contuſioni, attritioni & morſui ipſi adſcribi poſſe; cùm ſecundum experientiam & judicium Ambroſ. Par. *Chirurg. Lib. 20. cap. 9. f. m. 436.* talem contuſionem non incidentes, ſed contundentes, utpote obtuſi, minimè verò acuti dentes qvandoqve inferant, qvô fit, ut in carnem ſubire neqveant, niſi contundendo & atterendô, gravium & obtuſorum ictuum telorumqve more, qvibus illata vulnera contu-

tu-



tumaciora ſunt, quàm quæ incidentibus & acutis telis inferuntur; Interim tamen ab admixtâ mordentis irati Salivâ malignâ ſeu venenatâ, bileque ac impetuoſis ſpiritibus imprægnatâ, eadem ſymptomata & quidem longè vehementiora expectari poſſe, dubium non eſt. Sicuti enim, ſi quem Canis ludens atque nec iratus nec rabidus dente vulneraverit, vulnus citò medicabile infligit; quodſi autem iratô dente non adeò profundum, ut antea, ludens vulnus inflixerit, tunc id vulnus ex irâ veneni reddit particeps; ita etiam in hominibus iratis accidere ſolet, quippe qui ſi irâ perciti aliquem demordent, vulnera maligna & venenata inferunt, quæ aliàs ſine iracundiâ inflicta neutiquam adeo nociva aut venenata fuerint. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. med. legal. Part. I. Sect. 3. Caſ. 17. pag. m. 326.* Hinc etiam juxta Michaelis Ettmülleri *Oper. med. Part. II. fol. m. 1667.* Dentes hominis ex ſe ſunt innoxii, ut & Saliva, his tamen ſæpe immedicabile aut certè periculoſum infligitur vulnus, ubi ira vehemens eosdem armavit in perniciem; Et ſecundum Daniel. Beckher. *Microcoſm. medic. Lib. 1. cap. 3. pag. m. 10.* Symptomatum ex morſu provenientium cauſæ non ſunt dentes, in qvibus â naturâ nihil venenoſitatis ineſt; ſunt enim oſſa, & quidem duriſſima & ſicciſſima ad maſticationem imprimis â naturâ nobis conceſſa; Experientia quoque confirmat, talia ſymptomata non fieri ratione oſſis: quot enim mordentur, qui facillimô, nullo ſuperveniente accidente, negotiô curantur? Videmus infantes papillas mammarum nutricum dentibus vulnerare, unde ni niſi dolor, propter partis ſenſibilitatem, ſubſeqvitur: Oſſa quoque alia fracta partes vulnerant, nec ſimile quid excitant: Adhæc quot pueri in caſu fortuitô dentibus vel lingvam vel labia vulnerant, facillimeque curantur? Verum alia adeſt circa dentes materia, ſputum ſcilicet ſeu Saliva, & quidem non omnis, alias enim morſus placati & ſedati hominis & infantum, utpote qui ſputum in ore habent, eſſet tam pernicioſus: Aſt ille morſus eſt periculoſus, in quô ſputum tantopere agitatur, ut ſpumæ red-

 datur

datur simile, & acrimoniam ac venenositatem quandam ob bilis, quæ commovetur, ebullitionem acquirit: tale sputum quia virulentiam aliquam habet, insinuat sese vulneribus à dentibus factis, & ad partes corporis circumstantes defertur; quodsi illæ nervosæ fuerint, tunc ob venenositatem & humoris acrimoniam stimulantur, ac ad spasmum motus convulsivos efficiendum, irritantur, &c. Quantum etiam ira ad morsum malignum valeat, docet Michael Ettmullerus *l. a. fol. 969.* non solùm, inquiens, per morsum ab animalibus rabidis reddimur nos homines rabidi, sed etiam ipse homo, aut jam rabiosus factus, aut sine Rabie, modò graviori irâ sit percitus, morsicando alios similiter potest reddere ferè rabiosos, aut si non Rabiem, reverà læsiones malignas ac admodum periculosas infert.

*Iratus mordens quomodo puniendus?*

§. 5. Si proinde, ut ad quæstionem nostram redeamus, aliquis solô Iræ orgasmô stimulatus, absque prævió canis aut alterius animalis vel etiam rabidi hominis morsu mordendô alium ita lædat, ut exinde gravia symptomata, Gangræna, Sphacelus & ipsa mors, nullô auxiliô, nec medicô, nec chirurgicô, impedienda subsequantur, tunc sanè ejusmodi persona mordens, quia non rabiei vel miasmatis venenosi, ab aliô homine vel bestia rabida communicati impulsu, uti de morsu canis rabidi dictum, sed tantùm affectûs proprii & animi irati proximoque nocendi instinctu, (quem tamen secundum divinam legem compescere atque sedare debuisset) tale delictum, seu morsum, subsequens homicidium inevitabiliter post se trahentem, commisit, ob tale facinus, æquè ac si manu hominem interfecisset, ordinariâ pœnâ, cæteris paribus, afficienda videtur. Quam sententiam exemplô confirmat Zacutus Lusitanus *de Prax. medic. admir. Lib. 3. Obs. 88. fol. m. 116.* non excusabitur, inquiens, â suppliciô homo, qui morsu suô alium hominem momorderit; nam cùm duo bajuli inter se hostiliter rixarentur, horum quidam alium humi jacentem ita morsu plusquàm caninô supra genu decerpsit & laniavit, ut miser commorsus, oborta in parte Gangrænâ & usque ad Bubonem serpente virulentiâ, quæ nullis unquam auxiliis cohiberi potuit, vitam finiverit. At mordens apprehensus, patibulo affixus pœnam persolvit.



*defenditur.*

§. 6. Attamen contra hanc per irati hominis morsum commissi Homicidii pœnam ordinariam annotari atque excipi posset, primò mordentem, in ipsô morsûs actu nocendi equidem & vindicandi, non tamen occidendi animum habuisse atque ita homicidium dolosum non intendisse. Quis enim sibi imaginabitur, eum, qui alium interficere in animum sibi induxerit, illud per morsum, non autem potiùs per aliud instrumentum, esse tentaturum? ut taceam paucissimis hominibus innotescere, dari exempla eorum, qui absque præcedente Canis rabidi morsu solâ irâ perciti mordendô aliis mortem intulerint; hinc vix sibi aliquis hunc necandi modum eliget. Deinde sicuti juxta Gottfr. Svev. *Synops. Rer. crimin. Part. 1. Qu. 3. p. m. 6.* in læsionibus lethalibus semper conditio & qualitas Instrumenti lædentis consideranda est; ita hôc loco neque dentes neque Saliva hominis, â rabidô cane antea non commorsi, ad alium interimendum sufficiens videntur, si præprimis, ratione loci, talis morsus musculosis seu carnosis & â principiô nervorum remotioribus partibus fuerit inflictus. Et licet tertiò in adductô Zacuti exemplô Gangræna morsum humanum superveniens nullis auxiliis, ut loquitur Autor, cohiberi potuerit, sed mors subsecuta sit; quæritur tamen, an in hoc Zacuti exemplô circa curam, tam medicam, quàm chirurgicam omnes cautelæ cum debitâ diligentiâ & rectô tempore adhibitæ fuerint. Sæpius enim ex ignorantiâ & negligentiâ Chirurgi ægrotos seu ejusmodi demorsos de vitâ periclitari, testantur Autores. Exemplo sit Mercator, in quô post morsum apicis in digitô, quia nec ritè curatus, nec ulla vitæ regiminis ratio habita fuit, exortus est magnus dolor, aliaque graviora symptomata. Cùm vero posteà de abscisione manûs barbitonsores duo, quibus curandum se commiserat, in-

ter se conferrent, ægrotus alios Chirurgos vocari jussit. Qvi, cùm ad eum pervenissent, invenerunt totam manum inflammatam & jam incipiente Gangræna correptam; dolores quoque extremi, Convulsiones, febris ardentissima, Syncope & Inquietudines maximæ aderant, ita ut non solùm de manu, sed etiam de vitâ periclitaretur. Curâ autem ultimorum Chirurgorum hic æger, divinô favore, convaluit, ita ut non manum, imò ne digitum quidem morsum amiserit. vid. Gvil. Fabr. Hild. *Cent. 1. Obs. 84. p. m. 98.* Alia adhuc exempla vid. apud eundem *Cent. 4. Obs. 87. p. 169. & Epist. Cent. 1. Epist. 79. p. m. 413.* item Paul. Spindler. *Observ. 98. Schol. p. 174.* Quartò etiam in adductô exemplô Zacutus annotavit, bajulos illos anteà hostiliter rixatos & demorsum in terram prostratum atque laniatum fuisse. Ex quibus circumstantiis, quales in aliis ejusmodi exemplis plerumque etiam occurrere solent, sufficienter patet, utrumque scilicet læsum æque ac lædentem furore adeò actos fuisse, ut ex utriusque humorum atque spirituum motu inordinatô varia & pessima symptomata, etiam absque accedente morsu, oriri potuissent. Quintò etiam fieri potest, ut in tali casu læsus seu admorsus minùs bonâ valetudine gaudeat, sed potiùs variis impuritatibus salibusque corrosivis infarctum corpus alat, quæ, sive per morsum, sive per præcedentem & subsequentem excandescentiam magis magisque in motum rapiantur, varia in corpore, præprimis circa partem affectam & admorsam, symptomata excitare, sicque minus malum augere possunt. vid. Joh. Bohn. *de Renunciat. Vulner. Sect. 1. p. m. 83. seq.* Gottfr. Welsch. *Rational. Vulner. lethal. Judic. cap. 14. p. m. 125. seq.* & Sam. Hafenreff. *de Cut. Affect. Lib. 3. cap. 4. p. 424. seq.* ubi ex Galeno inquit: Hominum morsus aliis ulceribus admodum similes sunt, nisi, qui morsum acceperit, vitiosis humoribus abundet, aut diutius a cibo abstinuerit, aut ira correptus sit, ut universum corpus, etiam dentes bile madeant, tam igitur & mordens iratus, quàm morsus vindicandi cupidine inflammatus ac incensus venenatâ quadam inficiuntur qualitate, &c. Quod sextò pariter de lædente judicandum, cujus massa sangvinea variis humoribus scorbuticis, venereis, corrosivis & contagiosis imprægnata esse potest. Si proinde ex ipsius morsu atque commixtâ salivâ tales particulæ malignæ læso seu admorso communicentur, id non tam lædentis voluntati, quàm interno ipsius humorum vitio adscribendum erit. Certò enim certius est, salivam aliam præ aliâ magis esse virulentam: unde etiam ejusmodi morsus præ aliô morsu periculosiora generare solet symptomata; & ex eodem principiô non omnes iratorum morsûs periculosa symptomata ipsamque lethalitatem inducunt; qualia exempla bina idem Zacutus *l. a.* recenset; vid. etiam superius allegata exempla. Septimò, quamvis etiam morsum hominis summè irati, absque præcedente morsu canis rabidi, pessima quandoque symptomata, v. g. Mania & ipsa mors, sequantur; quia tamen ejusmodi morsus non nisi â summè iratò exerceri aut infligi solet, itaque cum furore pari ferè passu ambulat; Et, juxta Virgil. Æneid. 2.

præcipitant furor iraque mentem.

Vel secundum Palingen. Zodiac. 9.

Ira adeo mentem confundit, ut ebria bile
Ferventi nequeat dignoscere, quid sit agendum.

Ideoque etiam furor, licet brevis, dicitur, & in tali furore lædentis seu mordentis humores, aliàs etiam incorrupti & sani depravantur, nonne ex hoc fundamentô ejusmodi delinquens mitiùs tractandus & a pœnâ ordinariâ liberandus erit? cùm insuper secundùm superiùs allegata exempla morsus humanus sine irâ inflictus talia symptomata periculosa non causetur. Cui octavò & ultimò accedit, si mordens ab admorsô in principiô rixarum variis injuriis lacessitus, ad iram provocatus, vel etiam verbis ac verberibus eò redactus fuerit, ut pro sui defensione præter manûs etiam dentes necesse habuerit. Has

Has tamen rationes non tam pro exculpando reô, quàm defendendô innocente apponere volui, ut omnibus circumstantiis probe trutinatis eò firmior sententia ferri queat.

*morsus rabidi hominis periculosus.* §. 7. Quantum denique rabidi hominis morsum attinet, ex hactenus dictis sufficienter patet, eundem æque ac ipsius rabidi Canis morsum esse periculosum atque funestum, quia ipsa Rabies juxta Johann. Coster. *Theor. & Prax. Tab. II p. m. 42.* â peculiari venenô animalis rabidi, vel secundum G. Wolffg. Wedel. *Disp. alleg. de Hydrophob.* per contagium mumiale specificum homini communicatur. Et quæso, si â Salivâ Parentis, per morsum canis rabie perculsi, secundum Julii Palmarii exemplum, idem morbus per osculum liberis communicari potuit, aut si, secundum Thomam Bartholinum, mulier per vomitum mulieris rabiosæ venenosum ejusque meram aspersionem vel solum halitum ita infecta fuit, ut tertiâ die obierit, quis de contagiô per morsum rabidi hominis communicando dubitabit? Ideòque etiam talis rabidus homo sive â Cane rabidô ante aliquod temporis spatium commorsus, uti â reliquis delictis capitalibus, ita etiam â morsu noxiô indeque dependentibus pœnis excipiendus erit.

*Maniaci morsus.* §. 8. Quod autem hactenus de morsu rabidorum, seu â cane rabidô demorsorum diximus, idem etiam ad Maniacorum morsum erit applicandum. Sicuti enim ex morsu hominis rabidi demorsus æque rabidus, ita quoque ex morsu maniaci læsus maniacus evadere potest; quod docet exemplum supra ex Dolæo allegatum, de muliere maniaca Torgaviensi, quæ ex Philtrô Maniâ laborare putabatur. Hæc scilicet lictorem, eandem in custodiam magistratûs jussu abducentem, prope axillas mordendô, in eandem calamitatem conjecit, ut posterô die similiter ac illa fureret. Quis itaque in tali Phantasiæ ac mentis corruptione mordentem seu delinquentem ad pœnam ordinariam condemnabit?





## QUÆSTIO III.

*An ex præsentiâ spumæ in aut circa os Infantis recens nati certum & infallibile signum, quod fœtus iste extra Uterum vixerit, atque a matre suffocatus fuerit, desumi queat?*

§. 1. Circa hanc quæstionem ante omnia sciendum, quid hôc locô per spumam intellectum velimus, & unde dicta spuma ortum trahat. *Spuma quid sit?* Nobis scilicet spuma hôc locô est serum illud viscosum seu Saliva, ex glandulis tam oris, quàm faucium, & circa Laryngem sitis per certa ostiola certosque ductûs ad os delatum, vel ex asperâ arteriâ & ipsis pulmonibus excretum, atque mediante aere ad & extra os & labia expulsum, sub formâ vesicularum seu bullularum minimarum apparens atque per tempus permanens; uti sæpissime in dormientibus & ægrotantibus, imprimis epilepticis & apoplecticis, suffocatis & agonizantibus videre licet. Veteres equidem Salivam spumosam seu spumam in adultis â pituitâ ex Capite & Cerebrô destillante per aerem rarefactâ & â spirituosô oppressi pulmonis vapore derivabant; nobis tamen assentientem habemus Thomam Willisium *Tr. de Morb. convulsiv. cap. 3. pag. m. 457.* ita scribentem: Ejusmodi spuma haudquaquam â Cerebrô descendit, nullus enim, per quem transeat, meatus patescit; verùm â pulmonibus inflatis ac usque laryngem elevatis, unde velut cum effervescentiâ quâdam & ebullitione Saliva spumescit. Item Laurentius Bellinus *de Morb. Capit. p. m. 448. seq.* ubi de Apoplexiâ agit, idem confirmat, spuma, inquiens, est quid compositum ex aere & liquidô aqueô viscidiori; spuma igitur reddi non poterit, nisi liquidum ejusmodi adsit: in Apoplexiâ autem minima vis viget in partibus, & ad secretionem humorum vis illa requiritur; igitur secernitur liquidum illud, vel ratione copiæ solius, vel ob debilitatem succumbentis naturæ, nempe villos ob lassitudinem cedentes. Quia verò aqveum liquidum in os deducitur vel per ostia canalium salivalium, vel per asperam arteriam ex pulmonum glandulis

minimis, vel per œsophagum ex ipsius glandulis, & ventriculo: respirat autem apoplecticus; igitur undecunque spumæ liquidum derivetur, admisceri poterit äëri, qui respiratur, adeoque formam spumæ induere, &c. Et juxta Johann. Bohn. *Colleg. pract. MSt.* Materia spumæ est modò serum ex pulmonibus transsudans, modò salivalis humiditas ad os deposita, & per crebriorem ac difficiliorem respirationem in spumam redacta. Item Nicolao Tulpio *Observ. medic. Lib. 1. cap. 6. pag. m. 11.* spuma spiritûs seu äëris & humorum mixtio est.

*oritur ab äëre.* §. 2. Sicuti autem omnis spuma in humoribus tam utilibus, quàm excrementitiis, item in morbis, & operationibus pharmacevticis, sive ab agitatione & conquassatione, sive ab effervescentiâ & fermentatione ortum sumat, semper aërem habet intermixtum, quod bullulæ interspersæ evincunt; ita etiam spuma circa os vel labia cadaveris seu fœtûs mortui reperta, â salivâ seu lymphâ viscidâ, ex glandulis suprà nominatis, mediante circulatione humorum fœtus, exsudante, & ab aëre, qui è pulmonibus emissus sese cum serô commiscet atque vesiculas seu bullulas, (quæ absque aëre existere non possunt) efformat, omninò derivanda est.

*in Quæstione duo membra.* §. 3. His de spumæ origine præmissis ad quæstionem ipsam progredimur, quæ quidem duobus membris constat, quorum prius de signô vitæ fœtus extra uterum ex spumâ circa os desumendô, posterius de fœtûs suffocatione agit.

*spuma an signum fœtus mortui? affirmatur.* §. 4. Quod primum membrum attinet, Autores in duas imprimis sententias abire videmus, quorum pauci, & quantum quidem mihi annotare licuit, unicus tantùm spumam hanc circa os pro signô fœtûs in uterô maternô jamjam defuncti habuit; scilicet Medicus ille Reichenbachensis, qui juxta Pauli Ammanni *Prax. Vulner. lethal. Decad. 6. Histor. 8. pag. m. 470.* scribit: **Es ist kein Merckmahl eines todtgebohrnen Kindes, als** spuma circa os, tumor œdematosus, maculæ lividæ **welche** indiciâ fœtûs in uterô mortui **zwar nicht allemahl zugegen**, vid. Ammann. *Medicin. critic. pag. 453.* **zu vernehmen gewesen** &c. Minimè tamen ex tali, circa os infantis mortui repertâ spumâ, certum signum de fœtu in uterô matris defunctô, (imprimis si moriens adhuc membranis suis involutus fuerit,) desumi poterit, sed potiùs ob aërem & respirationem denegatam contrarium videtur concludendum, uti ex sequentibus elucescet. Saltem hôc locô circa ultima Medici Reichenbachensis, Parenthesi inclusa, verba, paucis adhuc monendum venit, Paulum Ammannum, locô ex Medicinâ criticâ adductô, ex Ambrosiô Paræo locum de infante â nutrice suffocatô allegare, quem tamen hic Medicus Reichenbachensis, contra Ammanni sensum & intentionem, ad infantem in uterô maternô jam defunctum applicat. *negatur.* Reliqui autem & plerique Autorum â tali spumæ circa os præsentiâ potiùs ad vitam fœtus, extra uterum jamjam constituti, infallibiliter concludunt, & quidem ideò, quia, secundùm superius dicta, spuma ex humore viscidiore & aëre constat; aër verò pro formandâ hac, extra vel intra fauces apparente spumositate, non nisi per exspirationem seu expulsionem è pulmonibus sero viscido seu salivæ communicari, eique immisceri potest; porrò quia talis aëris expulsio seu exspiratio semper ingressum vel impulsum, vulgò attractionem seu inspirationem præsupponit, & absque aëre externo nulla Respiratio hincque nulla spuma datur; unde necessariò fœtum, circa cujus os spuma observatur, extra uterum jam vixisse, ex hac spumâ plerique Medici concludunt. *Spuma signum fœtus vivi.*

*Autoris dubium circa sputam.* §. 5. Pace tamen tot tantorumque virorum scrupulum, qui me quandoque in scribendis ejusmodi relationibus ac ferendo judiciô vexavit, ut aperiam, libentissimè equidem concedo, in spumâ esse aërem, talemque spumam ab aëre per respirationem communicatô ordinariè dependere; an verò, juxta sententiam communem, dicta spuma circa

circa fœtûs nati os, seu in ipsius faucibus, reperienda, tantummodò à fœtûs jam exclusi & extra uterum maternum viventis respiratione expectanda sit, vel annon dentur etiam Casus, ubi in fœtu nondum editô, talis spuma excitari, imò in Utero matris ante exclusionem jam defunctô post partum observari possit? dubius hactenus fui; siquidem aliquando in Infantis ex torô legitimô orti, partuque difficili in Lucem editi, faucibus & circa os, statim antequam ablueretur, spumam quandam observare mihi licuit. Quæritur itaque, unde talis spuma statim & in momentô partûs apparens? Fœtui equidem, quamdiù adhuc membranis suis inclusus Amnii aquis innatat, nullus aer externus communicari, sicque fœtus nec respirare, nec spumam in faucibus vel circa labia habere poterit; quamvis nonnulli Autores fœtûs respirationem non penitus negent, de quibus alibi pluribus. Quodsi verò in partu difficili, ubi disruptis membranis, fœtus adhuc aliquandiu, interdum per aliquot horas vel etiam dies, ob varias δυστοκίας causas intra uterum hærere cogitur, anne in tali casu apertô scilicet orificiô uteri internô, aeri externo per vaginam & dictum orificium omnimodus aditus, aut in fœtus pulmones ingressus, erit denegandus? si præsertim mater ad partum laborans aeri libero sit exposita. Per quamcunque enim viam liquor Amnii effluere potest, per eandem etiam aeri ingressus non denegabitur. Aut si fœtus capite exitum quærens, facie aliquatenus versus vaginam obversâ, atque ob situm vitiosum circa orificium internum adhuc vivus oreque apertô per tempus detineatur, tandemque mortuus ex Uterô prodeat; Aut si fœtus capite vaginæ uteri per tempus inhærens respiret, nihilominus tamen animam denique exhalet; Aut si fœtus in situ naturali, capite jam exserto, ob humeros latiores vel ob alia Partûs impedimenta aliquandiu detentus, absque Obstetricis aut aliarum muliercularum auxiliô (siquidem personæ suspectæ & meretrices graviditatem utplurimùm celantes solæ sibique relictæ parere allaborant) demum vivere desi-

*Spuma à respiratione fœtûs in partu.*



nat mortuusque nascatur; Vel etiam si fœtus ferè editus in Uterum matris redeat, quale exemplum fœtûs extra uterum propendentis inque uterum regredientis annotavit Johannes Patersonius Hayn *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obs. 62. p. m. 160.* scilicet in Hungariâ fœmina quædam partui vicina Anno 1669. incepit parere fœtum, ut jam extra uterum totum exereret caput, sed fœtus, ejulatu bis ter editô, iterum in uterum fuit abreptus, per duas septimanas ibi adhuc hæsit & dein legitimô partu fuit exclusus. Sequentem Observationem communicat Georgius Dethardingius: Fœmina generoso Viro nupta, primipara mense quô gravida septimô circa finem doloribus partûs, id est, gravissimis corripitur, prosiliunt aquæ, sed & caput infantis, crinibus sat pro more longis tectum prodit. Quis non instâsse partum pronuntiâsset? Adstans obstetrix, & hujus opinione, fœtu non ultrà prodeunte, consveta sibi & usu familiaria facta remedia, ad fœtum, quod volebat, expellendum, idonea propinat. Degenerasse dixisses hæc ipsa pharmaca, cùm fœtus, loco exclusionis speratæ, prima potius quæreret latibula, tamque firmiter illa teneret, ut post septem demum hebdomadas prodire ac fortiori quasi saltu palæstram hanc mundi semel visam intrare volupe fuerit. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Appendic. pag. m. 149.* Ut fœtûs illius, qui Sagunti, Annô, quô ab Annibale deleta est, in Uterum protinus reversus dicitur. vid. Plin. *Histor. natural. Lib. 7. cap. 3. fol. m. 107* hoc loco non meminerim. Quæ tamen an vera, an ficta, non liquet juxta Bartholinum *de insolit. Part. viis cap. 2. p. m. 17.* Huc etiam referri posset ejusdem Bartholini Observatio de Abortu revocato: Scilicet Fœmina tertiâ & decimâ hebdomate imprægnationis fitulam pleniorem tollens abortum ferè rejecit, ruptis membranis & exitum Embryone moliente; quem tamen jam prodi turum obstetrix, capite gravidæ declivi elevatisque cruribus subtili manuum opera iterum intrusit, eo effectu, ut quamvis Lochia ad tertium diem fluerent, retentus tamen

fœtus justô tempore deinde fuit exclusus, diu superstes. vid. Thom. Bartholin. *Centur. 4. Histor 57 pag. m. 355.* Inquit etiam Ludovicus Bonaciolus *de Fœt. format. p. 312.* mirum est & ætate nostra nunquam visum, editum infantem protinus in uterum reversum, inter ostenta enumeratum, nonnulli (nec ignobiles) prodidere. In quibus & aliis ejusmodi Casibus absque dubiô aer externus per fœtus os & nares illabi, atque â fœtu iterum expelli, sicque respiratio fieri potest. Cùmque in tali statu ob compressionem Musculorum colli & asperæ arteriæ Respiratio non æquè libera, sed aliquatenus impedita sit, absque dubio aer iste per unicam quoque vel plures inspirationes & exspirationes è pulmonibus expulsus facillimè mucum seu serum salivale in asperâ arteriâ & faucibus rarefacere atque in bullulas seu spumam redigere, vel etiam, si fœtus in ejusmodi statu per aliquot momenta vivus permanserit, eandem extra os expellere valebit; pariter uti in strangulatis & suffocatis fieri videmus. Hac itaque ratione etiam contra sententiam Friderici Ruyschii, (qui juxta Christiani Henrici Erndt *de Itinerar. suo Anglic. & Batav. pa.g m. 83.* persvasus, quòd si etiam accidat, ut in ipsô exitu in vaginâ exspiret fœtus, nullum tamen adhuc dum aerem recepisse pulmones, putat) aeris sub partu in pulmones fœtus vivi ingressum atque spumositatis possibilitatem demonstrari posse, statuo.

*Autorum consensus.* §. 6. Huic meæ sententiæ favere video gratiosam Facultatem Medicam Lipsiensem in Responsô ad Qvæstionem de Infanticidiô, ubi fœtum in ipsô partûs momentô respirare, mox autem sub eodem partu decedere posse innuit, vid. Christoph. Hellwig. *Cas. & Observat. Part. I. Cas. 2. pag. m. 28.* Et Johannes Bohnius *Differt. I. de Infanticid. in Tract. de Renunciat. Vulner. lethal. nov. Edit. in 4. p. m. 174.* prolixè de hac materiâ tractans statuit, fœtum in uterô adhuc commoratum per vaginam & uteri orificium internum tantum aeris admittere ac pectore recipere posse, quantum ad pulmones ejus tantisper explicandos ac natatiles reddendos exigitur, qui tamen fœtus deinde mortuus exturbari posset. Si proinde, juxta verba allegata, per uteri orificium internum ad pulmones penetrans aer eosdem aliquatenus expandere valet, cur non etiam in infantis faucibus aut circa os spumositatem excitare poterit? Imò interdum fœtûs in uterô defuncti pulmones aquæ supernatare scribit Heydentryck Overcamp. *Oeconom. animal. cap. 12. pag. m. 258.* Et Isbrandus de Diemerbroc. *Anatom. Lib. 2. cap. 13. fol. m. 307.* refert, se Anno 1666. in fœtu maturô, paulò ante partum in Uterô extinctô, Pulmonis colorem quidem aliquantò magis rubicundum, quàm in adultis, sed tamen nonnihil variegatum seu cinereum reperisse, talemque substantiæ mollitiem ac spongiositatem, ut aquæ injectus pulmo minimè subsideret, sed nataret. Item Christophorus Helwigius *l. a. Part. 2. p. m. 116.* ad Quæstionem, annon circa parturientes accidere possit, ut fœtus capitetenus natus respiratione quidem fruatur, ob angustiam autem viarum, & ob constrictionem interni orificii uteri, ab ulteriori exclusione & extractione impediatur, hocque modô suffocetur? affirmative respondet, & qvidem ex eô fundamentô, quia, teste experientiâ, fœtus situ naturali exitum in partu quærens internum Uteri orificium Capite suo sufficienter expandit, ut totum corpus per illam viam expelli vel extrahi possit. Quod si verò, post egressum Capitis, parturienti dolores vel vires ad partum & fœtum ulteriùs excludendum necessarii deficiant, ut humeri cum reliqvô fœtûs corpore non statim inseqvi possint, tunc in tali casu ab internô uteri orificiô se constringente fœtus ab extra jam respirans strangulatione interimitur. Annotavit etiam Johannes Gvilhelmus Weidmannus *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. VI. Observat. 90. p. m. 383. seq.* Pulmones fœtus, in utero materno extincti, ex parte aqvæ innatantes, ex parte subsidentes: fœtûs nimirum, in matris demortuæ utero sepulti, Pulmones cum aqvæ immergerentur, eorum portio qvædam ad fundum mox tendebat, qvam tamen mediis in aqvis, jucundo admodum spectaculo, suspensam tenebat, pars residua in aqvæ superficie

ficie fluctuans; Imò resectorum unius ejusdemque lobi fragmentorum alia aquæ horizontaliter innatabant, alia plumbi instar fundum statim petebant, prout nimirum spongiosæ jam magis, vel compactioris adhuc viderentur esse substantiæ. Hujus autem curiosi phænomeni rationem allegatus Widmannus aeri deberi statuit, qui sub parturiendi extremis conatibus (quamvis fœtus cranium ossa pubis & ischii inter instar cunei adeo infixum hærens, ut non nisi maximâ vi, peractâ sectione, extrahi potuerit, totum vaginæ ambitum arctissimè obstruxerit) in uteri cavitatem irruebat, utque adeò fœtus ille in uteri ergastulò adhuc delitescens respirare cœperit. Refert etiam Johannes Schenckius *Obs. medicin. Lib. IV. fol. m. 586.* fœtus cujusdam caput triduum extra naturalia in partu propendisse, qui tamen fœtus tandem salva matris & infantis vita fuerit extractus. Scilicet Cardanus de utilitate de seipso scribit: Triduo mater mea laboravit in partu, capite prominente: cùm ipsa jam diuturnos ferre dolores non posset, per vim tandem extractus, ut meô suppliciô matrem liberarem a morte.

*Spuma ab inhalatione in os fœtus.*

§. 7. Deinde dantur adhuc alii casûs, ubi in fœtûs, in uterô maternô jamjam defuncti, ore aliquam spumositatem excitari posse probabile est; Si v. g. ipsa mater, fœtum, proximè ante partum mortuum, pariens, vel obstetrix aut mulieres adstantes & puerperæ ministrantes, talemque fœtum non pro mortuô, sed summè debili aut syncopizante habentes, eâ intentione, ut illum excitent vel è mortis faucibus eripiant, fœtus ori & naribus auram seu flatum aliquoties inhalent; id quod etiam in ejusmodi casu dubiô sæpisſimè cum fœtus in vitam quasi revocatione ab obstetricibus fieri experimur; tunc sanè aër inspiratus in regressu facillimè in ore fœtus mortui spumam excitare poterit. Huc pertinet, quod observavit Johannes Bohnius, in pagum evocatus, ut de nati cadaverculô, an matris culpâ forsan perierit? renunciaret. Accedens Bohnius non tantùm ex hujus, sed obstetricis quoque, quæ ipsi in partu opem tulerat, ac cæterarum adstantium relatione intelligebat, fœtum non modò



dò aliquot ante partum horis in latere sinistrô matris sine omni motu & in glomum quasi convolutum jacuisse, sed mortuum quoque, h. e. sine motu aut quovis aliô vitalitatis indiciô eductum fuisse: nisi postquam eadem obstetrix, quò illi, quantum possibile, suppetias ferret, eumque forsan suscitaret, hujus faucibus spiritum fortiore conamine inhalaret, bis autem exhalare visus fuerit. Post sectionem hujus infantis pulmones è thorace tenellô extractos, satis albicantes Bohnius injecit aquæ, cui supernatârunt, fœtûs nihilominus ante partum mortui; sine dubiô, quòd inhalatione obstetricis explicati & rarefacti fuerint. vid. Johann. Bohn. *l. a. pag. 173.* vid. etiam Johann. Bohn. *Specim. tert. Medicin. forens. §. 37.* ubi plura de hac materia reperies. Posse autem (ut hæc obiter addam) non modò infantes, sed etiam adultos, quasi demortuos, per insufflationem iterum in vitam revocari, testatur non modò Petrus Borellus *Cent. 3. Obs. 58. p. m. 241. seq.* exemplò famuli Domino suo jam sepulturæ condendo halitum in os fundentis, illumque paulatim ad vitam revocantis, sed etiam Johannes Georgius Grübelius, & quidem exemplô ancillæ heram suam post puerperium pari modô per insufflationem è morte revocantis. Cùm enim Anno 1679. uxor quædam primipara feliciter peperisset, nihilque periculi jam esse reliqvum putâsset, tanta illam ex improvisô invasit Lipothymia, ut jam excessisse è vitâ videretur. Nil enim audiebat, nil sentiebat, sed ut mortua jecebat ultra horæ quadrantem cum facie pallidâ, cumque pulsu vix sensili. In his angustiis vocatus Medicus ad remedia in domô proximâ reservata properat. Ancilla verò in servitiis suis fidelisſima in absentiâ Medici superposuit se super puerperam, huicque insufflavit halitum suum in os, quô receptô mox illam revocavit in vitam. Uxor de somnô quasi profundô excitata quærit, quidnam illi jam fuerit factum? nullius enim rei se posse recordari, sensusque omnes in momentô fuisse extinctos, dixit, &c. *v. M. N. C. Dec. II. An. 10. Obs. 44. p. 88. seq.*

Ddd §. 8.

*à putrefactione.* §. 8. Porrò fœtui in uterô maternô jam ante aliquod tempus denato Corruptio & Putrefactio interdum supervenit maxima, adeò ut non solum Intestina nigricantia flatibus distenta, sed etiam externè per Cutem & internè hinc inde multæ vesiculæ, interdum ad Unciæ & palmæ ferè magnitudinem, quandoque serô corrosivô impletæ, interdum etiam aere distentæ appareant; qualia exempla aliquot & inter hæc quoddam fœtûs extra Uterum disruptum & putrefactum in Abdomine reperti observare mihi licuit. Cùm itaque ab humoribus in putrefactione fermentantibus aer per poros corporis transit & expellitur, ut in Cute, secedente cuticulâ, vesiculæ excitentur; quidni etiam in ejusmodi casu idem in pulmonibus, faucibus & ore expectabimus, ut aer in serô fermentante ibidem contentô vesiculas seu bullulas aut spumam producat & extra os propellat? qualem mucum spumosum in modò dicti fœtûs ore apertô & tumidô tunc temporis alii mecum observabant Medici. Quinimò quandoque in fœtûs, in uterô maternô jamdum defuncti & semicorrupti, Cavitatum, v. g. thoracis & inflati seu tumidi abdominis, aperturâ & primâ incisione sibilum & aerem cum fœtore auribus percipimus. Nonne ejusmodi aer etiam per pulmones ad os vel narium meatûs cum lymphâ rarefactâ & spumositate exitum quærere posset? Quod autem de infantibus in uterô maternô jam corruptis diximus, idem etiam locum habet in illis, qui â matre post furtivum amorem & partum clandestinum rejecti seu sepositi interdum post longum temporis spatium tandem semiputridi reperiuntur; in horum scilicet faucibus sæpissimè spumam observare licet, quæ æque ab humorum fœtûs jam exclusi fermentatione & putrilagine, quàm ab ejusdem in uterô adhuc detenti vel in vagina ob partum difficilem per tempus hærentis aliquali respiratione derivari potest; cùm secundum Friderici Ruyschii sententiam in Cadaverculô â longô tempore jam extinctô & aeri liberiori expositô pulmonum structura adeò



deò possit everti, per supervenientem fermentationem, ut supernatent aquæ, licet in uterô matris extinctus fuerit fœtus, v. C. H. Erndel. *l. a. p. 82.* v. etiam Joh. Bohn. *Dissert. alleg. p. 175.*

*Spuma in fœtu membranis adhuc incluso.* §. 9. Denique etiam talis spumositas in faucibus, asperâ arteriâ & pulmonibus Infantum utero materno atque membranis suis adhuc incarceratorum, absque ullo externi aëris appulsu, exinde defendi posse videtur; quia scilicet primò fœtus, tunc temporis & ante ipsius membranarum rupturam, innatat Amnii liquori, qui aliquatenus viscidus per matris motum vel etiam uteri vehementem in partu agitationem facillimè in spumositatem redigi, hæcque in fœtûs os apertum propelli atque post partum adhuc in eodem apparere potest; quod innuere etiam videtur Johannes Bohnius *de Offic. Medic. duplic. Part. 2. cap. 6. p. m. 672.* In recens, inquiens, natorum, ante partum, sub partu & brevi post partum defunctorum faucibus ac pulmonum vasis trachealibus par spumositas non rarò observatur, eveniens aut ex mucositate pulmonum connata, aut ab aquis secundinarum, fœtûs ora interiora irruentibus atque opplentibus. Deinde quia gravidæ matris sangvis, qui â primæ formationis ortu ad exclusionem usque fœtui ab ipsâ communicatur, aerem Respiratione attractum seu impulsum in se continet, qui deinde mediante Circulatione sangvinis ad pulmones, fauces & os fœtûs seu Embryonis defertur, ibidemque simul cum serô per glandulas secretus in magnâ putrefactione hanc spumam seu bullulas efformat & quandoque extra os protrudit. Dari autem aerem in sangvine & reliquis humani corporis humoribus, præter flatûs & ventos in variis partibus incarceratos, evincit Antlia. *Aer in sangvine.* Quamvis etiam talis aer ciborum seu assumptorum materiâ flatulentâ exoriri credatur & concedatur; antequam tamen ad Cavitates thoracis & abdominis perveniat, sangvinem & serum permeet necesse est; unde etiam mediante sangvine vel serô flatulentô pariter ad pulmones & fauces pro formandâ spumâ deferri poterit; ut de Vagitu uterinô *Vagitus uterinus.*

rinô & Respiratione fœtûs in uterô maternô brevitatis gratiâ jam nihil dicam; de quibus tamen, & quidem de vagitu uterino, evolvi potest Thom. Bartholin. *Cent. I. Histor. 1. p. m. 1. seqq.* Baldass. Tim. â Güldenklee *Lib. 4. Cas. 24. p. m. 222.* Dan. Sennert. *Prax. Lib. 4. Part. 2. Sect. 5. cap. 8. p. m. 374.* Joh. Bohn. *Differt. I. de Infanticid. in Tract. de Renunciat. Vulner. lethal. Edit. nov. in 4. p. m. 176.* ubi dicit, non vanam fabulam esse, Infantulos in uteris matrum aliquando auditos fuisse vagientes hocque exemplô sequenti comprobat. Memini, inquiens, ipsemet quandam Theologi nostræ Universitatis & Ecclesiæ Archi-Diaconi uxorem Anno 1684. gestantem tale quid penes se aliquoties & memet ipsum illi assidentem percepisse &c. Georg. Seger. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 164. p. m. 295. seq.* Joh. Paterson Hayn. *l. a. An. 1. Obs. 62. p. 160. seq.* de Vagitu fœtûs vicies in uterô audito, vid. And. Libav. *Epist. ad Hornung. v. Joh. Hornung. Cist. med. Epist. 81. pag. m. 216.* vid. insuper Robert. Boyl. *Nov. Experiment. phys. med. de Vi Aër. elast. Experim. 41. p. m. 144.* Udalric. Rumler. *Obs. med. Obs. 97. p. m. 58.* in Georg. Hier. Vesch. *Curation. &c.* Aliquot exempla vagitûs & ploratûs uterini congessit Joh. Rudolphus Camerarius *Memorabil. medic. Cent. 1. §. 9. seqq. p. m. 870. seqq.* Fœmina tertiâ vice gravida Mense septimô frequentes & insolitas plane sensit fœtûs commotiones, quas tandem vagitus vel clamores ejusdem tribus distinctis vicibus sequebatur, ut vir accumbens admonitus aures arrigeret & eosdem quoque manifestè perciperet, referente Christiano Vatero *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obs. 196. p. 497.* vid. adhuc Rosin. Lentil. *Jatromnemat. Part. 2. cap. 2. pag. m. 360. seqq.* ubi multa referuntur exempla, Bernh. Verzasil. *Obs. 3. pag. m. 9. seq.* Christ. Franc. Paullin. *Lagograph. Sect. I. cap. 3. p. m. 94.* ubi multa exempla allegat; it. *M. N. C. Dec. 2. An. 6. App. Obs. 37. p. 45. seq.* Joh. Sperling. *de Format. Homin. in Uter. cap. 7. Qv. 2. p. m. 143. seq.* Petr. Borell. *Cent. 3. Observ. 72. p. m. 254. seq.* Haynæ, in patriâ meâ, honestam fœminam cum marito aliquoties vagitum fœtûs in utero adhuc delitescentis observasse, ejusdem loci Medicus per literas certiorem me fecit.

Pullos



Pullos item intra ovorum testas, biduô antequam excludantur, pipire, nemo nescit; & Catellos in uterô maternô latrâsse, ex Georgii Balthasaris Mezgeri Disputatione recenset Georgius Frid. Rallius *de Generat. Sect. 7. §. 4. p. m. 353.* An verò vagitus uterinus reverà detur, seu an fœtus in uterô maternô existens unquam vagitum excitaverit, alii Medici adhuc dubitant, vid. Rosin. Lentil. *l. a. p. 365.* & Theodor. Craanen *Tract. de Homin. cap. 100. p. m. 742. seq.* Joh. Nic. Pechlin. *de Aer. & Aliment. defect. cap. 8. p. 103.*

§. 10. Deinde Respirationem fœtus in uterô alii negant, alii affirmant. vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obs. rar. Cent. post. Obs. 32. Sch. p. m. 331. & 352. seqq. 358. seq.* qui varia loca ex Hippocrate, Galeno & aliis Autoribus recentioribus allegat. Gvalter. Charleton. *Oeconom. animal. Exercit. 8. §. 15. p. m. 177.* Georg. Frid. Rallins *de Gener. animal. Sect. 7. p. 352. seq.* Gvil. Cockburn. *Oeconom. Corpor. animal. p. m. 166.* Act. Med. Berolin. *Vol. X. p. 57.* Lambert. Velthuys. *Tr. de Generat. cap. 11. Op. p. m. 1351. seq.* Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. med. legal. Cas. 16. §. 39. p. m. 331.* Robert. Boyl. *Nov. Experim. Physic. mechanic. de Vi aeris elastic. Experim. 41. p. m. 144.* ubi dicit: non videri absurdum, si quis dixerit, grandescentem fœtum (præsertim cùm superior involventis Amnii pars liquore destituta sit, & halituosâ tantùm substantiâ compleatur) obscuram quandam Respirationem exercere, præcipuè cum non sit vana fabula, infantulos in uteris matrum auditos fuisse vagientes. vid. etiam El. Camerar. *Medicin. conciliatr. p. m. 120. seq.* Marc. Gerbez. *Chronol. med. pract. An. 1. §. 7. seqq. p. 7. seq.* Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib. 2. cap. 13. f. m. 307.* Jean Palfyn *de la Circulation du Sang dans le Fœtus &c. p. m. 46. 50. seq.* Matthiæ Tiling. *Disquis. de Placent. Uter. Artic. 15. p. m. 409. seqq.* Joh. Nic. Pechlin *de Aer. & Aliment. defect. cap. 8. p. m. 97. & 102.* Theodor. Cranen *Oeconom. animal. p. m. 292.* La Medecine dogmatique mechanique de Loius Bellefontaine *p. m. 335.* Huc pertinet etiam Suctio Infantis in uterô, dum liquorem Amnii assumit. *de Respiratione fœtus in Utero.*

§. 11. Si itaque, secundum hactenus adducta, in Infantis, in u- *Judicium de signo ex sputo ma.*

 terô

terô maternô & ante extractionem jam defuncti, faucibus & circa os, ſive â reſpiratione antecedente, ſive ab inflatione aeris, ſive â putredine, ſive quâcunque aliâ causâ ſpuma formari poteſt, quamvis etiam id rariſſimè obſervetur, nullum ſanè, de vitâ fœtûs extra uterum, infallibile ſignum â ſola hac ſpumâ deſumi poterit; pariter, uti neque ex colore & ſubſtantiâ, neque ex ſupernatatu & ſubmerſione pulmonum in aquâ, de vitâ & reſpiratione fœtûs extra uterum aliquid certi judicare licet. Quia autem hæc materia propriè ad ſalivam non ſpectat, ſequentes Autores de eâ evolvi poterunt: Joh. Muys *Chirurg. ration. Decad. 5. Obſ. 2. p. m. 261.* Paul. Ammann. *Prax. Vuln. lethal. Decad. 6. Hiſtor. 1. p. m. 410. ſeqq. usque ad 433.* Corn. Stalpart van der Wiel *Obſerv. rariar. Cent. poſter. Obſ. 32. Schol. p. m. 353.* Carol. Raygerus *v. M. N. C. Dec. 1. An. 6. & 7. Obſ. 202. p. 299.* Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. medic. legal. Part. 2. Sect. 7. Caſ. 5. p. m. 562. Caſ. 8. p. 568. ſeqq. Caſ. 9. & ſeq. p. 574. ſeq.* Malach. Thruſton. *de Reſpirat. p. m. 85.* Johann. Swammerd. *de Reſpirat. cap. 5. p. m. 38.* Dan. Tauvry *Anat. p. m. 97.* Zeller. *Diſput. de Pulmon. Infant. in Aqua ſubſidentiâ,* Steph. Blancard. *Collect. med. phyſ. Cent. 5. Obſ. 92. p. m. 162. ſeq. usque ad 187.* Joh. Bohn. *de Offic. medic. duplic. Part. 2. cap. 6. p. m. 662. ſeq. usque ad p. 670. Ejusd. Diſſertat. I. de Infanticid. Tr. de Vulner. lethal. Edit. nov. p. m. 171. ſeq.* Et *Medicin. Forenſ. Specim. III §. 36.* Chriſtian. Franc. Paullin. *Philoſophiſche Luſt-Stunden Part. 2. cap. 24. p. m. 178. ſeq.* it. *Philoſ. Feyerabend cap. 79. p. m. 739. ſeq.* Chriſtoph. Hellw. *Caſ. & Obſ. p. 17. 19. 20. 27. & 119.* De pulmonibus infantis per horas octodecim extra uterum viventis, in aqua ſubmerſis, vid. Ephemer. *Cent. I. & II. Obſ. 121. p. 147.*

*Cautela pro judice.*

§. 12. Tandem circa primum propoſitæ Quæſtionis Membrum, de ſpumâ circa os vel in faucibus infantis recens nati, Prætor ſeu Judex inter alia ſigna de ſitu fœtûs in uterô, poſt disruptas fœtûs membranas & profuſas Amnii aquas, ex obſtetrice quærat, ſeduloque, ân infans facie verſus vaginam obversâ exitum tentârit? an, exſertô capite, diu humeris latioribus hæſerit?



ſerit? an aquæ diætæ diu ante partum fuerint profuſæ? an internum uteri orificium diu apertum fuerit? an poſt partum obſtetrix aut mater, vel alia perſona halitum ſeu aerem fœtûs ori immiſerit ſeu inſufflârit? an quisquam ſpumam circa fœtûs labia obſervatam abſterſerit? an mater difficili partu laboraverit? an fœtus corruptus vel putridus fuerit, &c. ex adſtantibus inquirat.

*An ſpuma ſignum ſuffocationis?*

§. 13. Porrò quoad poſterius prædictæ Quæſtionis membrum, an ſcilicet ex tali ſpumâ circa os infantis recens nati infallibiliter concludi poſſit, talem fœtum â matre vel nutrice aut aliâ perſona ſuffocatum eſſe? pariter negativæ, i. e. nihil certi de ſuffocatione exinde colligi poſſe, ſententiæ ſubſcribimus. Sicuti enim de abſentiâ talis ſpumæ ad non ſuffocatum fœtum argumentari non licet; ſiquidem dantur exempla Infantum, in partu vel etiam extra uterum adhuc viventium, atque â causâ externâ ſuffocatorum, in quibus tamen circa os & nares nulla ſpuma obſervatur; & quidem vel ideò, quia ſceleſta mater vel in ipsô partu talem ſpumam caſu abſterſit, vel proximè poſt partum ſtudiò manu vel linteaminibus fauces ad ſuffocationem usque obſtipavit ſeu infarſit, vel pro celando ſcelere ſuffocato fœtui ſpumam circa labia hærentem præmeditatè abſterſit, vel etiam fœtum in aquam aut cloacam præcipitavit, ut adeò in fœtu recens vivô natô atque reverâ ſuffocatô nullum ſpumæ veſtigium deprehendatur; Ita etiam ſpumæ circa recens nati infantis os præſentia magnam equidem ſuffocationis ſuſpicionem, nullum tamen infallibile ſignum præbet; ſiquidem, ſecundum hactenus allegata, in fœtus vivi adhuc in uterô maternô detenti, vel etiam in partu vel proximè poſt eundem defuncti, faucibus quandoque ſpuma excitari, extra labia expelli, poſteaque, niſi in fœtûs extractione â matre vel obſtetrice abſtergatur, absque ullâ â matre patratæ ſuffocationis culpâ per aliquod tempus apparere poteſt. Conſentientem hac in re habemus Joh. Bohn. qui *Tract. de offic. med. duplic. Part. 2. cap. 6. p. m. 672.* ex ſpumâ circa os recens natorum infantum

tum, hos vivos ſuffocatos fuiſſe, infallibiliter haud concludi judicat, ſed ubi de recens natô infante controverſia emergit, i. e. ubi ſpumâ repletum hujus os & fauces, an ideò vivus à matre fuerit ſuffocatus, in aquam aut cloacam demerſus, categoricè pronunciare veretur. Quare Medicus in ferendô de hac ſpumâ, & fœtûs recens nati ſuffocatione, judiciô cautus ſit, nec ſoli huic ſigno fidat. Ipſi autem Judici, ſecundum all. loc. haud paradoxum videri debet, ſi Medicus, ubi de infanticidiô ſuffocatoriô equidem ſuſpicio eſt, ejus tamen nulla alia ſigna evidentia ullibi comparent, ſuum judicium ſuſpendat, aut per illius ſpumoſitatis inſufficientiam neget. vid. etiam ejusdem Bohnii *Specim. 3. medicin. forens.* §. 44.

*in Infantibus adultioribus.* §. 14. Interim tamen, in infantibus ante aliquot dies & menſes natis, vel etiam in adultioribus ſpumam circa os & nares, vel in ipſis faucibus, aſperâ arteriâ & pulmonibus, ſecundum certas circumſtantias, pro ſuffocationis ſignô haberi, minimè inficiandum; hinc etiam Ambroſius Paræus *Tract. de Renunciation. fol. Oper. 655.* ſcribit: Si antea perbellè ſe habebat infans, ſi querulus non erat, ſi os & nares nunc ipſi mortuo ſpumâ turgida madent, ſi facies non quidem pallet, ſed violacei & tanquam purpurei eſt coloris, ſi mox diſſectô pulmones ſpumâ velut vaporulentâ turgeant, reliquis viſceribus ſanis, ſuffocati & ſtrangulati impetu aliquô externô infantis argumentum eſt. Et juxta Fortunat. Fidel. *de Relation. med. Lib. 4. Sect. 4. cap. 2. p. m. 585.* in univerſum ſciendum eſt, eſſe ſymptoma his omnibus, quibus inſpirationis uſus intercipitur, ut ſpumam ex ore emittant, &c. An autem talis ſuffocatio ab admotâ vi externâ, an verò â cauſâ internâ dependeat, ex hoc ſuffocationis ſigno per ſe adeò certi non reddimur, ſiquidem ejusmodi ſpumam circa os etiam in Apoplecticis & Epilepticis â cauſâ internâ quotidie obſervamus.

*de ſpumâ apoplecticorũ.* §. 15. Hinc etiam ex dictâ in Apoplecticis & ſtrangulatis obſervatâ ſpumâ fortioris Apoplexiæ ſignum peſſimum Medici practici deſumere ſolent, & quidem ſecundum Hippocrat.



crat. *Sect. 2. Aphor. 43.* ubi inquit: ex iis, qui ſtrangulantur & reſolvuntur, nondum autem ſunt mortui, non ſe recolligunt, quibus ſpuma circa os fuerit; Quod etiam confirmat Petrus Foreſtus *Obſervat. medicin. Lib. 10. Obſerv. 75. Schol. fol. m. 408.* Sumitur, inquiens, in Apoplecticis malitia penes ſpumam, hæc enim eſt unum præcipuum ſignum, â quô non evadunt, cùm Apoplexia ſimpliciter totô genere lethalis ſit cenſenda, multò magis, ſi cum ſpumâ fuerit. &c. Non tamen abſolutæ & perpetuæ veritatis eſſe hunc Hippocratis Aphoriſmum, alii Autores ſtatuunt, idque exemplis apoplecticorum & ſtrangulatorum cum ſpumâ, nihilominus tamen ſervatorum, probant; quamvis ejusmodi Caſus rariſſimè obſerventur. Hinc etiam variô modô Hippocratem cum diſſentientibus conciliare ſtudent Autores, dum alii inter puram ſpumam & corpus ſpumoſum, alii inter humorem pituitoſum & inter propriam pulmonis humiditatem diſtingvunt. vid. Daniel. Sennert. *Pract. med. Lib. 1. Part. 2. cap. 33. pag. m. 664.* vel juxta Nicol. Tulpium *Obſ. med. Lib. 1. cap. 6. pag. m. 11.* alii inter deſtillantem capitis pituitam per äërem rarefactam & inter ſpirituoſum oppreſſi pulmonis vaporem differentiam ponunt, é quibus priorem modum innoxium, poſteriorem lethalem ſtatuunt. Quia verò in Aphoriſmô Hippocratis expreſsè ſpumæ, non corporis ſpumoſi mentio ſit, alii Hippocratis defenſionem ita ſuſcipiunt, dicendo ſcilicet, ſervari apoplecticos poſſe, dupliciter eſſe intelligendum, vel ita, ut ſe recolligant ſeu ad integram ſanitatem redeant; vel ita, ut ad aliqualem tantùm, non autem perfectam redeant ſanitatem; quoniam ſemper hujusmodi apoplectici, ſi ſervantur, remanent paralytici, vel ſecundum mentem, vel ſecundum corpus, vel ſecundum utrumque; & qui ſervantur cum Paralyſi alicujus partis, non dici ab Hippocrate redire, quia non redeunt ad antiquam ſanitatem, vid. Hieron. Mercurial. *Medicin. pract. Lib. 1. cap. 19. fol. m. 88.* Et Zacutus Luſitanus *Prax. Hiſtor. Lib. 1. cap. 7. fol. m. 192.* ſcribit, cum ſpumâ paucâ aut albâ apoplecticos

cos evadere posse, cum multâ flavâ aut cruentâ nequaquam, &c. Contrarium tamen exemplum de Apoplecticô, apparente cruentâ spumâ, conclamatô, qui tamen sangvinis missionis ope mirabiliter evasit, idem Autor *de Prax. med. admir. Lib. 1. Obs. 20. fol. 5.* adducit & *Obs. 19.* Apoplectici pro mortuo habiti meminit; qui, cùm viginti horis apoplecticus, totocorpore frigidus, lineo panno ad sepulturam involutus & consutus in terrâ jacuisset, dum vespillones cadaver terræ mandaturi ad sepulturam deferrent, raucum & ignotum clamorem audientes, feretrum ab humeris in terram deponunt, pannum circa os madidum & spumâ plenum conspiciunt, corpus detegunt. Medici advenientes in Metacarpio arteriarum motiones explorant, easque urgere deprehendunt; sicque adhibitis auxiliis ad se rediit. Exemplum mulieris laqueô strangulatæ, quæ respiratione & pulsu jam deficientibus, spumâ in labrum effusâ, ad Medici accessum & liberalem spiritus salis ammoniaci infusionem planè revixit, communicat Joh. Nicolaus Pechlinus *de Aer. & Alimentor. Defect. cap. 7. p. m. 86.* Duo etiam suspensorum exempla cum spumâ circa os notabili & perseverante, quorum corpora Anatomiæ destinata, ope & industriâ Medicorum Viennensium revixerunt, uti ex Actis Facultatis Medicæ commemorat Diomedes Cornarus *Histor. admirand. rar. 1. & 2. p. m. 3. seq.* Et Christophorus à Vega *de Art. medend. Lib. 3. Part. 3. Sect. 5. cap. 8. Oper. fol. m. 341.* refert: Se tres vidisse liberatos, qui, cùm strangulationem paterentur, spumam ore mittebant. Unus eorum se collo suspendit, cui amici laqueum subitò absciderunt & vixit, bibitô acetô mulso cum pipere. Duo alii sentinas & cœnosos, puteos mundantes, præ fœtore strangulati spumam mittebant ab ore, quos socii extra puteos demortuos & ferè extinctos eduxerunt. Hos vero ambos Christophorus a Vega sanitati restituit. Plura exempla vid. Christ. Franc. Paullin. *Philosoph.* Lust-Stund. *Part. 2. cap. 40. p. m. 309. seq.* Ex quibus patet, è spumâ circa os apoplecticorum & strangulatorum summè equidem periculosum



sum signum, minimè tamen infallibile mortis indicium evinci posse. Nec minus ex hactenus allatis liquet, aphoristicas Hippocratis sententias magnâ ex parte veras esse, licet aliquando, rarò tamen, aliter eveniant. Veritates namque Hippocraticæ Casûs raros non excludunt; qui si eveniant, non tollunt aphoristicam doctrinam, nec Problematum medicorum similitudinem labefactant, juxta Zacut. Lusitan *de medic. princip. Histor. Lib. 1. Histor. 34. Dub. 20. fol. m. 66.* Huc etiam pertinet, quod Georgius Francus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obs. 29. p. m. 69.* scribit: Non adeò juremus in Magistri verba, ut quidem videri possit doctissimus Bernhardus Langwedelius in Hippocratis defensione: nec adeò illum rejicimus, uti Georgius Fridericus Laurentius in Exercitationibus, (quorsum enim ista litigia & scommata) sed credimus, sapientissimum senem locutum ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον: nulla enim sine exceptione regula. Plura de hac materia vid. Just. Cortnumm. *de Morb. attonit. cap. 57. p. m. 232. seq.* Christ. Frid. Garmann. *de Mirac. mortuor. Lib. 1. Tit. 5. §. 31. pag. m. 187. 188. seq.* Zacut. Lusitan. *Prax. Histor. Lib. 1. cap. 7. fol. m. 192.* Conrad. Vict. Schneider. *de Apoplex. cap. 19. pag. m. 526. seqq.* Dominic. Panarol. *Obs. med. Pentecost. 1. Obs. 19. pag. m. 12.* Joh. Nicol. Pechlin. *de Aer. & aliment. defect. cap. 7. p. m. 86. seq.* Christoph. a Vega *l. a. fol. 340. seq.*

§. 16. Denique hôc locô adhuc annectenda erit Quæstio, *An mortui spument?* An nimirum mortui spument? seu annon quandoque circa defunctorum ora post mortem spuma appareat, vel potiùs post aliquod tempus ex iisdem prodeat? Spumare moribundos, imprimis apoplecticos, epilepticos atque suffocatos, hactenus dictum est; Imò omnia animalia aquâ submersa & suffocata ultimò, cùm profunduntur & subsidunt, bullulas ex ore & pulmonibus emittere solent, cùm spiritum reddunt; Hoc etiam modô crabrones, vespæ & hujusmodi insecta in olea demersa & suffocata, ultimò aëris bullulas è caudâ, dum moriuntur, emittunt; unde ita respirare vivos non est improbabile juxta Gvilelm. Harvej. *Exercit. anatom.* Exer-

*Exercit.3.p.m.237.* Attamen jamjam mortuos ſpumam ex ore emittere aliquando, negat Chriſtianus Frider. Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib.1. Tit.5.* §.*29.p.m.187.* ubi hanc ſententiam vulgo placere dicit, eamque ut rejiciat, modum, quomodo ſpuma in viventibus generetur., ſvadere ſtatuit. Item §.*32. p.189.* poſt varias rationes negativè reſpondet, Cadaver ſpumare poſſe, cùm ceſſante motu totius, inde etiam pulmonum & diaphragmatis, quod vel reſpirationis defectus abunde evincit, humorum etiam frigus mortale ſequens coagulatio & congelatio ſpumæ ſufflaminet generationem & expulſionem. Et quanquam hanc circa os & nares cadaverum etiam ſæpe abſterſam ſpumam concedat Philippus Salmuth *Cent.1.Obſ.22.p.m.15.* indeque derivet, quia ſcilicet ex ultimò reſpirandi per agonem conatu ab aere inſpiratô Pulmo ita dilatari & poſt mortem per aliquod temporis ſpatium talis permanere, & per conſequens ſpuma generari poſſit;hanc tamen pulmonum dilatationem ad ſpumæ proventum & emisſionem minimè ſufficere, Garmannus *l.a.*§.*33.* defendit; ubi porrò contra Joh. Jac. Wepfferum ejusque in ventriculô ex Alcali & Acido exortam fermentationem, inter ſpumam Salivæ & humorem ſalivali ſimilem diſtingvit; interim nihilominus lymphæ poſt mortem ad paucum tempus aliqualem motum debilem & leviter undulantem, vix perceptibilem, adeoque ſpumæ generationi, quæ violentum motum requirit, ineptum concedit, tandemque §.*35. p.190.* contra exempla defunctorum ſpumantium ejusmodi homines non reverà diem ſuum obiiſſe, ſed iterum excitatos fuiſſe regerit, idque exemplo ex Zacutô Luſitano probat. Cùm verò hôc locô nobis non æque de ſpumâ ſalivali, ſed de ſpumâ in genere ſermo ſit, Garmannus etiam §.*29.* absque diſtinctione mortuorum ſpumationem neget, libentisſimè, omnium humorum motum naturalem atque ita etiam Salivæ ſecretionem, hincque dependentem ſpumæ formationem poſt mortem penitus ceſſare, concedo; Quemadmodum autem in non animatis quibusdam ſeu vegetabilibus fermentationi-



tioni ſepoſitis motum inteſtinum pedetentim localem motum, hincque liberius ſpatium affectare ſeu quærere videmus, ut deinceps bullulæ hinc inde per totam ſuperficiem appareant; quæ indies adeò augentur & inſurgunt, ut quandoque vas continens ſufficienter capax non ſit, ſed ſpuma ſeu bullulæ ultra ipſius oram proruant; Et ſicuti in putrefactione animalium ſeu brutorum defunctorum ſive cadaverum, corpora ipsorum â fermentatione intumeſcere atque interdum ad rupturam usque diſtendi obſervamus; ita pariter, quin in homine verè demortuô ejusmodi â nimiô fermenteſcibilium medicamentorum vel humorum uſu exorta fermentatio & inchoata putrefactio humoribus novum motum imprimere posſit, adeò ut tales humores amplius ſpatium quærant, ſicque ab aere rarefacti tam ex ventriculô, quàm pulmonibus, per poros majores, v.g. asperam arteriam & Oeſophagum ad fauces, tandemque per os & nares ſub bullularum ex ſerô & aere conſtantium ſeu ſpumæ formâ exitum repetiant, dubitandum non eſt. Quod etiam teſtatur experientia, imprimis æſtivô tempore, in ſubjectis pingvioribus atque poſt multa aſſumpta pharmaca demortuis, uti ipſe ante aliquot annos in Viro quôdam, ipſi Garmanno olim familiarisſimo, mihique cognatô, quinquaginta annorum, valde obeso & Apoplexiâ defunctô obſervavi; ex cujus ore, & quidem tertiô â disceſſu die, non tantum incredibilis fermè ſpumæ copia, ut in doliis, Cerevifia fermentante repletis, obſervari ſolet, ultra pugnæ altitudinem bullatim aſſurgebat, ſed aliquoties etiam cum ſtertore & ſonitu proruebat & expellebatur, ut asſidentes mares & fœminæ, metu perculſi, aufugerent atque domeſticis, corpus reviviſcere, annunciarent. Poſt eſum ſolani furioſi puer quidam trium fere annorum poſt varia ſymptomata tertiâ die vitalem ſpiritum exhalabat. Poſt obitum venter admodum extumeſcebat ac indurabatur; aqvam fulvam & ſpumoſam per os reddebat &c, referente Johanne Matthæô Fabro *Strychnoman.p.m.10.ſeq.* Quæ ſanè materia ſeroſa, aere permixta & ſub bullu- *Obſervatio.*

 larum

larum forma apparens, licet non semper albi sit coloris, neque etiam a Saliva derivanda sit, non immeritò spumæ nomine veniet. Quod autem Garmannus *l. a. Lib. 2. Tit. 6. §. 13. pag. m. 503.* de causa sudoris in mortuis reddenda refert, idem etiam hîc locum habet, quò benevolum Lectorem remitto.

*Affirmatur* §. 17. Posse autem fermentationes & exhalationes ejusmodi, ibidem ex Willisio adductas, & quidem interdum crassiores, interdum subtiliores, quandoque etiam satis acres in defunctis oriri, præter insvavem odorem seu fœtorem, longiùs etiam dis-*Observatio.* sidentium nares sæpissime ferientes, testatur observatio in ejusdem Viri, cujus modò de spuma mentionem feci, filia mihi annotata. Hæc scilicet triginta aliquot annorum, summè Scorbutica, Anno 1702. Mense Februariô, Puerpera, post partum minimè laboriosum satis sana, statim sibi mortem prædicens septimô, a puerperiô, die febrem cum Purpura malignâ, horribili fœtore & gravissimis symptomatibus stipatam incidebat; & quamvis binis vicibus â periculosissimô hoc morbô liberata atque sanitati proxima videretur, absque ullâ tamen datâ occasione externa & ultimò quidem ex terrore in somnô recidivam incurrebat, quâ etiam vigesimô quintô demum morbi die vitam finiebat. Die sequenti â meridie linteum, quod hîc loci defunctorum faciei superimponere solent mulierculæ, sive siccum esset, sive spiritu frumenti pro more madefactum, semper in regione oris & narium non solùm maculam nigram acquirebat, sed illæ quoque lintei pars, quousque se nigredo extendebat, ad palmæ scilicet latitudinem, intra trium circiter vel quatuor minutarum spatium ita attenuabatur, adeoque ab halitibus seu vaporibus corrodebatur, ut digitis facillimè conteri atque discerpi posset, uti aliàs in chartâ & linteò super candelâ ardente detentis fieri annotamus. Quod absque dubiô ab exhalationibus atque vaporibus malignis & corrosivis in corpore mortuô adhuc latitantibus atque per novum motum intestinum & localem ad os & nares expulsis derivandum erit.

Syllabus

# SYLLABUS AUTORUM
## in hoc Opere allegatorum.

### A.

ABbatius, Bald. Angel. de admirabili Viperæ Naturâ 12. Hag. 1660
*Academiæ* Naturæ Curiosorum Parisiensis Historia 8. Lips. 1715
*Acta* Eruditorum Lipsiens. 4. Lips. 1682. seqq.
- Medica Berolinensia 8. Berolini 1718. seq.
- - - Hafniensia 4. Hafniæ 1673.
- Philosophica Anglicana 4. Lips. 1674
*Æginetæ* Enchiridion Medicum 8.
*Ælianus* Claud. de Animalibus v. Opera fol. Tigur.
*Aetii* Opera de Re medica fol. Basil. 1535
*Alberti* Mich. Introductio in Medicinam 4. Halæ 1718
*Albini* Bernardi Disputatio de Salivatione Mercuriali 4.
- - - de Elephantiâ Javæ 1683. Franc.
*Albmeiero* Theod. de quatro Elementi. in Firenza 1668
*Alpinus*, Prosper, de Præsagio vitæ & mortis 4. Lugd. 1710
*Amatis*, Lusitani, Curationum Medicarum Centuriæ IV. fol.
- - medicina Critica 4. Stadæ 1677.
*Ammanni*, Pauli, Parænesis ad discentes 12. Lips. 1677.
- - Praxis Vulnerum lethalium 8. Lips. 1690
*Aristotelis* Opera fol. Basil. 1542
*Aurelianus*, Cælius, de morbis acutis & chronicis 4. Amsterd. 1700

### B.

*Baglivus*, Georg. de Fibra motrice. 8. Londin. 1703.
- - Dissertationes de Trantula, de Saliva &c. Lugdun. 1699.

*Balduinus*,

*Balduinus* de Calceo antiquo. 12. Amsterd. 1667
*Barbette*, Pauli, Opera medico-chirurgica 4. Genev. 1682
*Barckhusen* J. Conr. Acroamata ad Jatrochenniam atque Physic. 8. Traject. 1703.
*Baricelli*, Jul. Cæsar. Hortulus genitalis. 12. Coloniæ 1620.
*Bartholinus*, Casp. de ductu Salivali 8. Ultrajecti 1683
- - Specimen Historiæ anatomicæ 4. Hafn. 1701
*Bartholini*, Thomæ, Acta medica Hafniensia 4. Hafn. 1663. seq.
- - Anatomia renovata. 8. Lugdun. 1673
- - Historiæ Anatomicæ 8. Hagæ & Hafniæ 1657. seq.
- - Epistolæ medicinales 8. Hafniæ 1663. seq.
- - de Hepate defuncto 8. Hafn. 1666. Opusc. anatom.
- - de insolitis Partûs viis 8. Hafn. 1664
- - Dissertatio de Transplantat. Morbor. v. Grube.
*Bayri*, Petri, Enchirid. de medendis humani Corp. Partib. 8. Bas. 156
*Bechers*, Joh. Jac. Parnassus Medicinalis fol. Ulm 1663
van der *Becke*, David, Experimenta circa Rer. Principia. 8. Hamb. 1664
*Beckeri*, Danielis, Medicus Microcosmus 4. Londin. 1660.
*Beckmanni*, Christian. Manuductio ad Latinam Lingvam s. de Origine Lat. Lingv. 8. Francf. 1672.
*Behrens*, Corn. Bernh. Selecta Diætetica 4 Francof. Lips. 1710.
- - - de Constitutione Rei medic. 8. Helmst. 1691
*Bellefontaine*, Louis, de la Medecine dogmatique mechanique 12. Amstelod. 1712
*Bellinus*, Laurentius, de Urinis & Pulsibus 4. Francf. 1685.
- - - de Morbis Capitis. ibidem.
*Belloste*, Chirurgien d' Hopît. 8. a Amsterdam. 1707.
*Benivenius*, Ant. de abditis Morborum causis v. Dodonæi Observat.
*Bergeri*, Joh. Gothofr. Physiol. Medica seu de Natura, a Witteb. 1702
*Beringeri*, Gothof. Disput. Inauguralis de Gratia seu Jure aggratiandi. - Præf. Falcknero 4. Jen. 1680
*Beverovici*, Joh. Quæstiones Epistolicæ 8. Roterod. 1665
- - Schatz der Gesundh. v. Allgemeine Artzney fol. Frf. 1674
*Bibliotheca* anatomica Cleri & Mangette Tom. II. fol. Genev. 1688





*Bicaissii*, Honor. Manuale medicum 12. Londin. 1659
*Bickeri*, Joh. Hermes redivivus 8. Gies. 1612
*Bidloo*, Gotfrid Anatomia. fol. Amsterd. 1685
*Bierlingii*, Casp. Theoph. Thesaurus theoretico-pract. 4. Jenæ 1690
- - - Adversaria curiosa 4. Jenæ. 1679.
*Binningeri*, Joh. Nic. Observationes &c. 8. Montbelg. 1673
*Birelli*, Joh. Bapt. Alchimia nova 4. Francf. 1663
*Blancardi*, Stephani, Anatomia reformata 8. Lugdun. 1687.
- - Oper. med. theor. pract. Tom I. & II. 4. Lugd. 1702
- - Collectanea medico-physica 8. Leipzig 1690.
- - Verhemdelmge van de Scheurbickende Fermentatie 8. Amsterd.
- - Lexicon medicum 8. Lugd. 1690
*Blasii*, Gerardi, Medicina curatoria 8. Amsterd. 1686
- - Observata anatomica 8. Lugd. 1674
- - Annotationes in Veslingii anatom. v. Vesling. Pat.
- G. Leonh. Institutiones medicinæ 12. Amsterd. 1667
*Blegny*, Nicol. Zodiacus Medico-Gallicus 4. Genev. 1680
*Boceonis*, Sylvii, Observation. oder curiöse Anmerck. 12. Leipz. 1697
*Bockenhofferi*, Joh. Ioach. Musæum Brackenhofferian. 4. Argent. 1677
*Boerhavii*, Hermann. Institutiones medicæ 12. Franckf. 1710
*Boesii*, Dan. Disputatio de Plica. Jen. 1687
*Boetticher*, Joh. Gottlieb. de Peste 8. Hamburg. 1713.
*Bohnii*, Johann. Circulus anatomico-Physiologicus 4. Lips. 1686
- - de Officio medici duplici 4. Lips. 1704.
- - de Renunciatione Vulnerum lethalium 8. Lips. 1711.
- - Differt. de Infanticid. v. Vuln. lethal. Exam. 4. Lips. 1711
- - Medicinæ Forensis Specimen III.
- - Disputatio de Menstruo universali 4. Lipsiæ.
*Bonacolus*, Ludov. de Fœt. formatione. v. Sever. Pinæus de Not. Virg.
*Boneti*, Theoph. Medicina septentrionalis fol. Genev. 1686.
- - Sepulchretum s. Anatomia practic. fol. Genev. 1679
- - Polyalthes fol. Genev. 1691
*Borelli*, Petri, Historiæ & Observat. medico-physicæ 8. Fr. Lips. 1676

*Borrichius*, Olaus de Ortu & Progressu Chemiæ 4. Hafn. 1668
- - Conspectus Scriptorum Chemicorum 4. Hafn. 1697
*Boyle*, Robert. Nova Experimenta de vi aëris elastica 4. Genev. 1680
- - de Utilit. Philosoph. experimentalis 4. Lindav. 1692
*Brendelii*, Joh. Phil. Consilia medica 4. Francof. 1615
*Brœckhuysen*, Benj. Oeconomia Corporis animalis 8. Noriberg. 1672
- - Rationes Philosophico-Medicæ 4. Hagæ 1687
*Broen*, Joh. de duplici Bile Veterum 12. Lugd. 1685
- - Opera medica 4. Amstelod. 1703
*Broeon*, Thom. Pseudodoxia epidemica 4. Franckf. Leipz. 1680
*Brunonis*, Jac. Pancrat. Lexicon Medicum Castelli 4. Norinb. 1682
*Bulgetius*, Attilius, de Affectionibus Cordis & Morbis venenatis 4 Patav. 1657
*Burnet*, Thom. Thesaurus medico-practicus 4. Genev. 1698
*Busbequii*, A. Gislen. Epistolæ 24. Amsterd. 1660
*Buxbaum*, Andr. Catechesis medica 12. Martisb. 1695

C.

*Cælii*, Ludovic. Rhodig. Lectiones antiqvæ fol. Basil. 1550
*Calceolarii*, Franc. Musæum fol. Veron. 16622
*Camerarii*, Eliæ, Medicina conciliatrix 4. Francof. 1714
- - Dissertationes Epistolico-physico-med. 8. Tub. 1712
- - Dissertationes tres 8. Tubing. 1694
*Camerarii*, Joh. Rudolphi, Memorabilia Medicinæ 8. Tubing. 1683
*Camerarii*, Philippi, Horæ subcisivæ 4. Francof. 1658
*Campanella*, Thom. de sensu rerum & magia 4. Francof. 1620
*Cardanus*, Hieron. de subtilitate fol. Basil. 1554.
*Cartesii*, Renati, Opera Philosophica, de Homine 4. Francof. 1692
*Casmanni*, Otton. Nucleus Mysteriorum Naturæ 8. Hamburg 1605
*a Castro*, Roder. Medicus politicus 4. Hamb. 1662
*Celsus*, *A*. Corn de Medicina 12. Lugd. Batav. 1665
*Chalmetæi*, Ant. Enchiridium Chirurgicum 8. 1620
*Charas*, *M*osis, Experimenta circa viperam facta 8. Genev. 1687
*Charleton*, Gvalterus, de Oeconom. animali & Guil. Cole de Sevet. 12. Hagæ 1681
*Clerc* Biblioth. Anatomic. fol. Genev. 1685

*Cock-*



*Cockburn*, *Gvil*. Oeconomia Corporis animalis 12. August. 1696
*Codronchus*, Baptist. de Rabie seu Hydrophobia 8. Francof. 1610
*Collectanea* chymica Leidensia 8. Lugdun. 1693
*Colmeneri*, de Ledesma, Anton. Chocolada Inda, Norimb. 1644
*Cornari*, Diomed. Consilia & Observationes 4. *Lipsiæ* 1599
*Cornelius* Tacitus.
*Cortuummius*, Justus, de Morbo attonito 4. Lips. 1677
*Coschvvitii*, Georg. Dan. Apothecke Schrœderi, fol. Nürnberg 1693
*Costeri*, Joh. Theoria & Praxis in Tabulis 4. Francof. 1664
*Craan*, Theod. de Homine 4. Lugd. 1689
- - Observationes seu Praxis 4. Lugd. 1689
- - Oeconomia animalis 8. Amsterd. 1703
*Crameri*, Casp. Collegium Chymicum 4. Francof. *Lips*. 1688
*Cumani*, Marcell. Observ. vid. in *Georg*. *Hier*. Velschii Sylloge Observ.

D.

*Daelmanes*, Ægydii, Heyl-Kunst oder Praxis medica 8. Franckf. 1690
*Dale*, Salomon. Pharmacologia 8. Bremæ 1696
*Dekkers*, Frid. Exercitationes practicæ 4. *Lugd*. 1694
*Deodati*, Claud. Pantheum hygiasticum 4. Bruntruti 1628
*Diemerbroc*, Isbrandi, de Anatomia Corporis humani fol. Ultraj. 1685
- - - de Peste v. Opera medica.
*Digby*, Kenelm. Demonstrat. Immortalit. Animæ rational. 8. Fr. 1664
*Dionis*, Petri, Anatomia Corporis humani, Genev. 16 6
*Dioscorides* de materia medica cum Annot. Matthioli fol. Basil. 1674
*Diversus*, Petr. Salius de affectibus particularibus 8. Hardevic. 1656
*Dodonæi*, Rembert. Observationes medicinales 8. Colon. 1581
*Dolæi*, Joh. Encyclopædia Chirurgica 4. Francof. 1689
- - Epistolæ ad Waldschmidium 4. Francof. 1689
*Donatus*, Marcellus de Historia medica mirabili 8. Francof. 1613
*Drelincurtii*, Carol. Præludium anatomicum 12. 1672
- - de Lienosis 8. Lugd. 1711

E.

*Ephemerides Academiæ* Naturæ Curiosorum Cent. I. & II. &c.
*Erndt*, Chr. *H*enr. de Itinere suo *A*natomico & Batavo 8. 1710



*Essais*

*Essais*, d' Anatomie 12. à Leyde 1686
*Ettmülleri*, Mich. Opera Tom. I. & II. fol. Francof. 1695
*Ezleri*, August. Isagog. physico-magico-medica 8. Budiss. 1610

F.

*Fabri*, Joh. Matth. Strychnomania s. de Solan. furios. 4. August. 1677
*Fabricii*, Gviliel. Hild. Observat. Chirurgicæ. Centur. V. 4. Lugd. 1641
- - - Opera omnia fol. Francof. 1646
*Fabricii*, Hier. ab Aquapend. Opera Chirurgica. fol. Patav. 1666
- - - 8. Francof. 1620
*Fallopii*, Gabriel. Opera, fol. Francof. 1600
*Fehr*, Joh. Mich. Anchora sacra, s. de Scorzonera 8. Jenæ 1666
*Fernelii*, Joh. Opera 4. Traject. 1656
*Fidelis*, Fortunat. de Relation. Medic. 8. Lips. 1674.
a *Fonseca*, Roder. Consultation. medic. 8. Francof. 1625
*Foresti*, Petri Observationes fol. Francof. 1602.
*Fracastorius*, Hieron. de Morbis contagiosis 8. Lugd. 1554.
*Franci*, Georg. de Satyræ medic. 8. Lips. 1722
*Francus*, Joh. de Herba Alleluja 12. Ulmæ 1709
*Freitagius*, Joh. de Opii Naturâ 8. Groning. 1632
*Frommanus*, Christian. de Fascinatione 4. Norimb. 1675

G.

*Galeni* Opera fol. Vrat.
*Garmannus*, Christian. Frider. de Miracul. Mortuor. 4. Dresd. Lips. 1709
- - - Oologia curiosa 4. Cygneæ. 1691
à *Gehema*, Jan. Abr. Observationes chirurgicæ 12.
*Gerbezii*, Marci, Chronologia medico-practica 4. Francof. 1713
*Gesneri*, Conrad. Historia animalium de Quadruped. fol. Tigur. 1551
*Giesvvein*, Joh. Phil. de materia medica 8. Francof. 1676
*Gladbach*, Joh. Bernh. Praxis medicæ Idæa noviss. 8. Herborn. 1694
*Glæseri*, Mich. Disput. de Gratia delinquent. facienda 4. Helmst. 1667
*Gockelii*, Eberh. Consilior. & Observation. Decad. sex 8. August. 1683
- - Gallicinium seu Consilia & Observat. 4. Ulmæ 1700
- - de Peste & Venenis 8. August. 1669





- - von wütenden Hunds-Bißen 8. Augspurg 1679
*Goelicke*, Andr. Ottom. Historia Anatomiæ 8. Halæ 1713
*Gordoni*, Bernh. Lilium Medicinæ 8. Francof. 1617
*Gorræi*, Joh. Definitiones medicæ fol. Lutet. 1564.
*Graaf*, Regner. de succo Pancreat.
- Opera anatomica de partibus genitalibus 8. Lugd. 1677
*Græbneri*, David. Medicina vetus restituta 4 1678
le *Grand*, Ant. Curios. rerum abditarum Perscrutator 12. Francof. 1681
*Grembs*, Franc. Oswald Arbor integra & morbosa hominis 4. Frf. 1671
*Grevinus*, Jac. de Venenis 4. Antwerp. 1571.
*Grube*, Herm. de Ictu Tarantulæ 8. Francof. 1679
*Gufferi*, Joh. Medicin. domestica oder Hauß-Apotheck 12. Augsp. 1673
a *Güldenklee*, Bald. Timæi Opera 4. Lips. 1677

H.

*Hafenrefferus*, Sam. de Cutis Affectibus 8. Tubing. 1630
*Hagendorn*, Ehrenfr. Historiæ medico-physic. 8. Rudolphst. 1690
- - Tractatus de Catechu 8. Jenæ 1679.
*Halbmair*, Theodor. de quattro Elementi 4. in Firenza 1668.
*Hamel*, Joh. Bapt. Opera philosophica 4. Norib. 1682.
- - Historia Regiæ scientiarum Academiæ 4. Lips. 1700
*Hannemannus*, Joh. Ludw. de Osculo 8. Hamburg. 1695
*Hardeni*, Joh. Jac. Apiarium seu Observationes 4. Basil. 1687
*Harris*, Gvalter. Bericht von Kinder-Kranckh. 12. Franckf. Leipz. 1691
*Harvæi*, Guilelm. Exercitationes anatomicæ 12. Roterdam. 1661
*Havers*, Cloptor, Osteologia nova 8. Francof. Lips. 1692
ab *Heer*, Henr. Observationes medicæ 12. Lugd. 1685
*Heer*, Mart. Introductio in Archivum Archei 4. Laubæ 1703
de *Heide*, Ant. Observationes & anatome Mytuli 8. Amsterd. 1683
*Heinsius*, Ern. de Purgantium abusu in febribus 4. Lips. 1694
*Heinsius*, Nicol. von der Milch-Cur. 8. Leipz. 1694
- - schmachtende Venus oder Frantzosen-Cur 8. Franckf. Leipz. 1706
*Heisteri*, Laurent. Oratio de Increment. anatom. 8. Wolffenbutt. 1720
*Helvvigii*, Joh. Observationes physico-medicæ 4. August. 1680

Helwigs, Christoph. curiose Beschreibung allerhand Sachen 12. Franckf. Leipz. 1704
- - - Casus & Observationes medicinales 8. - 1711
*Helmontii*, Joh. Bapt. Opera. fol. Lugd. 1667
*Helmontii*, Franc. Merc. Observationes circa hominem ejusque morbos 12. Amstel. 1682
*Helvetii*, Joh. Frid. Diribitorium medicum 8. Amstelod. 1670
*Hennickius*, Gottofr. de Panacea 8. Francof. 1689
*Hermanni*, Paul. Cynosura materiæ medicæ 4. Argentor. 1710
*Hertodt*, Joh. Phil. Medicus evporistus 8. Hagæ 1711
*Hildanus*, vid. Gulielmus Fabricius.
*Hildesheimii*, Franc. Spicileg. de Cereb. & Capitis morbis 8. Franc. 1612
*Hippocratis* Opera fol. Basil. 1536
*Historia* Academiæ Regiæ scientiar. Parisiens. An. 1699. 1700. Lips. 1715
- Morborum Vratislaviensium 1702. 4. Vratislav. & Lips. 1710
*Hœferi*, Wolffgang. Hercules Medicus 4. Noribergæ 1675
*Hoffmannus*, Casp. de Medicamentis officinalibus 4. Francof. 1667
- - Clavis Schrœderiana 4. Hal. 1661
*Hoffmanni*, Frid. Fundamenta Medicinæ 8. Halæ 1695
- - Methodus Medendi 4. Lips. 1678
- - Disputatio de Saliva & ejus usu medico.
- - - - de necessaria Salivæ Inspectione.
- - - - de Avtocheiria.
- - Annotationes in Poterium 4. Francof. 1698
*van Horne*, Joh. Miccocosmus seu Opera anatom. Chirurg. 8. Lips. 1707
- - Epistola de Partibus gentialibus vid. Opera.
Horn, Casp. von Scharbock 12. Nürnberg 1659
von Horn, Peter, zte Gesandschafft nach Sina fol. Amsterd. 1676.
*Hornungi*, Joh. Cista medica 4. Noriberg. 1625.
*Horstii*, Greg. Opera medica fol. Norib. 1660

## I.

*Joelis*, Franc. Operâ medica 4. Rostoch. 1630
*Johrenii*, Conradi, Disputatio de Mentagra.
- - - - de Christo Medico.
*Jonstoni*, Joh. Syntagma universæ Medicin. practicæ 8. Vratislav. 1673

Thav-



- - Thavmatographia naturalis 12. Antwerp. 1633
*le Journal* des Sçavans 12. a Amsterdam 1665. seqq.
*Juncken*, Joh. Helfr. Fundamenta Medic. eclecticæ 8. Francof. 1693
*Junckeri*, Joh. Conspectus Medicinæ theoret. practicæ 4. Halæ. 1718

## K.

*Kentmannus*, Johannes, de Calculis in Corpore humano 8. Tigur. 1561
*Kerckringii*, Theod. Spicilegium anatomicum 4. Amsterd. 1670
*Kircheri*, Athanas. Scrutinium Pestis physico-medicum 4. Romæ 1658
*Klaunig*, Gottfrid. Nosocomium Charitatis 4.
*Kœnig*, Eman. Regnum animale 4. Basil. 1682. 1698
*Kyperi*, Albert. Anthropologia 4. Lugd. 1660

## L.

à *Lamzvveerde*, Joh. Bapt. Appendix ad Sculteti Armamentar. Chir. 8. Amsterd. 1671
*Langelotti*, Joelis, Epistola ad Naturæ Curiosos 8. Hamburg. 1672
*Langii*, Christiani Joh. Opera medica fol. Lips. 1704
*Langii*, Johannis, Epistolæ medicinales 8. Hanov. 1605.
*Lanzonus*, Joseph, de Saliva humana 8. Ferrar. 1702
*Largi*, Scribonii Compositiones medicæ 4. Patav. 1655
*van Leevvenhoeck*, Anton. Arcana Naturæ detecta 4. Delphis 1695.
*Lemnius*, Levinus, de Occultis Naturæ Miraculis 12. Francof. 1604
*Lentilius*, Rosinus, de Hydrophobiæ causa & cura 8. Ulmæ 1700
- - Miscellanea medico-practica 8. 1698
- - Jatromnemata theoretico-practica 8. Stutg. 1712
*Liddelii*, Duncani, Ars nedica 8. Hamburg. 1628
*Linsing*, Petr. Ernest. Intitutiones medicæ 8. Erlang. 1701
*Lister*, Martin. de Morbs chronicis 8. Francof. Lips. 1689
- - de Humoribus 8. Amsterd. 1711
*Literaria* nova Hamburgica An. 1703. seq. Hamburgi 1703. seq.
*Loeberi*, Valent. Anchora Sanitatis, 8. Francof. & Hamburg. 1671
*Lommii*, Jodoc. Observaiones medicinales 12. Francof. Lips. 1686
*Loniceri*, Adam. Kräuterbuch fol. Ulm 1705
*Lotichii*, Ioh. Pet. Commentarii in Petronii Arbitri Satyric. 4. Fr. 1629
*Lovverus*, Richard, de Corde 8. Amstelod. 1664

Lumeni.

*Lumen* rationale medicum in Henr. Regii Praxin Medicam 8. Mediol. 1688.
*Lucretius.*

## M.

*Mucasii*, Joh. Georgii, Promptuarium materiæ medicæ 12. Lipſ. 1677
*Majoli*, Simon. Dies caniculares fol. Francof. 1642.
*Mangette*, Bibliotheca Anatomica fol. Genev. 1685
*Marggravii*, Christian. Prodromus Medicinæ practicæ 4 Lugdun. 1685
*Marcgravii*, Georg. Liebstad. Historia Rerum Natural. Braſiliæ vid. Gvil. Piſom. de Medicina Braſilienſi fol. Lugd. 1648
- - Prodromus Medicinæ Pr. 4. Lugd. 1685
*Martius*, Joh. Nicol. de Magia Naturali 4. Lipſ. 1715.
*Martialis.*
*Matthiæ*, Christian. Theatrum Historiæ Politicum 4 Fr. Lipſ. 1684
*Matthioli*, Petr. And. Commentarius in Dioscoridem *fol.* Baſil. 1674.
*Maxvelli*, Wilhelm. Medicina Magnetica 12. Francof. 1679
*de Mayerne*, Theod. Praxis medica 8. *A*ugust. 1691
*Maynvvaring*, Eduard. Historia & Mysterium Luis venereæ 8. Francf. Hamb. 1675
*de Meekren*, Job, Obſervationes medico-chirurgicæ 8. Amſterd. 1682
*Meibomii*, Henr. Diſputatio de Chylificatione 4. Helmſt.
*Mercklinus*, Georg. Abrah. de Transfuſione ſangvinis 8. Norib. 1679
- - - Hiſtoriſches Mediciniſches Thier-Buch 8. Nürnberg 1696
*Mercurialis*, Hieron. de Morbis cutaneis & Corporis humani Excrement. 4. Venet. 1625
- - Medicina practica fol. Francf. 1601
- - de Venenis & morbis venenatis 4. Venet. 1588
*Mermanni*, Thomæ, Conſultationes fol. Ingolſtad. 1675
*Michaelis*, Johannis, Opera medico-chirurgica 4. Noriberg. 1688.
*Miſcellanea* Naturæ Curioſorum 4. Lipſiæ &c. 1670. ſeqq.
*Mizaldus*, redivivus 12. Noriberg. 1681
*Mœllenbroc*, Valent. Andr. de Varis & *A*rthritide 8. Lipſ. 1672
*Montani*, *A*rnold. Geſandſch. an den Kayſer von Japan fol. *A*mſterd. 1670

*More-*

*Moreſcotti*, Alfani Compendium totius Medicinæ 12. Francof. 1588
*Morton*, Richardi Phthiſiologia ſeu de Phthiſi 12. Francof. Lipſ. 1691
- - Opera Medica 8. Amſtelod. 1696
*Mundius*, Heinr. de Aere vitali 8. Francof. & Lipſ. 1685
*Munnicks*, Joh. Chirurg. 4. Traject. 1689
*Muralti*, Joh. Anatomiſches Collegium 8. Nürnberg 1657
- Vademecum ſeu Clavis Medicinæ 12. Tigur. 1672
- HippocratesHelveticus oder Hauß-Artzt 8. Baßel 1692
- Chirurgiſche Schrifften 8. Baßel.
*Muſæum*, Calceolarianum Veronenſe fol. Veronæ.
*Muſitani*, Caroli, Trutina chirurgica ſeu Chirurgia theoretico practic. 4. Colon. 1698
*Muys*, Johan. Praxis medico-chirurgica 8. Amſt. 1695- it. Lugd. 1685

## N.

*Naudæi*, Gabriel. Pentax Quæſtionum Jatro-Philologicarum 8. 1647
*Neuteri*, Georg. Philipp. Theoria Hominis ſani ſive Phyſiologia medica 8. Argent. 1714.
Neuhoff, Johann, Oſt-Jndianiſche Reiſe 4. Amſterd. 1666
*Nova* literaria Germaniæ 4. Hamburg.
*Nitzſchii*, Frider. Journal des Savans ſ. Ephemerides Eruditorum 8. Lipſ. Francof. 1671
*Nuck*, Anton. de Ductu ſalivali novo 12. Lugd. 1685
- Sialograph. & ductuum aquoſor. Anatom. 8. Lugd. 1692

## O.

*Oellingeri*, Georg. Eraſm. Pharmacop. 12. Norimb. 1663
*Oldenburgii*, Henr. Acta Philoſophica Anglicana 4. Lipſ. 1675
*Olearii*, Adami, Orientaliſche Reiſe-Beſchreibung fol. Schleßwig 1647
*Ortlobii*, Joh. Frid. Historia Partium ſeu Phyſiologia 4. Lipſ. 1697
*Overkamp*. Heidendr. Oeconomia animalis 8. Lipſ. 1690
- - Neues Gebäu der Chirurgie 8. Leipz. 1689

Ggg

*Palſyn,*

## P.

*Palfyn*, Jean, de la Description des parties de la femme, de la Circulation du Seny 4. à Leide 1708
*Palmarius*, Julius, de morbis contagiosis 8. Hagæ 1664
*Panaroli*, Dominici, Observationes medicinales 4. Hanov. 1654
*Pansa*, Martin. de propagandâ vitâ 8. Lipf. 1615
*Paræi*, Ambrof. Opera seu Thesaurus Chirurgiæ fol. Francof. 1610
*Paschi*, Georg. Inventa nova antiqua 4. Lipsiæ 1700
*Patini*, Caroli, Oratio de Remediis specificis 4.
*Pauli*, Joh. Guil. Annot. in Joh. van Horne Opuscula Lipf. 1707
*Pauli*, Sim. Quadripartitum botanicum 4. Argentor. 1666
- - de Febribus malignis 4. Argent. 1678
*Paullini*, Christian. Franc. de Theriaca 8. Francof. 1701
- - - Lycographia 8. Fr. 1694
- - - Observationes medico-physicæ 8. Lipf. 1706
- - - de Salvia 8. August. 1688
- - - Cynographia curiosa 4. Noriberg. 1685
- - - Mors verminosa 8. Frf. Lipf. 1703
- - - Talpa 12. Francof. & Lipf. 1689
- - - Philosoph. Luſt-Stundeng. Fr. Leipz 1706
- - - Philosophiſ. Feyer-Abend 8. Franckf. 1700
- - - Dreck-Apothecke 8 Franckf. 1696
- - - Lagographia 8. August. 1691
*Pechlini*, Joh. Nicol. Observationes physico-medicæ 4. Hamb. 1691
- - de Aeris & Alimenti defectu 8. Hamb. 1709
*Perdulcis*, Barthol. Universa medicina 4. Lugdun. 1649
*Persius*.
*Petermanni*, Andreæ, Disput. de Ictero ex Calculo Vesiculæ bilis. Lipf.
*Petræi*, Henric. Nosologia Hermetica 4. Marpurg 1615
*Petri*, Georg. Christoph. de Carduo benedicto 8. Jenæ 1669
*Petronii*, Tit. Satyricon Editio Petri Lotichii 4. Francof. 1629
*Pharmacopœa* Oellingerian. 12. Norimb. 1663
*Piens*, Franc. de Febribus 8. Noviomagi 1669

*Pierii*,



*Pierii*, Joh. Hieroglyphica 4. Francof. 1678
*Plateri*, Felic. Praxis medica 4. Basil. 1621
*Plinii*, C. Historia naturalis fol. Basil. 1554
*Portæ*, Caspar. Medicina brevis 8. Lugdun. 1688
*Poerii*, Petri, Opera medico-chymica 4. Francof. 1698
*Primerosii*, Jacob. Enchiridion medicum 12. Amstelod. 1639

## Q.

*Quercetani*, Joseph. Diæteticon Polyhistericon 8. Lipsiæ 1607

## R.

*Rallius*, Georg. Frid. de Generatione animalium 12. Stetin.
*Rattbray*, Sylvest. Aditus ad Sympatiæ Causas 12. Tubing. 1660
*Redi*, Francisci Observationes de Viperis 12. Amstelod. 1685
- - Experimenta naturalia circa varias res 12. Amstel. 1685
à *Reies*, Casp. Campus Elysius jucundarum Quæstionum 4. Fremof. 1670
*Renealmi*, Pauli, Observationes 8. Parif. 1606
*Rhodii*, Joh. Analecta & notæ, in Septalii animadversiones 8. Patav. 1652
- Observationes v. in Petri Borelli Observat.
- Emendationes ad Scribonium Largum 4. Paden. 1655
*Riedlini*, Viti, Parentis, Observationes. Centur. tres 12. Augustæ 1691
- Filii, Observationes 12. August. 1682
- Millenarius Curarum medicarum 4. Ulmæ 1709
- Lineæ medicæ 8. Augustæ 1705. seq.
Riſts, Joh. allveredelſtes Maß 12. Hamburg 1663
*Riverii*, Lazari, Observationes medicæ 8. Delphis 1651. it. Hagæ 1656
*Rivini*, Aug. Quir. Disputatio de Dyspepsia 4. Lipf.
- - Theses Physiologicæ 12.
*Ræperi*, Christian. Disput. de Salivatione critica.
*Rolandi*, Jacobi, Aglossostomographia v. Index M. N. Cur. Dec. I. A. 3. p. 559.



*Rol-*

*Rolfincii*, Gvern. Ordo & Methodus Medicinæ ſpecialis 4. Jen. Frf. 1665
- - Epitome Method. cognoſcendi & curandi affectus 4. Jen. 1675
*Ronſſæi*, Balduin. Opuſcula Medica 8. Lugdun. 1618
*Ruyſch*, Frid. de Valvulis in Vaſis lymphaticis 12. Lugd. 1687

S.

*Saars*, Joh. Jac. Oſt-Indianiſche Reiſe oder Krieges-Dienſte fol. Nürnb. 1672
*Salius*, Petr. Diverſus, de Affectionibus particularibus.
*Salmuth*, Philippi, Obſervationes medicæ 4. Brunſvigæ 1648
*Sammonicus*, Serenicus, de Re medica 4. Tigur. 1540
de *Sandris*, Jacob. de Sangvinis ſtatu, & Ventriculo, 8. Francof. 1712
*Scharffius*, Benjamin, de Junipero 8. Jenæ 1679
*Schenckii*, Joh. Obſervationes medicæ fol. Francof. 1665
*Schneiderus*, Conr. Vict. de Catarrhis 4. Witteb. 1660
- - - de Apoplexia.
Schönheit der Damen 12. Leipzig 1704
*Scholzii*, Laurentii, Conſilia medicinalia fol. Hanov. 1610
*Schrœderi*, Johann. Theſaurus Pharmacevticus 4. Ulmæ 1685
*Schvvenfeldi*, Caſp. Theriatrophæum Sileſiæ 4. Lignitii 1603
*Screta*, Henr. de Febre Caſtrenſi maligna 8. Scafuſ. 1686. Dresd. 1710
*Scribonius* Largus vid. Largus.
*Sebizius*, Melch. Manuale ſeu ſpeculum medicinæ 8. Argent. 1661
- - Diſputatio de Morbis contagioſis 1650
*Segerus*, Georg. de Lymphâ Bartholiniana 4. Hafn. 1658
*Sennerti*, Dan. Inſtitutiones medicæ 4 Witteb. 1667
- - Practica Medicinæ 4. Witteb. 1658
*Serenus*, Quint. de Re medica 4. Tiguri 1540
*Sinopii*, Mich. Aoyſ. Abſurda vera ſeu Paradoxa medica 8. Genev. 1697
- - de Remediis Doloris 8. Amſtelod. 1699
*Solingen*, Corn. Wundartzn. oder Handgriffe 4. Frf. an der Oder 1693




*Sperlingius*, Joh. de Formatione hominis in Utero 8. Witteb. 1655
*Spindleri*, Pauli, Obſervationes medicinales 4. Francof. 1691
*Stahl*, Georg. Ern. de ſenſu Naturæ circa Curationes 4. Halæ 1706
*Stalpart*, Cornelius, van der Wiel, Obſervationes 8. Lugd. 1687
*Steno*, Nicol. de Muſculis & Glandulis 12. Lugd. 1683
- - de Narium Vaſis
- - de Glandulis Oris
*Stiſſeri*, Joh. Ludov. Solamen Arthriticum ſeu de Podagra 4. Helmſtad. 1690
*Svevi*, Gottfr. Synopſis Rerum criminalium Carpzovii 8. Lipſ. 1703
*Svvalve*, Bernh. Querelæ & Opprobria Ventriculi 12. Amſteld. 1664
*Svvammerdamm*, Joh. de Reſpiratione 8. Lugd. Batav. 1667
*Sydenham*, Thomæ, Opuſcula omnia 12. Genev. 1684
*Sylvii*, Franc. Opera medica fol. Avenione 1680. & in 4. Amſtelod.

T.

*Tachenii*, Otton. Hippocrates Chymicus 12.
*Tacitus*, Cornelius cum Commentario Juſti Lipſii 4. Antwerp. 1600
*Tackii*, Joh. Triplex Phaſis ſaphicus 4. Francof. 1673
*Tagaultii*, Joh. Inſtitutiones chirurgicæ v. Amb. Paræi Chirurgia.
*Taranta*, Valeſc. Philonium Pharmacevticum 4. Francof. & Lipſ. 1680
*Targiri*, Joach. Medicina compendiaria 8. Lugd. 1698.
*Tauvry*, Daniel, Anatomia 8. Ulmæ 1694.
*Theſaurus* Secretorum curioſorum 4. Colon. 1709
*Thomſon*, Georg. Acus magnetica Chymiatrorum 12. Francof. 1686
*Thoneri*, Auguſtini, Obſervationes medicinales 4. Ulmæ 1651
*Thruſton*, Malach. de Reſpiratione 8. Lugd. 1671
*Tid.cæi*, Franc. Microcoſmus 4. Lipſ. 1615
*Tilingius*, Matthias, de Placenta Uteri 12. Rinthel. 1672
*Tim i*, Bald. à Güldenkl. Opera medico-practica 4. Lipſ. 1677
*Tudecii*, Simon. Aloyſ. Amuſſis antiloimica 12. Norib. 1695
*Tulpii*, Nicol. Obſervationes 8. Amſtelod. 1652.

## V. U.

*Valentini*, Mich. Bernh. Medicina nova antiqua 4. Francof. 1698
- - - Pandectæ medico-legales 4 - - 1701
- - - Declamationes Panægyricæ ibid.
- - - Praxis Medicinæ infallibilis 4. Francof. 1711. 8. Lugd. 1585.
*Valeriolæ*, Fr. Observationes Chirurgiæ 4. Francof. 1715
*Vanini*, Jul. Cæs. Amphitheatrum 8.
*Varandæi*, Joh. Opera omnia fol. Lugdun. 1658
*Vateri*, Christiani, Physiologia experimentalis 4. Witteb. 1701
a *Vega*, Christoph. Opera fol. Lugdun. 1587
*Vehr*, Irenæi, Disputatio de Mania. Francof. 1701
*Velschius*, Georg. Hier. de Vena medinensi 4 August. 1674
- - - Mictomimemata v. M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. App. p. 1. seq.
*Velthusius*, Lambert. de Liene & Generatione 12. Traject. 1657
- - Opera omnia 4. Roterod. 1680
*Verbrugge*, Joh. Examen van Land en zee-Chirurgie 8. Amsterd. 1687
*Verduc*, Jean Bapt. des Operations de Chirurgie 8. à Paris 1694
- - de l'Usage des Parties 12. à Paris 1696
*Verloschnig*, Joh. Bapt. de Curatione Verno-autumnali 8. Francof. 1713
*Verzaschæ*, Bernh. Observationes medicæ 8. Amsterd. 1677
*Veslingii*, Joh. Observationes anatomicæ & Epistolæ medicæ 8. Hafn. 1664
- - Syntagma anatomicum 4. Patav.
*Vesti*, Justi, Observationes v. Crameri Colleg. chymic. 4. Erfurt. 1688
- - Disputatio de Philtris.
*Vicarii*, Joh. Jac. Franc. Basis universæ Medicinæ 8. Ulmæ 1700
*Vienssins*, Raymund. Necrographia Universalis 8. Francof. 1690
*Viridetus*, Joh. de prima Coctione &c. 8. Genev. 1691
*Unzeri*, Matthiæ, Anatomia Mercurii Spagyrica 4. Halæ 1620
**Vogels**, Tobiæ, curiöser Haut-Diener 12. Leipzig 169
*Vratislaviensium* Medicorum Historia Morborum 4 - - 1702





*Vreesvvick*, Gossen van, de Groene Leewo of het Licht der Philosophen 8. l'Amsterd. 1674.

## W.

*Waldschmied*, Joh. Jac. Institutiones Medicæ 8. Lugd. 1689
- - - Praxis Medicinæ 8. Francof. 1690
- - - Epistolæ ad Dolæum 4. Francof. 1689
*Wallæi*, Joh. Medica omnia 8. Londin. 1660
*Warlizii*, Christiani, Valetudinar. Senum Salomonæum 4. Lips. 1708
*Weberi*, Joh. Adam. Discursus curiosi de Macro & Microcosmo 8. Salisb. 1671
- - de Liquore styptico 8. Vratislav. 1680
*Wedelii*, Georg. Wolffg. Physiologia medica 4. Jenæ 1686
- - - Amœnitates Materiæ medicæ 4. Jen. 1677
- - - Pathologia medico-dogmatica 4. Jen. 1692
- - - de Medicamentor. Facultatibus 4. Jen. 1679
- - - Exercitation. Medico-Philolog. 4. Jen. 1686
- - - Disputatio de Melancholia 4. Jen. 1685
- - - - de Hydrophobia.
- - - - de Vener. medica & morbosa.
*Welschii*, Chr. Lud. Tabulæ anatomicæ fol. Lips. 1698
**Welsch, Gottfried**, Rationale Vulnerum lethalium judicium 8. Lips. 1674
*Wepfferi*, Ioh. Iac. Observationes de Apoplexia 8. Schaffhusi 1658
*Wesenbecci*, Matth. Responf. juris fol. Basil. & Witteb. 1576. seq.
*Whartoni*, Thomæ, Adenographia sive Descriptio Glandularum 12. Vesaliæ 1671
*van der Wiel*, Cornel. Stalp. Observationes rarior. 8. Lugd. 1687
*Wieri*, Ioh. Opera omnia 4. Amsterd. 1660
*Wiezelii*, Ioh. Casp. Disputatio de Morsu & puncturis animalium.
*Willisii*, Thomæ, Opera omnia 4. Lugd. 1681
*Wolffs*, Iacob. Scrutinium Amuletorum 8. Lips. Ienæ 1690
*Wolffii*, Ido Observationes chirurgico-medicæ 8. Quedlinb. 1704

## Z.

*Zacchias*, Paulus, de Affectione hypochondriaca 8. August. 1671
*Zacuti*, Lusitani, Opera fol. Lugd. 1649.
*Zeller*, Disputatio de Pulmonibus Infantis in aqua subsidentibus.
*Zimaræ*, Marc. Anton. Antrum magico-medicum 8. Francof. 1628
*Zittmanni*, Joh. Frid. Medicina Forensis 4. Francof. 1706
*Zvvelfferi*, Joh. Pharmacop. Augustana fol Norimb. 1675
*Zvvingeri*, Theodori, Fasciculus Disputationum Medicarum 8. Basil. 1710
*Zypæi*, Franc. Fundamenta Medicinæ 8. Bruxell. 1687





# INDEX RERUM.

## *A.*

Defen-

## H.



## I.



Jnha-

## L.









## M.

mu-





Iii 2 Per-

Puella

102





Simiæ

## T.



## V.

F I N I S.

# ERRATA.

pag. 2 l. 12 loco σέυω leg. σέιω p. 9. lin. ult. leg. pertuſa p. 10 lin. ult. exſcreatum p. 11 lin. Rœperus p. 14 lin. 21 ymand l. 24 vlœdig lin. 26 Kreeft ibid. man. lin. 27 ontſt. pag. 15 lin. 12 purum lin. 19 per quos lin. 28 per del. pag. 18 lin. 8 Targ. lin. 20 cachées lin. 24 loco fart lege ſait p. 19 l. 22 Targirus p. 20 lin. pen. leg. variare ſo- pag. 24 lin. 13 Fabra pag. 26 lin. pen. couleur p. 36 lin. 27 leg. appelle Grenouilette, lin. pen. pierres. p. 37 l. 3 s'emb. p. 39 l. 18 obrep. lin. 25 dele p. 38 p. 57 lin. 5 prædita. p. 58 l. 26. loco decem lege demum. l. 27 poſt Danus adde C. p. 61 lin. 4 loco aut leg. & lin. 12 leg. Erndl p. 70 l. 28. dilatatione p. 81 l. 20. leg. de Util. p. 85 lin. 2. poris p. 86 l. 27 leg. Veneris p. 94 lin. ult. evaſit pag. 98. lin. 3 poſt Salivatio; add. quòd lente procedat ſalivatio p. 102 lin. 4 ſudoriferum p. 110 lin. 22 & 23 loco exitus leg. extus p. 114 l. 4 ſtent lin. 22 leg. eodem p. 115 l. 10 poſt ſeqq. add.) lin. 30 poſt facilitat, add. & vel p. 119 lin. ult. rediger p. 127 lin. 1. metuere. p. 130 lin. 28 Lotich. p. 132 lin. 6. ait ſoin p. 135 lin. 25 loc. 41 leg. 31 p. 141 l. 16. leg. Veſicatoriorum pag. 145 l. 4 Larg. pag. 149 lin. 1. leg. ſubtilis æther lin. 10. poſt butyrum add. alii oleoſa p. 154 l. pen. & p. 155 l. 1. leg. Screta p. 159 lin. 21 olla p. 175 l. 16 recipiatur p. 189 lin. 12 leg. qui cum verb. p. 195. l. 9. corrupit p. 200 l. 21 narraret p. 203. l. ultim. leg. produit des p. 204 lin. 22 ſvivan lin. 27. par où lin. 31 leg. ce picot pag. 205 lin. 4 fort lin. 7 leg. incommodées p. 206 lin. 1 leg. Temperamenti in Ictis pag. 209 lin. 26 leg. ad quod tamen p. 210 l. 9 & 10 leg. Objecta p. 211 l. 6. fidicinum pag. 212 l. 23 leg. aſleve p. 220. lin. 26. curaverim p. 221 l. 27. ſævo p. 224 lin. 26. exacerbabatur p. 239 lin. 31 Meſſanenſi p. 240 l. 5. eſuriret p. 242 l. 26 jurgabat pag. 245 p. ferri p. 249 lin. 9. bajuli it. rixarentur p. 954 lin. penult. ſymptomata pag. 262 lin. l. Cæl. Aur. p. 265. l. 6. torrentem lin. 8 poſt tempore add. neque aquam p. 267 lin. ult. retrahit p. 269 lin. 18 leg. profluxit p. 270 lin. 14. hunc p. 272. lin. antep. leg. prædatura p. 275 lin. 19 loco, facti leg. ſocii, p. 277 lin. 16 & 17 leg. quandam p. 281. l. 26. verminoſa p. 283. l. 17 vulnerum p. 286. in margine deleatur: cujusdam p. 297 lin. 7. leg. Naß p. 302. lin. 18. recenſuimus pag. 306 lin. 21. leg. affecti p. 311 lin. 9. agit p. 312. lin. 8 in margine add. an in Urina? l. 9. leg. vermiculi p. 322 in margine leg. demorſi, ib. lin. 2 fide di p. 325 lin. 12 leg. marceſcant pag. 326. l. 21 rauceſcat p. 331 lin. 5 dele quòd lin. 22 deglutiret pag. 335. lin. 22. non p. 337 lin. 15 Paulo p. 345. l. 9 dele aci p. 346. lin. 20. intervalla p. 363 lin. 24 poſt ſimulationem add. rationibus p 379 lin. 2. lac. pone lin. 26 leg. nil niſi, p. 390 l. 19 Erndtl. p. 397 lin. antepen. Louis p. 403 l. 15 πλεῖστον p. 405. l. 25. pugni.